THEOLOGIA DOGMATICO-POLEMICA,

QUA
ADVERSUS VETERES NOVASQUE HAERESES
EX
SCRIPTURIS, PATRIBUS, ATQUE ECCLESIASTICA HISTORIA,
CATHOLICA VERITAS
DEFENDITUR.

AUCTORE
P. CAROLO SARDAGNA
SOCIETATIS JESU,
IN EPISCOPALI LYCEO AD D. PAULI RATISBONÆ
THEOL. DOGMATICO-POLEMICÆ PROF. ORD.
ET EXAM. SYNODALI.

TOMUS VII.

COMPLECTENS
TRACTATUS VI. DE SACRAMENTIS PARTEM ALTERAM,
IN QUA AGITUR DE SACRAMENTIS EUCHARISTIÆ, EXTREMÆ UNCTIONIS, ET ORDINIS.

Editio Secunda.

POLOCIÆ
TYPIS COLLEGII SOC. JESU. 1810.

CENSURA
ET
APPROBATIO.

Cum Tomus iste VII. Theologiæ Dogmatico-Polemicæ, ab ejusdem Professore Ordinario in hocce Episcopali Lyceo R. P. CAROLO SARDAGNA, Societatis JESU Presbytero elaboratus, multam denuo, solidam, & perspicuam doctrinam in se contineat, nihil vero fidei Catholicæ, aut bonis moribus contrarium; hinc tuto ac utiliter typis mandari poterit. Datum in Curia Episcopali Ratisbonensi, die XXVIII. Maji 1770.

ADAMUS ERNESTUS,
Episc. Abilenæ, Suffrag. &
Præses Consist. Cons. Int.
Actual. & Cathedr. Eccles.
Canonicus Capitularis, m. p.

(L. S.)

JOANNES BAPT. KLEIRL.
SS. Theol. & J. U. Licent. Consil. Eccl. Act. Director Canc.
Authrte Aplca & Curiæ Episc.
publ. ac juratus Notarius,
m. p.

BIBLIOTEKA UNIWERSYTECKA W TORUNIU

493914

K.594/77

INDEX
CONTROVERSIARUM

Quæ in Tractatus VI. de Sacramentis Parte altera continentur.

ARTICULUS IV.

DE AUGUSTISSIMO EUCHARISTIÆ SACRAMENTO.

CONTROVERSIA I.

CONTROVERSIA II.

CON-

QUÆ-

CON-

CONTROVERSIA VII.

CONTROVERSIA VIII.

CONTROVERSIA IX.

Con-

ARTICULUS V.

DE SACROSANCTO MISSÆ SACRIFICIO.

CONTROVERSIA I.

AN IN MISSA VERUM NOVÆ LEGIS SACRIFICIUM DEO OFFERATUR? 27[illegible].

XI. An

CONTROVERSIA II.

ARTICULUS VI.

DE SACRAMENTIS EXTREMÆ UNCTIONIS, ET ORDINIS.

CONTROVERSIA I.

APPENDIX AD CONTROVERSIAM I.

VARIA QUÆSITA DE EXTREMA UNCTIONE.

IX. An

CONTROVERSIA II.

AN SACRA ORDINATIO MINISTRORUM ECCLESJÆ VERUM SIT NOVÆ LEGIS SACRAMENTUM? 406.

TRA-

TRACTATUS VI.

DOGMATICO-POLEMICI DE SACRAMENTIS PARS ALTERA.

ARTICULUS IV.

DE AUGUSTISSIMO EUCHARISTIÆ SACRAMENTO.

CONTROVERSIA I.

AN EUCHARISTIA SIT VERUM NOVÆ LEGIS SACRAMENTUM, ET QUINAM SINT ILLIUS EFFECTUS?

CONTRA PROTESTANTES.

Eucharistia quid sit, & quomodo ab aliis Sacramentis differat?

1. Eucharistia idem Græcis significat, quod Latinis gratiarum actio, aut bona gratia: estque Sacramentum corporis & sanguinis Christi sub speciebus panis & vini consecratis, ad spiritualem animarum nutritionem a Christo institutum, ut per decursum hujus Tractatus suis locis ex instituto ostendemus. Præter diversitatem materiæ & formæ, Eucharistia his potissimum capitibus a cæteris Sacramentis differt. I. Quia ipsum Christum gratiarum omnium fontem, non per figuram & imaginem tantum, per fidem aut virtutem a Christo diffusam; sed vere, realiter, ac substantialiter præsentem continet. II. Quia cætera Sacramenta usu perficiuntur, & in actione flu-

ente

ente consistunt; Eucharistia vero in re fixa ac permanente.

Varia illius nomina apud Veteres.

2. Variis hoc Sacramentum insignitum nominibus legimus, quorum aliqua in Scripturis expreſsa, alia a Majorum nostrorum religione ac pietate sunt addita. Ac I^mo^ quidem ab actione per quam conficitur Eucharistia, dicitur apud veteres *Eulogia* seu *benedictio*, juxta illud I. ad Cor. X. *Calix benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio ſanguinis Chriſti eſt?* Item *gratiarum actio*, tum quia in ejus institutione Christus gratias egit: tum quia ad gratias Deo pro universis ab eo acceptis beneficiis referendas nihil hoc Sacramento ipsi acceptius eſse potest. Denique quia intra Miſsarum solemnia consecratur Eucharistia, dicta est etiam *Liturgia*, *Miſſa*, *Sacrificium*, *Oblatio*, *Communio*, *fractio panis*. II. A materia ex qua conficitur Eucharistia, vocatur *panis Dominicus ac cœleſtis*, *panis animæ ſuperſubſtantialis*, *panis Angelorum*. Item ab analogia quam habet cum convivio corporali dicitur *convivium*, *alimonia*, *cœna*. Denique *Sancta dona*, tum quia cætera Christi dona dignitate sua ac præstantia superat: tum quia ex iis oblationibus panis & vini confici solebat, quas fideles ad sacram communionem, & in usum Eucharistiæ afferebant. III. A re quæ continetur in Eucharistia, dicitur *corpus Chriſti*, *Sacramentum corporis & ſanguinis Chriſti*, *Sacramentum Sacramentorum*, *Myſterium myſteriorum*, *Sanctum Domini*, *Sancta Sanctorum*, *Sacramentorum omnium conſummatio*. IV. A tempore institutionis dicitur *Cœna Dominica*, tum quia a Christo vespere in cœna primum est instituta; tum quia est commemoratio postremæ cœnæ Dominicæ. *Paſcha* etiam dicitur, quia Christus tempore Paschatis eam instituit, ipsumque continet Christum qui est Pascha nostrum: item *Sacramentum novi Teſtamenti*, quia Christus paulo ante mortem, suum nobis corpus in Eucharistia legavit. V. A loco in quo instituta est, & hodiedum confici solet, appellatu *Menſa Domini*, *Sacramentum altaris*, & *Agapa ſeu dilectio*; tum quia in Ecclesiasticis conventibus celebra-

lebrabantur a fidelibus convivia Agapæ dicta, quibuscum jungebatur celebratio Eucharistiæ: tum quia Eucharistia summæ Dei erga nos dilectionis est argumentum. VI. Suscipientium habita ratione vocatur *Synaxis*, sive *adunatio;* quia per illam participationem fideles cum Christo ac inter se tamquam ejusdem corporis membra communi charitatis vinculo colligantur. Item *Collecta* seu *solemnis conventus*, & *Communio;* quod nomen a Veteribus usurpatur pro jure societatis, commercii atque consortii fidelium in iisdem Ecclesiæ conventibus, precibus & officiis sacris. VII. Ab effectibus denique quos in suscipientibus obicem non ponentibus producit, vocatur *Gratia salutaris*, & *Sacramentum gratiæ*, tum quia abundantissimam gratiam confert; tum quia Christum omnis gratiæ fontem continet, proceditque ex affectu perfectissimæ charitatis Christi in homines. Appellatur etiam *Viaticum*, seu *viæ subsidium;* quia ut scribit S. Thomas III. Parte, Quæst. LXXIII. Artic. IV. *Hoc Sacramentum est præfigurativum fruitionis Dei, quæ erit in patria. Et secundum hoc dicitur viaticum, quia hic præbet nobis viam illuc perveniendi.*

Et figuræ in veteri Testamento.

3. Ut ad tanti Sacramenti fidem homines paulatim præpararentur, & veritati promptius acquiescerent, variis figuris Deus in veteri Testamento Eucharistiam adumbravit. Figuræ itaque Eucharistiæ fuerunt I^mo^ Lignum vitæ, quod plantaverat Deus in Paradiso quasi pharmacum immortalitatis. II. Manna datum Hebræis in deserto. III. Oblatio panis & vini a Melchisedecho Sacerdote Altissimi facta. IV. Panes propositionis, qui solum ab hominibus mundis & sanctificatis comedi poterant. V. Panis subcinericius quem Elias manducavit, & in cujus fortitudine ambulavit per XL. dies usque ad montem Dei Horeb. VI. Agnus Paschalis, qui significabat Christum non tantum ut hostiam, sed etiam ut cibum; necesse enim erat Agnum illum non tantum immolari, sed etiam manducari: Sanguis vero Agni quo liniebantur superliminaria postium, denotabat effectum redemptionis

Chri-

Christi applicatæ nobis per istud Sacramentum, quo scilicet a devastante Angelo & durifsima servitute peccati, sicut olim Hebræi a jugo servitutis Ægyptiacæ, liberamur.

Errores Socinianorum, & Protestantium.

4. Eucharistiam verum efse novæ Legis Sacramentum non Catholici modo, verum etiam Sectarii tum antiqui tum recentiores, uno ore fatentur, præter pauculos male feriatos, qui commune bellum Sacramentis omnibus indixerunt. Soli Sociniani Eucharistiam verum efse ac proprie dictum Sacramentum inficiantur, ajuntque signum efse de se omni effectu spirituali vacuum, ideo solum institutum, ut mors Christi in memoriam revocetur. Verum Socinianorum secta ad eos pleno jure revocanda est, qui Sacramenta omnia novi Testamenti indiscriminatim e medio tollere nituntur. Major cum Sectariis lis est de effectibus hujus Sacramenti. Lutherus tria docuit. I^mo^. Eucharistiæ effectum primarium efse remifsionem peccatorum gravium. II. Non requiri ad dignam præparationem communionis, ut quis sibi conscius non sit peccati mortalis: immo quo plurium & graviorum sibi conscius quis est, eo aptiorem efse ad percipiendam Eucharistiam. III. Ad præparationem Eucharistiæ non requiri, ut quis per confefsionem ac pœnitentiam a peccatis mundetur; sed satis efse fidem, qua certo credat sibi in eo Sacramento omnia peccata efse remittenda. Hanc efse Lutheri sententiam patet ex Concione de digna præparatione ad Sacramentum Eucharistiæ, habita A. 1518. ubi inter alia ait: *Optima difpofitio eft non nifi ea, qua peffime es difpofitus: & e contrario tunc peffime es difpofitus, quando optime es difpofitus.* Idem docet Lib. de Captivit. Babyl. Cap. de Eucharistia, In Tract. de Communione populi, & In Lib. contra Articulos Lovaniensium edito A. 1545. Luthero consonat Calvinus Lib. IV. Instit. Cap. XVI. gravifsime reprehendens Catholicos, quod ad dignam Eucharistiæ susceptionem requirant in suscipiente statum gratiæ. *Nunc judicare*, inquit loco cit., *promptum eft, qualis fit hæc quæ in Papatu regnat doctrina*,

ctrina, *&* *quo auctore profecta sit*, *quæ miseros peccatores*, *&* *trepidatione mæstitiaque afflictos*, *hujus Sacramenti consolatione*, *immani sua austeritate orbat* *&* *spoliat*.

Eucharistia est verum N. L. Sacramentum.

5. Conclusio I. Eucharistia est verum novæ Legis Sacramentum. Prob. I^mo Argumento præscriptionis. Ecclesia tam Latina quam Græca unanimi consensu jam a primis temporibus constanter docuit Eucharistiam esse verum novæ Legis Sacramentum, ut aperte testantur Patres, Euchologia, & antiquissimi rerum Ecclesiasticarum Scriptores. Ergo cum Ecclesia columna sit & firmamentum veritatis, dicendum est, Eucharistiam esse verum novæ Legis Sacramentum. Prob. II. Auctoritate Conciliorum. Florentinum in Decreto pro Armenis ait: *Tertium est Eucharistiæ Sacramentum*, *cujus materia* *&c.* Tridentinum Sess. VII. Can. I. *Siquis dixerit*, *Sacramenta novæ Legis non fuisse omnia a Jesu Christo Domino nostro instituta*, *aut esse plura vel pauciora quam septem*, *videlicet Baptismum*, *Confirmationem*, *Eucharistiam* *&c. anathema sit.* Prob. III. Ratione in Scripturis fundata: Eucharistia est signum sacrum sensibile præteritæ mortis Christi, quam in memoriam revocat. I. ad Cor. XI. *Quotiescunque manducabitis panem hunc*, *&* *calicem bibetis*, *mortem Domini annuntiabitis donec veniat.* Christi realem ac substantialem præsentiam sub speciebus panis & vini significat. Matth. Cap. XXVI. *Hoc est corpus meum*, Est signum a Christo institutum. ut colligitur ex Cap. XXVI. S. Matth. & XIV. S. Marci. Adjunctum habet mandatum Christi. Lucæ Cap. XXII. *Hoc facite in meam commemorationem.* Vim habet producendi gratiam sanctificantem in hac vita, & conferendi gloriam æternam in altera. Joan. Cap. VI. v. 57. *Qui manducat meam carnem*, *&* *bibit meum sanguinem*, *in me manet*, *&* *ego in illo.* v. 59. *Qui manducat hunc panem*, *vivet in æternum.* Ergo Eucharistia est verum novæ Legis Sacramentum. Atque hæc rationum momenta sufficiant pro confirmando dogmate Catholico, quod vix habet adversarium.

6. Quæ-

Sacramentum Eucharistiæ consistit in speciebus, & corpore ac sanguine Christi.

6. Quæres I. An Sacramentum Eucharistiæ consistat in solis speciebus panis & vini, aut in solo corpore & sanguine Christi? Resp. in utrisque simul tamquam partibus intrinsece constituentibus. Prob. afsertio. Sacramentum Eucharistiæ est cibus animæ, fit per verba consecrationis, adoratur cultu latriæ, habet vim sanctificandi &c. Atqui solæ species non sunt cibus animæ, non fiunt per verba consecrationis, neque solæ adorantur cultu latriæ, aut vim habent sanctificandi. Ergo in illis solis non consistit Sacramentum Eucharistiæ. Pari modo neque in solo corpore ac sanguine Christi consistit. Sacramentum enim novæ legis signum debet efse sensibile per se. Sed corpus & sanguis Christi, prout sunt in Eucharistia, non sunt sensibilia nisi per species. Ergo sine speciebus non constituunt Sacramentum: adeoque Sacramentum Eucharistiæ consistit in complexo ex speciebus panis e vini, & corpore ac sanguine Christi; quia huic complexo convenit efse signum sensibile animam sanctificans & sustentans per modum cibi & potus spiritualis.

7. Neque afsertioni nostræ officit I^mo quod Innocentius III. Cap. *Cum Marthæ*, Extravag: de celebrat. Mifs. species dicat efse Sacramentum. II. Quod Patres Sacramentum Eucharistiæ vocent corpus Christi. III. Quod vis sanctificandi & reficiendi animam resideat in solo corpore & sanguine Christi. Nam ad I. Resp. ab Innocentio nomine Sacramenti præcise ibi intelligi signum rei sacræ, quod minime sufficit ad rationem adæquatam Sacramenti novæ Legis: ad hanc enim requiritur, ut aliquid significet, & efficiat gratiam sanctificantem, quam certe non efficiunt solæ species panis & vini. Ad II. Patres vel sumunt partem pro toto, ut cum Baptismus ab eis vocatur ablutio: vel intelligunt corpus Christi sub speciebus panis & vini existens. Ad III. Resp. vim illam sanctificandi & nutriendi animam competere Sacramento Eucharistiæ ratione corporis & sanguinis Christi tamquam principalis instrumenti, & per se primo requi-

siti

siti ad rationem cibi & potus spiritualis, & minus principaliter ratione specierum consecratarum.

Corpus & sanguis Christi sunt unum Sacramentum

8. Quæres II. An corpus Christi sub speciebus panis, & sanguis Christi sub speciebus vini, ut simul vel etiam seorsim sumpta, sint unum tantum Sacramentum, vel plura specifice diversa? Respondeo, non esse specie plura. Prob. assertio. Jlla non sunt Sacramenta specifice diversa, quæ sunt signum practicum ejusdem effectus Sacramentalis. Atqui corpus Christi sub speciebus panis, & sanguis Christi sub speciebus vini, sive seorsim sive simul sumantur, sunt signum practicum ejusdem effectus Sacramentalis, seu gratiæ animam spiritualiter reficientis. Ergo.

9. Neque obstat Imo. Quod Veteres Eucharistiam appellent plurali numero, & a Sacerdote in Missa dicatur: *Purificent nos Sacramenta quæ sumpsimus.* II. Quod diversa esse videatur corporis Christi sub speciebus panis, & sanguinis Christi sub speciebus vini significatio: quia corpus Christi sub speciebus panis significat tantum refectionem quæ fit per cibum spiritualem, & sanguis Christi sub speciebus vini denotat eam refectionem quæ fit per potum spiritualem, seu gratiam exhilarantem. III. Quod sublatum esse videatur discrimen inter Eucharistiam sub utraque specie & Eucharistiam sub una tantum, siquidem illa sub unica tantum specie integram animæ refectionem significat. Etenim ad Imum Resp. Eucharistiam a Veteribus modo unum modo plura appellari Sacramenta, ut patet etiam ex illa Ecclesiæ oratione in Missa: *Hoc tuum Sacramentum non sit nobis reatus ad pœnam.* Unum formaliter propter unitatem formalem, totalem & integram quam habent species: plura materialiter propter varia symbola seu signa, ex quibus constat. Ad II. Resp. eamdem esse respectu utriusque Sacramentalem significationem quoad rem significatam, id est, quoad spiritualem animæ refectionem; quamvis modus significandi illam sit diversus, nimirum per modum cibi & potus spiritualis. Ad rationem additam, dico: in Eucharistia cibum spi-

ritualem & spiritualem potum esse unam eamdemque rem, quamvis diverso modo significatam, nempe Christum ipsum, qui sub utraque specie vim habet eamdem reficiendi animam spiritualiter, sub una specie per modum cibi tantum, & sub altera tantum per modum potus. Eucharistia itaque sub utraque specie etiam seorsim sumpta est convivium spirituale integrum: adeoque gratia Sacramentalis, quam v. g. sub specie panis significat & efficit, est gratia spiritualiter confortans & exhilarans. Ad III. Resp. nullum dari discrimen quantum ad efficaciam; quantum vero ad significationem discrimen esse in eo, quod per Eucharistiam sub utraque specie perfectius quam sub una tantum idem effectus Sacramentalis significetur; quia integra animæ refectio per Eucharisiam sub utraque specie distincte & explicite significatur, sub una vero tantum specie non nisi confuse & implicite.

Eucharistiam per se non remittere mortalia, ostenditur ex Scripturis

10. Conclusio II. Eucharistia per se ac directe non remittit peccata mortalia; ac proinde necessaria est in suscipiente prævia sanctificans gratia, ut quis digne & cum fructu ad hoc Sacramentum accedat. Prob. Conclusio hæc dogmatica Imo. Auctoritate Scripturarum. Apostolus I. ad Cor. XI. scribit: *Probet autem se ipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat. Qui enim manducat & bibit indigne, judicium sibi manducat & bibit, non dijudicans corpus Domini.* Hæc autem probatio juxta doctrinam Patrum & Conciliorum in eo consistit, quod si communicaturus, post diligens conscientiæ suæ examen, reum se alicujus peccati gravis deprehendit, Sacramentalem præmittat confessionem, aut si illius copia non detur, perfecte conteratur. Ergo Sacramentum Eucharistiæ per se ac primario institutum non fuit ad remittenda peccata gravia, alias præviam illam probationem perperam præcepisset Apostolus. Joan. Cap. XIII. Christus antequam Apostolis Eucharistiam disstribueret, lavit eorum pedes, ut innueret summam ad hoc Sacramentum prærequiri animæ munditiem & purita-

puritatem. Math. XXII. severissime punitus est qui sine veste nuptiali convivium ingressus est. Ibi vero adumbrari Eucharisticum convivium, & vestis nuptialis nomine gratiam sanctificantem intelligi, concors est SS. PP. & Interpretum sententia. Denique in Scripturis nullibi dicitur Eucharistiam institutam esse, aut instituendam fore ad remittenda peccata gravia, sed ad vitam animæ conservandam & augendam. *Non morietur. Vivet in æternum. Habet vitam æternam. In me manet, & ego in illo.*

11. Prob. II. Auctoritate Patrum. S. Justinus Apol. II. pro Christ. paulo ante finem scribit: *Porro alimentum hoc apud nos appellatur Eucharistia, quod nulli alii participare licitum est, quam veram esse doctrinam nostram credenti, & lavacro propter remissionem peccatorum & regenerationem abluto, & ita, ut Christus tradidit, viventi.* S. Cyprianus Epist. X. ad Presbyteros & Diaconos, reprehendit quosdam, qui lapsos nondum a peccatis absolutos ad Eucharisticum epulum admittebant. *Nondum pœnitentia acta, nondum exomologesi facta, nondum manu eis ab Episcopo & Clero imposita, Eucharistia illis datur, cum scriptum sit: Qui ederit panem, aut biberit calicem Domini indigne, reus erit corporis & sanguinis Domini.* S. Basilius Lib. II. de Bapt. C. III. *Si tales minæ adversum eos positæ sunt, qui* (in lege veteri) *temere ad ea sacra accedunt, quæ ab hominibus sanctificantur, quid dicendum est de eo, qui in tantum ac tale Mysterium* (Eucharistiæ) *temerarius est? Quanto enim majus aliquid is* (Christus) *est templo secundum Domini vocem, tanto gravius & terribilius est in animæ impuritate constitutum, corpus Christi temere contingere, quam sit accedere ad arietes vel tauros.* S. Ambr. Lib. VI. in Lucam, ad C. IX. *Nemo cibum accipit Christi, nisi fuerit ante sanatus; & illi qui vocantur ad cœnam, prius vocando sanantur. - - - Ubique igitur mysterii ordo servatur, ut prius per remissionem peccatorum vulneribus medicina tribuatur, postea alimonia mensæ cœlestis exuberet.* S. Chrysost. Hom. XLVI. in Joan. *Sicut est magnum &*

Ex Patribus.

admi-

admirabile, (Sacramentum Eucharistiæ) *ita si pure accesseris, ad salutem accessisti: sin prava conscientia, ad pœnam & supplicium.* S. Aug. Tract. XXVI. in Joan. *Aliud est Sacramentum, aliud virtus Sacramenti. Quam multi de altari accipiunt & moriuntur; & accipiendo moriuntur? Unde dicit Apostolus, Judicium sibi manducat & bibit. Non enim buccella Dominica venenum fuit Judæ. Et tamen accepit, & cum accepit, in eum inimicus intravit: non quia malum accepit, sed quia bonum male malus accepit. Videte ergo, Fratres, Panem cœlestem spiritualiter manducate, innocentiam ad altare apportate.* S. Leo M. Epist. LXXXIII. alias XCI. ad Theodorum Forojuliensem: *Mediator Dei & hominum Christus Jesus hanc Præpositis Ecclesiæ tradidit potestatem, ut & confitentibus actionem pœnitentiæ darent, & eosdem salubri satisfactione purgatos, ad communionem Sacramentorum per januam reconciliationis admitterent.*

Ex praxi Ecclesiæ.

12. Prob. III. Auctoritate & praxi Ecclesiæ. Certum quippe est ab altari remotos olim fuisse, qui propter crimina luctuosam decurrebant pœnitentiam, ut colligitur ex Conciliis, Eliberitano Can. LXXVIII. & LXXIX. Ancyrano Can. IV. V. & VII. Nicæno I. Can. XI. Arausicano I. Can. III. Hinc alta voce inter Missarum solemnia clamabat Diaconus, *Exite Catechumeni, pœnitentes, indigni.* Et in Liturgia Græca ante distributionem Eucharistiæ etiamnum a Diaconis dicitur, *Sancta sanctis.* Tridentinum Sess. XIII. Can. V. hunc Novatorum errorem proscripsit. *Siquis dixerit, vel præcipuum fructum SSmæ Eucharistiæ esse remissionem peccatorum, vel ex ea non alios effectus provenire; anathema sit.* Et eadem Sess. Cap. VII. ait: *Ecclesiastica consuetudo declarat, eam probationem necessariam esse, ut nullus sibi conscius mortalis peccati, quamvis sibi contritus videatur, absque præmissa Sacramentali Confessione ad sacram Eucharistiam accedere debeat, quod a Christianis omnibus, etiam ab iis Sacerdotibus, quibus ex officio incubuerit celebrare, hæc Sancta Synodus perpetuo servandum esse decrevit.*

13. Prob.

13. Prob. IV. Ratione Theologica. I^ma est. Eucharistia ex institutione sua per se & primario est cibus & potus sacer. Joan. Cap. VI. *Caro mea vere est cibus, & sanguis meus vere est potus.* Atqui cibus non datur mortuis, sed viventibus: & ex natura sua ordinatur ad conservandam & roborandam vitam, non ad eam posteaquam amissa est recuperandam. Ergo Eucharistia ex institutione sua per se & primario ordinatur non ad reddendam vitam animæ, delendo nimirum peccata gravia; sed ad animam vita gratiæ jam viventem, reficiendam ac nutriendam. II. Sacramentum Eucharistiæ specie diversum est a Sacramentis Baptismi & Pœnitentiæ. Ergo finem seu effectum primarium habet specie ab illis diversum. Atqui Baptismus habet pro fine & effectu primario remissionem peccati originalis & personalium quæ ante Baptismum sunt commissa; Pœnitentia vero remissionem peccatorum post Baptismum commissorum. Ergo remissio peccatorum gravium non potest esse effectus primarius Sacramenti Eucharistiæ.

Ac ratione Theologica.

14. Dixi in Conclusione, quod Eucharistia *per se & directe* non remittat peccata gravia; magna enim inter Scholæ Magistros exorta lis est, an in ipsa reali Eucharistiæ perceptione peccata gravia indirecte tantum & per accidens illi non remittantur, qui reipsa quidem peccati mortalis reus est, sed cujus nec conscientiam habet, nec affectum: quique bono ac simplici animo Eucharistiam percipit, quin Sacramentalem confessionem aut perfectam contritionem præmiserit. Multi cum S. Thoma opinantur remitti in hoc casu indirecte & per accidens peccata gravia, & gratiam sanctificantem conferri, his potissimum rationibus ducti. I^ma est. Complures ex Patribus dicunt, per Eucharistiam mundari & lavari animam, ablui scelera &c. II. Tridentinum Sess. XII. Can. V. non negat remitti in hoc Sacramento peccata gravia per accidens & indirecte; sed tantum asserit remissionem mortalium non esse præcipuum Eucharistiæ effectum. III. Qui post diligentem sui excussionem

Immo, quamvis alii contrarium opinentur.

Eucha-

Eucharistiam sumit, ignorans se esse in statu peccati mortalis, implet præceptum Apostoli: *Probet autem se ipsum homo.* Ergo cum fructu sumit Eucharistiam. IV. Ignorans se esse in statu peccati mortalis, nullum ponit obicem. Atqui non ponentibus obicem confertur gratia. Ergo. V. Qui ad Baptismum accedit cum attritione, recipit primam gratiam. Ergo etiam qui cum attritione ad Eucharistiam accedit.

Eucharistia neque per accidens & indirecte remittit mortalia.

15. Alii contra cum S. Bonaventura probabilius docent, ne quidem indirecte & per accidens primam gratiam in Sacramento Eucharistiæ conferri, hisque præcipue moventur rationibus. I. Hic effectus nullum habet solidum fundamentum in Scripturis, Patribus, ac Conciliis. II. Cibus corporalis nihil prodest, si mortuo applicetur. Ergo nihil etiam prodest Eucharistia, quæ per modum cibi & potus spiritualis instituta est, nisi detur subjecto jam habenti vitam spiritualem. III. Sacramenta eam tantum causant gratiam quam significant. Atqui Eucharistia nullo modo significat gratiam primam & remissionem mortalium, sed solum gratiam quæ nutrit & auget viventem. Ergo primam gratiam non causat. Neque Adversariorum rationibus deterrentur. Ad I. Respondent. Quando Patres, Eucharistiæ videntur tribuere vim remittendi mortalia; vel de Eucharistia loquuntur, ut est Sacrificium impetratorium gratiarum actualium, quarum ope eliciatur contritio perfecta, & obtineatur justificatio: vel sermo illis est de remissione venialium tantum, & præservatione a mortalibus, aut de purgatione pravorum habituum & dispositionum ex peccatis præcedentibus relictarum; sicque ipsi adversarii tenentur Patres illos interpretari, nisi velint cum Protestantibus admittere, in reali Eucharistiæ perceptione primam gratiam conferri etiam accedentibus cum conscientia peccati mortalis. Ad II. Resp. Tridentinum neque negat, neque affirmat; sed damnato Protestantium errore, probabilitatem suam, si quam habet, adversariorum sententiæ adimere noluit. Ad III. ajunt, probationem illam

Iam sufficere quidem, ut Eucharistiæ sumptio non imputetur ad novam culpam; at non sufficere ad fructum Eucharistiæ percipiendum. Apostolum quidem permittere se ipsum probanti sumptionem Eucharistiæ: at non promittere sic accedenti fructum hujus Sacramenti. Ad IV. Negant M. Status peccati mortalis est obex ad effectum Eucharistiæ, quæ est Sacramentum vivorum, & tantum instituta est ad dandam gratiam nutritivam, quæ in subjecto in quo recipitur præsupponit vitam spiritualem. Ad V. Negant Conseq. Attritio tollit obicem ad effectum Baptismi & Pœnitentiæ, qui obex non est præcise peccatum mortale, cum illa sint Sacramenta mortuorum, sed peccatum mortale non retractatum: per attritionem autem sufficienter retractatur ad hoc, ut in Baptismo vel Pœnitentia condonetur. Verum attritio non tollit obicem ad effectum Eucharistiæ, quæ est Sacramentum vivorum; cum obex ille sit præcise status peccati mortalis.

Effectus Eucharistiæ sunt: gratia per modum nutritionis spiritualis.

16. Quæres I. Quinam sint veri ac genuini effectus Sacramenti Eucharistiæ? Resp. Primus ac præcipuus est, gratia per modum nutritionis spiritualis, seu gratia adnexum habens jus ad specialia auxilia, quibus, quando eis non ponimus obicem, specialiter excitamur ad Deum ardenter diligendum, & quibus adjuti, reipsa (si non ea repudiamus,) Deum ardenter diligimus, illique arctius conjungimur. Prob. ex Florentino in Decreto pro Armenis: *Hujus Sacramenti effectus, quem in anima operatur digne sumentis, est adunatio hominis ad Christum. Et quia per gratiam homo Christo incorporatur & membris ejus unitur: consequens est, quod per hoc Sacramentum in sumentibus digne gratia augeatur; omnemque effectum, quem materialis cibus ac potus quoad vitam agunt corporalem, sustentando, augendo, reparando & delectando, Sacramentum hoc quoad vitam operatur spiritualem; in quo, ut inquit Urbanus Papa, gratam Salvatoris nostri recensemus memoriam, a malo retrahimur, confortamur in bono, & ad virtutum & gratiarum proficimus incrementum.* Et Tridentinum Sess. XIII.

XIII. Cap. II. ait: *Sumi autem voluit* (Christus) *Sacramentum hoc tamquam ſpiritualem animarum cibum, quo alantur & confortentur viventes vita illius, qui dixit: Qui manducat me, & ipſe vivet propter me: & tamquam antidotum, quo liberemur a culpis quotidianis, & a peccatis mortalibus præſervemur.*

Remiſſio venialium. 17. Secundus effectus est remiſsio venialium, non quidem per infusionem gratiæ quæ nullam habet cum peccatis venialibus repugnantiam; sed per fervorem charitatis qui causatur per actualia auxilia, ex opere operato hujus Sacramenti collata. Ratio a priori est, quia Eucharistia quantum ad vitam spiritualem præstat ea omnia, quæ cibus materialis præstat quantum ad vitam corporalem. Sed cibus materialis reparat vires corporis. Ergo Eucharistia reparat vires spirituales animæ, reparando scilicet fervorem charitatis, in quo potiſsimum vires illæ consistunt: adeoque tollendo peccata venialia, quibus fervor ille minuitur & impeditur. Porro cum remiſsio venialium non fiat nisi dependenter a libera arbitrii nostri cooperatione, requiritur enim retractatio illorum & fervida charitas ut condonentur; patet Eucharistiam non semper & infallibiliter remittere venialia.

Præſervatio a mortalibus. 18. Tertius effectus est præservatio a mortalibus ex opere operato, per actualia nimirum auxilia gratiæ in perceptione Eucharistiæ collata, quibus suo loco & tempore movetur homo ad Deum propter se super omnia diligendum: quæ dilectio incompoſsibilis est cum omni affectu ad mortalia. Prob: id, tum ex verbis Tridentini paulo ante citatis, tum præcipue ex Scriptura. Christus enim Joan. Cap. VI. ait: *Niſi manducaveritis carnem Filii hominis, & biberitis ejus ſanguinem, non habebitis vitam in vobis,* permanentem scilicet. Id est, non perseverabitis in statu gratiæ. Neque tamen ex eo consequitur semper & infallibiliter præservari a mortalibus qui Eucharistiam digne suscipiunt. Nam inter effectus quos ex opere operato conferendi vim habet Eucharistia, alii sunt independentes a cooperatione liberi arbitrii, ut v. g. gra-

tiæ sanctificantis augmentum & jus ad specialia quædam auxilia: alii vero a libera arbitrii nostri cooperatione dependent, ut v. g. præservatio a mortalibus, & remissio venialium. Priores infallibiliter confert Eucharistia digne sumentibus; posteriores vero non item, si defectus cooperationis ex parte nostra intercedat.

Remissio pœnæ, peccatis debitæ.

19. Quartus effectus est remissio pœnæ peccatis debitæ, non quidem directe atque ex opere operato; quia Eucharistia ut Sacramentum operatur tantum per modum cibi spiritualis: adeoque aliud directe non potest quam spiritualiter nutrire, ad quod pœnæ temporalis remissio non pertinet; sed indirecte tantum & ex quadam concomitantia, in quantum fervor charitatis ad quem excitat, satisfactorius est secundum modum & gradum intensionis suæ.

Dispositiones aliæ ad dignam Eucharistiæ susceptionem requisitæ recensentur.

20 Quæres II. An ad dignam Eucharistiæ susceptionem nulla alia dispositio requiratur præter statum gratiæ? Resp. plures alias requiri dispositiones. Nam Imo requiritur, ut qui eam suscipit, sit baptizatus; prius enim est generari quam nutriri: & Baptismus est janua per quam in Ecclesiam ingredimur, datque moralem potestatem participandi de bonis & Sacramentis illius. II. Ut suscipiens sit viator. Sacramenta enim non pro mortuis, sed pro vivis instituta sunt, moremque hunc ex simplicitate quorumdam fidelium ortum dandi mortuis Eucharistiam, Carthaginense III. A. 397. Cap. VI. proscripsit: *Placuit, ut corporibus defunctorum Eucharistia non detur. Dictum est a Domino: Accipite & edite. Cadavera autem nec accipere possunt, nec edere.* III. Ut qui mortalis peccati sibi conscii sunt quod clavibus nondum subjecerunt, perceptioni Eucharistiæ præmittant Confessionem Sacramentalem, quamtumvis sibi videantur contriti. Prob. id ex Tridentino, quod Sess. XIII. Can. XI. statuit: *Et ne tantum Sacramentum indigne, atque ideo in mortem & condemnationem sumatur, statuit atque declarat ipsa Sancta Synodus, illis quos conscientia peccati mortalis gravat, quantumcumque etiam se*

contritos existiment, habita copia Confessoris, necessario præmittendam esse Confessionem Sacramentalem. Siquis autem contrarium docere, prædicare, vel pertinaciter asserere, seu etiam publice disputando defendere præsumpserit, eo ipso excommunicatus existat. Decreti hujus condendi alia ratio non fuit Tridentinis Patribus, quam reverentia tanto Sacramento debita, in quo ipse Sanctitatis Author continetur. Æquum enim omnino ac rationi consentaneum est, ut Confessio Sacramentalis, utpote medium perfecta contritione facilius notiusque, perceptioni Eucharistiæ præmittatur ad obtinendam justificationem, dignumque Deo habitaculum præparandum. IV. Ex præcepto Ecclesiastico requiritur, ut qui Eucharistiam percipit, jejunus sit, nisi in casu gravissimæ infirmitatis aut præsentissimo vitæ discrimine, vel quando necessitas urget ad perficiendum Sacrificium ab alio Sacerdote jam inchoatum. Antiquitas Ecclesiastici hujus præcepti ex vetustissimis monumentis comprobatur. Tertull. Lib. II. ad Uxorem, Cap. V. scribit: *Non sciet maritus, quid secreto ante omnem cibum gustes.* Carthaginense III. Cap. XXIX. *Ut Sacramenta Altaris non nisi a jejunis hominibus celebrentur.* S. August. Epist. LIV. alias CXVIII. ad Januarium: *Placuit Spiritui Sancto, ut in honorem tanti Sacramenti, in os Christiani prius Dominicum corpus intraret, quam exteri cibi. Nam ideo per universum orbem mos iste servatur.*

Argumenta contraria refutantur.

Protestantes frustra obtendunt authoritatem Scripturarum.

21. Objicitur I. contra II. Conclusionem, Authoritas Scripturarum. Matth. Cap. IX. ait Christus: *Non est opus valentibus medicus, sed male habentibus.* Atque hac de causa dum in terris nobiscum versaretur, contrectari se permisit etiam a peccatoribus. II. Joan. Cap. VI. v. 33. ipse Christus ait: *Panis qui de cœlo descendit, dat vitam mundo.* Et v. 58. *Qui manducat me, & ipse vivet propter me.* Ergo Eucharistia confert primam gratiam sanctificantem. III.

Matth.

Matth. Cap. XXVI. *Hic est sanguis meus novi testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum.* Resp. ad I. Christus l. c. damnat Pharisæorum superbiam, ostenditque se minime fastidire consortium peccatorum, eoquod salutem omnibus, præcipue peccatoribus allaturus, in hunc mundum venisset: sæpius etiam in Evangelio profitetur, se non venisse vocare justos, sed peccatores. At non loquitur ibi de invitatione ad Eucharistiam, sed de invitatione ad fidem Evangelicam. Tangi se a peccatoribus passus est dum viveret, quia humano more cum hominibus versabatur, & ea conversatio utilis esse poterat peccatoribus: modo autem in Eucharistia non existit more humano, sed per modum cibi utilis tantum sumentibus rite dispositis; nisi velis admittere Eucharistiam Judæis & Infidelibus etiam concedendam esse, quia ab eis Christus in terris taugi se olim permisit. Ad II. N. C. Eucharistia dicitur panis vivificus, non quod mortuis det vitam, sed quod eam in viventibus conservet. Eucharistiam manducans dicitur vivere, sed permanenter, id est, quod sit perseveraturus in statu gratiæ, perceptionem Eucharistiæ præcedente. Ad III. Resp. Christum loqui de cruenta sanguinis effusione, quæ fieri debebat in ejus Passione proxime imminente. Innuebat itaque Christus verbis illis, sanguinem contentum in calice quem tunc habebat in manibus, jam jam in Passione sua Judæorum opera effundendum esse ad delenda hominum peccata.

22. Objic. II. Auctoritas Conciliorum & Ecclesiæ. Florentinum in Decreto pro Armenis dicit, hominem per Eucharistiam incorporari Christo. II. Ecclesia in Missa orat: *Hæc nos communio Domine purget a crimine. Purificent nos quæsumus Domine Sacramenta quæ sumpsimus, Præsta, ut hoc Sacramentum sit ablutio scelerum, sit vivorum atque mortuorum remissio omnium delictorum.* Ergo. Resp. ad I. Florentinum non loqui de incorporatione hominis cum Christo quæ fit per gratiam primam, qua mortalia remittuntur; sed

Conciliorum, & Ecclesiæ.

de

BIBLIOTEKA UNIWERSYTECKA TORUŃ

de ea quæ fit per gratiam secundam, seu per augmentum gratiæ sanctificantis. Dicitur enim l. c. *Et per gratiam homo Christo incorporatur & membris ejus unitur: consequens est quod per hoc Sacramentum in sumentibus digne, gratia augeatur.* Ad II. C. A. N. C. Eucharistia ut Sacramentum remittit venialia, & præservat a mortalibus; at ea semel commissa non delet: ut vero Sacrificium est, habet vim impetrandi remissionem peccatorum etiam mortalium. Hinc verba illa Ecclesiæ intelligenda sunt de Eucharistia ut est Sacrificium. Neque obstat quod in illis precibus Eucharistia dicatur Sacramentum; constat enim quod, Veteres communi nomine Sacrificium & Sacramentum appellarint. Sic S. Aug. Lib. de Sancta Virginitate, Cap. XLV. scribit: *Notum est, quo loco Martyres, & quo defunctæ Sanctimoniales ad Altaris Sacramenta recitentur.* Ubi vides Sacramentum poni pro Sacrificio.

Rationem. 23. Objic. III. Ratio. Eucharistia est simul cibus & pharmacum. Ergo ex institutione sua delet mortalia. II. Ex vi institutionis suæ continet Christum qui peccata quælibet remittere potest. Ergo. R. ad I. N. C. Eucharistia est etiam pharmacum, non quod a mortalibus sanet; sed quia peccata venialia abluit, & præservat a mortalibus, expellitque infirmitates in anima ex mortalibus antea commissis & condonatis relictas. Ad II. N. C. In perceptione hujus Sacramenti ea tantum gratia confertur, quæ per illud significatur, nempe gratia nutriens, quæ proinde supponit vitam spiritualem in suscipiente.

Paritatem 24. Objic. IV. Paritas. Eucharistia delet peccata venialia. Ergo etiam mortalia. II. Status peccati mortalis non impedit quo minus digne suscipiatur Baptismus, aut Sacramentum Pœnitentiæ. Ergo etiam non impedit quo minus digne suscipiatur Eucharistia. Resp. ad I. N. C. Venialia non extinguunt spiritum, sed languorem quemdam ac lassitudinem inducunt. Quemadmodum igitur cibus id proprium habet, ut vires reficiat, & lætitiam atque alacritatem adferat, mortuis vero nihil prodest: ita Euchari-

stia

stia per modum cibi & potus spiritualis instituta delet venialia, quin remittat mortalia quæ occidunt animam. Ad II. Resp. N. C. Disparitas est, quia Baptismus & Pœnitentia instituta sunt ad conferendam gratiam remifsivam mortalium: ac proinde ad conferendam gratiam quæ non supponit mortalia efse jam remifsa; sunt enim Sacramenta mortuorum. At vero Eucharistia instituta est ad dandam gratiam nutritivam; adeoque ad dandam gratiam quæ supponit mortalia jam efse remifsa.

25. Objic. V. Sequela. Si Eucharistia non conferret primam gratiam justificantem, omnes arcendi forent a sacra mensa. Atqui id divinæ institutioni ac præcepto repugnat. Ergo. P. M. Juxta Catholicos nullus est certus se efse in statu gratiæ, & ad Sacramentum hoc, indigne se non accedere. Ergo omnes arcendi forent a sacra mensa, ne periculo sacrilegii exponantur. II. Si requiritur ad Eucharistiæ susceptionem immunitas ab omni peccato gravi, fovetur superbia humana; homo enim dignitatem suam a se ipso peteret, putaretque tam sublime donum se promeruifse. Resp. N. M. Ad *prob.* D. A. Nemo certitudine fidei, aut etiam stricte morali, C. A. Certitudine late tali, negativa, ac probabilitatis, N. A. & Conseq. Periculum illud valdè remotum est: neque Deus certitudinem fidei, aut stricte moralem & positivam de statu gratiæ ab homine exigit, ut licite Eucharistiam percipiat; sed tantum ut homo faciat prius quod in se est, quo liberetur a mortalibus quorum post diligentem sui discufsionem conscientiam habet. Ad II. N. sequelam. Homo Christianus dignitatem suam a gratia Dei petit per Jesum Christum, qui Pastoribus Ecclesiæ potestatem dedit reconciliandi peccatores per Sacramentum Pœnitentiæ. Neque ideo ansa datur Fidelibus existimandi tam insigne donum se promeruifse: non enim requiritur dignitas æqualitatis ac meriti, cum protius in ipso accefsu ad Sacram Communionem quilibet tanto favore indignum se fateatur cum pio Centurione Matth.

Ac sequelas.

Cap.

Cap. VIII. *Domine non sum dignus, ut intres sub tectum meum;* sed dignitas longe minor exigitur, ut quis nimirum gravis peccati conscientiam non habeat.

CONTROVERSIA II.

DE NECESSITATE EUCHARISTIÆ.

AN ET QUOMODO EUCHARISTIA SIT OMNIBUS NECESSARIA?

CONTRA GRÆCOS QUOSDAM RECENTIORES.

Disciplina Ecclesiæ circa parvulorum communionem.

26. Vetus Ecclesiæ consuetudo ad sæculum usque X. aut XI. obtinuit, ut baptizatis illico conferretur Eucharistia, quod hæc effectum Baptismi perficiat, hominemque perfectiori modo Christo inserat. At vero postea, cum parvulorum communio vix peragi posset nisi sub speciebus vini, propter difficultatem infundendi species vini, & periculum effusionis ac irreverentiæ erga Sacramentum, ritus hic in Occidente sensim desiit. Contra in Græca & Orientali Ecclesia antiqua disciplina etiamnum ubique servatur, ut constat ex omnibus Græcorum, Melchitarum, Nestorianorum, aut Jacobitarum, & omnium sive hæreticorum sive Catholicorum, illorum regnorum hodiernis Euchologiis. Quin recentiores quidam Græci, ut Simeon Thessalonicensis Lib. de Sacram. Nicolaus Cabasilas Orat. I. de Vita in Christo, & Jeremias Patriarcha Constantinopolitanus in II. Censura Apologiæ, eo prolapsi sunt, ut intolerabili errore contenderent, Eucharistiæ sumptionem parvulis etiam necessariam esse necessitate medii & præcepti divini. Calvinistæ equidem immunes sunt ab hoc errore; ut vero non imperite inferre videantur, in rebus fidei solam Scripturam esse consulendam omissa traditione, complures ex illis, præcipue Albertinus & Dallæus, asserunt, Augustinum aliosque veteres Ecclesiæ Patres idem cum recentioribus hisce Græcis circa hoc negotium sensisse, atque hac de causa tot sæculo-

Error quorumdam Græcorum.

culorum tractu Eucharistiam simul cum Baptismo parvulis fuisse administratam, ne illi æterna salute exciderent.

Eucharistiæ perceptio, neque parvulis.

27. Conclusio I. Eucharistiæ perceptio parvulis necessaria non est necessitate medii ad salutem obtinendam. Prob. Conclusio hæc dogmatica 1mo Auctoritate Scripturæ, quæ per Baptismum deleri ait omnia peccata, conferri gratiam sanctificantem, & jus acquiri ad cœlestem hæreditatem. Ad Rom. Cap. VIII. *Nihil damnationis est iis, qui sunt in Christo Jesu.* Ad Galat. Cap. III. *Quicunque baptizati estis in Christo, Christum induistis.* Ad Titum Cap. III. *Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis.* I. ad Cor. Cap. VI. *Et hæc quidem fuistis: sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed justificati estis in nomine Domini nostri Jesu Christi.* Prob. II. Auctoritate Patrum, qui unanimi consensu docent in Baptismo conferri gratiam sanctificantem, delerique omnia prorsus peccata, ut ostendimus Tomo VI. Artic. II. de Bapt. Controv. VI. Unus nobis sufficiat Augustinus, qui Epist. XCVIII. alias XXIII. ad Bonifacium scribit: *Tantum valebit* (Baptismus parvulo collatus) *ut si ante rationis usum ex hac vita emigraverit, per ipsum Sacramentum commendante Ecclesiæ charitate, ab illa condemnatione, quæ per unum hominem intravit in mundum, Christiano adjutorio liberetur. Hoc qui non credit, & fieri non posse arbitratur, profecto infidelis est, etsi habeat fidei Sacramentum.* Et Lib. I. de peccat. merit. & remiss. Cap. XIX. *Veruntamen si* (parvulus) *percepto baptismate de hac vita emigraverit, soluto reatu cui originaliter erat obnoxius, perficietur in illo lumine veritatis, quod incommutabiliter manens in æternum, justificatos præsentia Creatoris illuminat.* Prob. III. Auctoritate Tridentini, quod Sess. XXI. Can. IV. ita loquitur: *Siquis dixerit, parvulis, antequam ad annos discretionis pervenerint, necessariam esse Eucharistiæ communionem; anathema sit.* Prob. IV. Ratione Theologica, quam insinuat Tridentinum Sess. XXI. Cap. IV. Parvuli sine Eucharistia justificantur per Bapti-

smum. Ergo cum omnis peccati personalis incapaces sint, e statu gratiæ excidere nequeunt, adeoque Eucharistia non est illis necessaria necessitate medii.

28. Quæres I. An Eucharistia parvulis non sit necessaria necessitate medii saltem in voto? II. An non saltem sit necessaria necessitate præcepti divini? III. An Eucharistia quæ parvulis olim dabatur, contulerit ipsis augmentum gratiæ? Resp. ad I. negative, quia parvuli voti capaces non sunt: & si Ecclesia pro infantibus votum haberet Eucharistiæ, haud dubie illud adimpleret ubi primum opportuna se daret occasio, neque discretionis annos expectaret, ut infantes Eucharistiæ participes faceret. Ad II. Resp. negative; nulla enim præcepta feruntur ratione non utentibus: neque præceptum hoc respectu parvulorum agnoscit Ecclesia. Ad III. Resp. affirmative. Sacramenta enim omnia novæ Legis gratiam conferunt non ponentibus obicem, quem certe non ponebant parvuli, cum tunc essent in statu gratiæ.

Neque adultis, est necessaria necessitate medii ad salutem.

29. Conclusio II. Eucharistia non est adultis necessaria necessitate medii ad salutem obtinendam. Prob. Imo Auctoritate Patrum & Conciliorum. Patres & Concilia ubicunque de necessitate Sacramentorum disserunt, Baptismum & Pœnitentiam dicunt esse simpliciter necessaria, non autem Eucharistiam. Exemplo sit S. Fulgentius, qui a Ferrando Diacono rogatus quid de salute Æthiopis cujusdam sentiendum esset, statim post baptismum demortui antequam Eucharistiam percepisset, his verbis respondit: *Arbitror, Sancte Frater, disputationem nostram præclori Doctoris Augustini sermone firmatam; nec cuiquam esse aliquatenus ambigendum, tunc unumquemque Fidelium corporis sanguinisque Dominici participem fieri, quando in Baptismate membrum corporis Christi efficitur, nec alienari ab eo panis calicisque consortio, etiamsi antequam panem illum comedat & calicem bibat, de hoc sæculo in unitate corporis Christi constitutus abscedat.* Ergo realis Eucharistiæ perceptio non est adultis necessaria necessitate medii ad obtinendam salutem. Prob. II. Auctoritate Ecclesiæ,

quæ pluribus Martyribus religiosum cultum detulit de æterna illorum felicitate secura, quamvis illi Eucharistiam numquam perceperint, utpote per Baptismum Ecclesiam nondum ingressi. Prob. III. Ratione Theologica. Ima est. Adulti justificari possunt sive per Baptismum sive per Pœnitentiæ Sacramentum in re vel in voto susceptum, sicque in statu gratiæ decedere. Ergo salutem consequi possunt absque Eucharistia. II. Eucharistia supponit ex natura sua remissionem peccatorum, ac præviam gratiam in suscipiente: neque per se instituta est ad tollendum, sed præcavendum peccatum. Ergo realis Eucharistiæ susceptio non est necessaria necessitate medii ad salutem.

Sive in se, sive in voto.

30. Quæres. An Eucharistia saltem in voto necessaria sit adultis necessitate medii ad salutem consequendam? Resp. negative, si sermo sit de voto proprie tali & explicito. Si vero intelligatur votum improprie tale & implicitum, nimirum voluntas generalis adimplendi quidquid a Christo est præscriptum, votum hoc necessarium esse dicimus, & semper includitur in charitate perfecta: sed tale votum non tantum Eucharistiam respicit, sed quamlibet etiam rem aliam a Christo præscriptam. Prob. assertio. Jllud solummodo necessarium est necessitate medii ad salutem in voto, quod institutum est a Deo tamquam medium ad justificationem ac peccatorum remissionem obtinendam. Atqui hoc convenit Baptismo tantum & Sacramento Pœnitentiæ, minime autem Eucharistiæ quæ primam gratiam supponit. Ergo.

Ad diu tamen in gratia perseverandum, est necessaria vel in se, vel in voto.

31. Quamvis vero Eucharistia necessaria non sit adultis necessitate medii ad salutem obtinendam: est tamen eisdem necessaria necessitate medii ad perseverandum in statu gratiæ longo aliquo tempore, ita ut sine illa vel in re vel in voto suscepta, justificatus non possit, potentia ad actum reducenda, mortalia omnia longo aliquo tempore vitare. Ratio est Imo. Quia Sacramentum Eucharistiæ per se primo institutum est ad dandam perseverantiam in gratia.

Christus enim Joan. Cap. VI. ait: *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis*, nimirum permanentem diuque perseverantem. Et Tridentina Synodus Sess. XIII. Cap. II. docet, Christum voluisse a nobis sumi Eucharistiam, *tamquam antidotum, quo liberemur a culpis quotidianis, & a peccatis mortalibus præservemur.* Ergo Eucharistia ad diu in gratia perseverandum necessaria est necessitate medii vel in re vel in voto: sicuti Baptismus vel in re vel in voto necessarius est necessitate medii ad acquirendam regenerationis gratiam, & Pœnitentiæ Sacramentum ad eamdem per peccatum grave amissam recuperandam. III. Eucharistia est cibus spiritualis auimæ, ut Chrisus ait Joan. Cap. VI. *Panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita. •• Caro mea vere est cibus &c.* Ergo sicut cibus corporalis ita necessarius est ad conservandam vitam temporalem, ut sine eo vita temporalis diu conservari nequeat: ita Eucharistia ex vi institutionis suæ, ita necessaria est ad conservandam vitam animæ, ut sine illa non possit diu conservari. Porro juxta S. Thomam III. Parte, Quæst. LXXIII. Artic. III. ad II. discrimen inter cibum corporalem & cibum Eucharisticum tantum in eo est, quod sine cibo corporali in re sumpto vita corporis diu conservari nequeat; at vero sine Eucharistia in re sumpta possit diu conservari vita animæ, atque ad hoc sufficiat Eucharistia in voto, quando realis illius sumptio impossibilis est.

32. Ex eo autem quod Eucharistia necessitate medii sit adultis necessaria vel in re vel in voto ad diu perseverandum in gratia, pessime quis inferret, eamdem simpliciter necessariam esse necessitate medii ad obtinendam salutem. Potest enim exempli gratia contingere, ut gravissimorum criminum reus Confessione legitime peracta, statim aut paulo post extinguatur morbo aliquo oppressus, qui impossibilem Eucharistiæ sumptionem ei reddit. Hic exiguo tempore in gratia perseverans utpote paulo ante a Sacerdo-

cerdote expiatus, quamvis nullum habeat explicitum ac proprie tale votum sumendi data occasione Eucharistiam, salutem æternam absque dubio consequetur, quamvis sine Eucharistia vel in re vel in voto non diu esset in gratia perseveraturus.

33. Conclusio III. Adultis ratione utentibus necessaria est Eucharistia necessitate præcepti divini & Ecclesiastici. Prob. I^ma^ pars Conclusionis I^mo^ Authoritate Scripturarum. Joan. Cap. VI. ait Christus: *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Ex quibus verbis S. Innocentius I., S. Augustinus, S. Gelasius, aliique Patres inferunt, Eucharistiam necessariam esse necessitate præcepti divini, ut fideles vitam æternam in se ipsis habeant. II. Ratione Theologica. Eucharistia instituta est a Christo ad vitæ spiritualis conservationem. Ergo cum fideles teneantur jure divino studere conservationi vitæ spiritualis, hoc ipso tenentur etiam jure divino Eucharistiam sumere.

Adultis ratione utentibus Eucharistia est necessaria: et necessitate præcepti divini.

34. Cæterum, divinum hoc Communionis præceptum obligat omnes adultos I^mo^ in articulo mortis. Eucharistia enim est viaticum salutis, & maxime præcipitur pro eo tempore, pro quo usus ejus est maxime necessarius ad finem præcepti assequendum, id est, ad acquirendam gratiam corroborantem adversus hostes animæ, atque intimam cum Christo conjunctionem. II. Etiam aliquoties in vita; quia Christus Eucharistiam instituit ad modum cibi animam nutrientis & reficientis. Ergo voluntas Christi fuit, ut quemadmodum cibus materialis sæpius in vita sumitur ad restaurandas vires corporis; ita etiam ad restaurandas spirituales vires animæ sæpius in vita sumatur cibus Eucharisticus.

35. Prob. etiam II^da^ pars Conclusionis Authoritate Conciliorum. Lateranense IV. Can. XXI. statuit: *Omnis utriusque sexus fidelis postquam ad annos discretionis pervenerit, omnia sua peccata saltem semel in*

Et Ecclesiastici.

anno

anno confiteatur fideliter proprio Sacerdoti, & injunctam sibi pœnitentiam studeat pro viribus adimplere, suscipiens reverenter ad minus in Pascha Eucharistiæ Sacramentum: nisi forte de consilio proprii Sacerdotis, ob aliquam rationabilem causam, ad tempus ab ejus perceptione duxerit abstinendum; alioquin & vivens ab ingressu Ecclesiæ arceatur, & moriens Christiana careat sepultura. Quæ pœna satis arguit, præceptum hoc Ecclesiasticum sub gravi obligare omnes fideles adultos. Tridentinum Sefs. XIII. Can. IX. *Siquis negaverit, omnes & singulos Christi fideles utriusque sexus, cum ad annos discretionis pervenerint, teneri singulis annis saltem in Paschate ad communicandum, juxta præceptum Sanctæ Matris Ecclesiæ; anathema sit.*

Consectaria hujus doctrinæ.

36. Ex his colliges I. Hoc præcepto non obligari infantes, furiosos, ac mente captos nisi lucidum quandoque habeant intervallum: item nec immaturæ ætatis pueros, qui sufficientem non habent rationis usum ad hoc ut cum debita reverentia Eucharistiam pofsint suscipere. II. Eucharistiæ perceptionem aliquoties in vita efse juris divini; tempus autem implendi hanc præcepti divini obligationem, nimirum in Paschate, ab Ecclesia potestate illi a Christo concefsa fuifse determinatum. III. Jllum qui intra Paschale tempus præcepto communionis annuæ non satisfecit, non manere liberum ab illa obligatione pro eo anno: Ecclesia enim præcepto suo communionis, duo præscribit, ut nempe quilibet fidelis adultus semel ad minimum in anno communicet, idque fiat in Paschate. Posterior hæc obligatio elapso tempore Paschali exspirat; prior autem, quæ potifsimum ab Ecclesia intenditur, perseverat, cum adhuc pofsit impleri. IV. Præcepto divino aliquoties in vita, atque etiam in articulo mortis Eucharistiam percipiendi obligari etiam non baptizatos, non quidem ut Eucharistiam sumant ante baptismum; sed ita, ut idcirco baptismum suscipere teneantur, quo pofsint communicare. Ratio est, quia præcepta divina generaliter lata, omnes præcepti capaces obligant. Ergo cum infide-

fideles poſsint præceptum illud implere, si nimirum baptizentur, dicendum est eos præcepto illo divino obligari. Iidem tamen non tenentur præcepto Ecclesiastico communionis in Paschate faciendæ, quia non sunt subditi Ecclesiæ, utpote illam per baptismum nondum ingreſsi. V. Per communionem sacrilegam neque præcepto divino neque Ecclesiastico de sumenda Eucharistia satisfieri. Christus enim præcepit ut Eucharistia sumatur tamquam spiritualis cibus, qui in sumente spiritualem vitam prærequirit: similiter Ecclesia præcipit, ut Eucharistia digne ac fructuose sumatur ad nutriendam & conservandam vitam spiritualem. Ergo qui sacrilege communicat destruit finem a Christo atque ab Ecclesia intentum, ideoque nec divino nec Ecclesiastico præcepto satisfacit. Quando enim Legislator declarat finem quem præcepto intendit, & propter quem rem illam præcipit, tunc non solum res præcepta, sed etiam finis cadit sub præceptum. Hinc ab Innocentio XI. A. 1679. merito proscripta fuit hæc propositio ordine LV. *Præcepto Communionis annuæ ſatisfit per ſacrilegam corporis Domini manducationem.*

Argumenta contraria refutantur.

Euchariſtiam omnibus neceſſariam eſſe neceſſitate medii ad ſalutem, neque Scripturæ docent.

37. Objicitur I. contra I. & II. Conclusionem, Authoritas Scripturarum. Joan. Cap. VI. ait Christus: *Niſi manducaveritis carnem Filii hominis, & biberitis ejus ſanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Ergo Eucharistiæ perceptio parvulis & adultis neceſsaria est neceſsitate medii. P. C. Baptismum parvulis æque ac adultis neceſsarium eſse neceſsitate medii recte ac legitime infertur ex iis Christi verbis Joan. Cap. III. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non poteſt introire in regnum Dei.* Ergo a pari ex verbis illis Christi Joan. Cap. VI. *Niſi manducaveritis &c.* legitime infertur Eucharistiam eſse omnibus neceſsariam neceſsitate medii ad salutem. R. C. A. N. C. Verba illa non significant Eucharistiam neceſsariam

eſse

eſse neceſsitate medii ad ſalutem; sed vel in re vel in voto neceſsariam eſse ad diu perseverandum in gratia: non enim dicitur, *Non introibitis in regnum Dei*, sed, *Non habebitis vitam in vobis*, nimirum permanentem. Eucharistia itaque ad diu in gratia perseverandum adultis tantummodo neceſsaria est, non vero parvulis qui spirituali refectione non indigent, nec e statu gratiæ excidere queunt: ideoque ad solos adultos verba illa direxit Christus. Ad *probat.* C. A. N. C. In ejusmodi Controversiis dirimendis Judex audiri debet Ecclesia, cui Christus Scripturarum interpretationem commisit. Secus inferre quis etiam poterit, lotionem pedum neceſsariam eſse ad salutem quod Christus Joan. Cap. XIII. B. Petro dixerit: *Si non lavero te, non habebis partem mecum.* Jam vero Ecclesia divinitus edocta, verba illa Christi Joan. Cap. III. *Niſi quis renatus fuerit &c.* ita intellexit, ut firmiter tenuerit, parvulos extra casum martyrii, sine baptismo actu suscepto, adultos vero sine illius saltem voto neutiquam salvari poſse. At vero longe aliter judicavit de illis Christi verbis Joannis Capite VI. *Niſi manducaveritis &c.* optime gnara, per fidem haberi poſse vitam æternam, affirmante Christo Joan. Cap. VI. *Qui credit in me, habet vitam æternam.*

Neque Patres.

38. Objic. II. Auctoritas Patrum. S. Innocentius I. Epist. ad Patres Concilii Milevitani, quæ inter Augustinianas est CLXXXII. alias XCIII. scribit: *Illud vero quod eos* (Pelagianos) *veſtra Fraternitas aſſerit prædicare, parvulos æternæ vitæ præmiis etiam ſine baptiſmatis gratia poſſe donari: perfatuum eſt. Niſi enim manducaverint carnem Filii hominis, & biberint ſanguinem ejus, non habebunt vitam in ſemetipſis. Qui autem hanc eis ſine regeneratione defendunt, videntur mihi ipſum baptiſmum velle caſſare, cum prædicant hos habere, quod in eos creditur non niſi baptiſmate conferendum.* S. Augustinus Lib. I. de peccat. merit & remiſs. Cap. XX. eamdem adstruit Eucharistiæ neceſsitatem. *Dominum audiamus dicentem de Sacramento ſanctæ menſæ ſuæ, quo*

nemo

nemo rite nisi baptizatus accedit: Nisi manducaveritis carnem meam, & biberitis sanguinem meum, non habebitis vitam in vobis. Quid ultra quærimus, quid ad hoc responderi potest? -- An vero quisquam etiam hoc dicere audebit, quod ad parvulos hæc sententia non pertineat, possintque sine participatione corporis hujus & sanguinis in se habere vitam? -- Sed qui hoc dicit, non attendit, quia nisi omnes ista sententia teneat, ut sine corpore & sanguine Filii hominis vitam habere non possint, frustra etiam ætas major id curat. Et C. XXIV. *Si ergo, ut tot & tanta divina testimonia concinunt, nec salus nec vita æterna sine baptismo & corpore & sanguine Domini cuiquam speranda est, frustra sine his promittitur parvulis.* Idem scribit S. Gelasius, Augustinianæ doctrinæ vindex acerrimus, Epist. VII. ad Episcopos per Picenum: *Ipse Dominus Jesus Christus cœlesti voce pronunciat: Qui non manducaverit carnem Filii hominis &c. Ubi utique neminem videmus exceptum: nec ausus est aliquis dicere, parvulum sine hoc Sacramento salutari ad vitam æternam posse perduci; sine illa autem vita, in perpetua futurum morte non dubium est.* Ergo juxta hos Patres Eucharistiæ perceptio parvulis, ac multo magis adultis est necessaria necessitate medii ad salutem. Resp. C. A. N. C. S. Augustinus non est intelligendus de manducatione Eucharistiæ Sacramentali, sed mystica ac spirituali, quæ fit in Baptismo. Ibi enim homines velut viva membra corpori Christi uniuntur ac compaginantur, jus acquirunt ad percipiendum Eucharistiæ Sacramentum, & Christum ipsum spiritualiter manducare censendi sunt, ut ipse scribit S. Doctor Tract. XXVI. in Joan. *Hoc est ergo manducare illam escam, & illum bibere potum: in Christo manere, & illum manentem in se habere. Ac per hoc, qui non manet in Christo, & in quo non manet Christus, procul dubio nec manducat spiritaliter carnem ejus, nec bibit ejus sanguinem, licet carnaliter & visibiliter premat dentibus Sacramentum corporis & sanguinis Christi.* Verum Augustini mens perspicue dignoscitur ex Lib. III. de pec-

cat. merit. & remiſs. Cap. IV. *Numquid etiam illud*, (ambiguum est) *quia niſi manducaverint homines carnem ejus, hoc eſt, participes facti fuerint corporis ejus, non habebunt vitam? His atque hujusmodi aliis, quæ nunc prætereo, teſtimoniis divina luce clariſſimis, divina auctoritate certiſſimis, nonne veritas ſine ulla ambiguitate proclamat, non ſolum in regnum Dei non baptizatos parvulos intrare non poſſe, ſed nec vitam æternam poſſe habere præter Chriſti corpus, cui ut incorporentur, Sacramento baptiſmatis imbuuntur?* Itaque disceptatio Augustini disputantis cum Pelagianis affirmantibus, parvulos decedentes sine baptismo habere vitam æternam, est hujusmodi: Ex sacra auctoritate parvuli qui non manducaverint carnem Christi Domini, non habebunt vitam æternam. Ergo parvuli qui non facti fuerint participes corporis Christi Domini, non habebunt vitam æternam. Sed parvuli per baptismum, & ratione baptismi fiunt participes corporis Christi Domini: quandoquidem per baptismum, & ratione baptismi fiunt membra Ecclesiæ, & coalescunt in corpus Ecclesiæ, quæ est mysticum Christi corpus. Ergo parvuli decedentes sine baptismo non habebunt vitam æternam. Porro eadem quæ Augustini, fuit etiam Innocentii ac Gelasii mens & sententia.

Ac S. Thomas, unquam tradiderunt.

39. Objic. III. Auctoritas S. Thomæ, qui III. Parte, Quæst. LXXIII. Artic. III. docet parvulos salvari non poſse sine voto Eucharistiæ. II. Idem III. Parte, Quæst. LXXX. Artic. XI. ad II. aſserit, Eucharistiam adultis tam eſse neceſsariam ad salutem, quam neceſsarius est Baptismus. Atqui hic neceſsarius est neceſsitate medii. Ergo. P. M. S. Doctor scribit loco citato: *Hoc Sacramentum dicitur non eſſe neceſſitatis ſicut baptiſmus, quantum ad pueros, quibus poteſt eſſe ſalus ſine hoc Sacramento, non autem ſine Sacramento baptiſmi; quantum vero ad adultos, utrumque eſt neceſſitatis.* Resp. ad I. S. Thomam loqui tantum de voto improprie sumpto, quod consistit in intentione Ecclesiæ parvulos per baptismum ordinantis ad Eucha-

charistiam, seu parvulos baptizantis ut idonei fiant ad Eucharistiam suo tempore percipiendam: quod reipsa nihil aliud est quam dicere, parvulos salvari non posse sine reali susceptione Baptismi, quem illis Ecclesia per suos ministros confert ex tali intentione; quæ tamen intentio neque necessaria est ad Baptismi valorem, neque ad parvulorum salutem. Ad II. N. A. S. Thomas ait quidem utrumque Sacramentum necessarium esse ad salutem; non tamen eodem modo quantum ad realem susceptionem. Vult itaque S. Doctor loco citato, Baptismum & Eucharistiam adultis necessaria esse ad salutem; sed cum hoc discrimine, quod Eucharistia adultis sit necessaria necessitate præcepti: Baptismus vero necessarius sit necessitate tum medii tum præcepti.

40. Dices. S. Thomas loco citato probat Eucharistiam adultis necessariam esse necessitate præcepti divini ex eo eo capite, quod illis necessaria sit necessitate medii. Ergo. Resp. D. A. Quod illis sit necessaria necessitate medii quantum ad manducationem realem & Sacramentalem, N. A. Spiritualem ac mysticam, C. A. N. C. Ex eo quod spiritualis manducatio Eucharistiæ, quando quis per baptismum Christo incorporatur & vivum ejus membrum efficitur, implicitum votum contineat percipiendi hoc Sacramentum, sitque hæc Spiritualis manducatio absolute necessaria ad salutem consequendam, infert S. Thomas, realem & physicam Eucharistiæ manducationem necessariam esse necessitate præcepti; quia alias implicitum illud votum in spirituali manducatione contentum, frustraneum esset, nisi opportuno tempore impleretur.

Neque ratio.

41. Objic. IV. Ratio. Nemo potest salutem consequi, nisi prius Christo incorporetur. Ergo Eucharistia necessitate medii ad salutem est omnibus necessaria, quia per illam homines Christo incorporantur. Resp. C. A. N. C. Incorporatio hominis cum Christo in Baptismo facta, sufficit ut quis sit membrum Christi, filius Dei adoptivus, adeoque jus habeat

beat ad hæreditatem cœlestem. Perfecta autem illa & completa incorporatio quæ fit per Eucharistiam, non est absolute necessaria ad salutem consequendam.

Aut paritas evincit. 42. Objic. V. Paritas. Nutritio corporalis est necessaria necessitate medii ad conservandam vitam corporis longiori aliquo tempore. Ergo etiam nutritio spiritualis quæ fit per Eucharistiam, necessaria est necessitate medii ad conservandam longiori tempore vitam animæ spiritualem. Resp. C. A. N. C. Nam I^{mo} cibus animæ non sola Eucharistia est, sed etiam oratio, verbum Dei, & actus Christianarum virtutum, quibus vita animæ conservatur. II. Parvuli quamdiu ad usum rationis non pervenerunt, amittere nequeunt vitam animæ. Ergo spiritualis nutritio nullo modo est illis necessaria. III. Alimentum corporale convertitur in substantiam ejus qui nutritur: adeoque nisi re ipsa sumatur, vitam conservare non potest. At vero alimentum spirituale convertit hominem in se ipsum. Porro Christus, qui est alimentum spirituale animarum nostrarum, potest eas sibi unione intima gratiæ sociare, absque reali Eucharistiæ perceptione.

CONTROVERSIA III.

DE COMMUNIONIS NECESSITATE SUB UTRAQUE SPECIE.

CONTRA CALIXTINOS ET PROTESTANTES.

Calixtinorum & Protestantium error. 43. Initio Sæculi XV. tumultuatum fuit a Calixtinis, Husi sectatoribus, seditionis facem subjicientibus Petro Dresdensi, & Jacobello, Misa Bohemiæ Oppido oriundo, quod adempto calice sub una tantum panis specie Eucharistia fidelibus laicis administraretur. Calixtinorum clamores auxere Sæculo XVI. Protestantes. Et Lutherus quidem initio Communionem sub una vel utraque specie ad disciplinam pertinere sensit; scribit enim in declaratione Sermo- *Lutheri inconstantia, & impudentia.*

nis

nis de Eucharistia: *Non dixi, neque consului, nec est intentio mea, ut unus aut aliquot Episcopi propria auctoritate incipiant alicui utramque speciem porrigere, nisi ita institueretur ac præciperetur in aliquo Generali Concilio.* At vero in Assertione Artic. XVI. paulo post sententiam mutavit: *Consultum mihi nunc videtur, ut non modo per Concilium, sed per quamque diœcesin quilibet Episcopus, etiam invito Papa, Christum secutus in Evangelio, rursus utramque speciem laicis daret.* Denique cum se a Generali Concilio damnandum prævideret, incredibili petulantia scribere ausus est Lib. de Formula Missæ: *Siquod Concilium statueret aut permitteret utramque speciem, nos nequaquam utraque uti vellemus; sed in despectum Concilii ejusque statuti aut una aut neutra, & minime utraque uti vellemus, maledicturi universos, qui ex potestate aut statuto Concilii utraque uterentur.* Calvinus Lib. IV. Institut. Cap. XVII. scribit: *Ex diaboli prodiit officina constitutio, quæ dimidiam cœnæ partem meliori populi Dei numero furata est:* putatque non posse aliter quam sub duplici specie hoc Sacramentum ex præcepto Christi suscipi. Luthero & Calvino hac in re suffragantur recentiores quidam Græci Schismatici, quos inter Jeremias Patriarcha CPolitanus, ut patet ex ejus Responsione ad Lutheranos, in qua Cap. X. scribit: *Utriusque speciei participes esse oportere dicitis, & recte dicitis.*

Doctrina Protestantium circa abstemios.

44. Protestantes quidem acerrime contendunt, Communionem sub utraque specie etiam laiois jure divino præceptam esse; Brentius tamen in Apologia pro Confessione Würtembergensi, aliique passim Lutherani fatentur, abstemios posse sub una specie communicare. Calviniani, ut testatur Jllmus Bossuetus in Expositione Doctrinæ Catholicæ, idem de abstemiis decreverunt; dicitur enim Cap. XII. eorum disciplinæ, Tit. de Cœna, Artic. VII. *Iis ministrari debet Cœnæ panis, qui vinum bibere nequeunt; sic tamen ut contemptum abesse protestentur, & quantum poterunt, calicem etiam quam proxime admoveant, quo scandalo omni occurratur.* Verum si communicare sub una tantum specie

cie jure divino prohibitum est, repellendi erunt a Communione abstemii, cum nullus dispensare queat in præcepto divino: Aut si Protestantes hanc sibi potestatem arrogant, cur nefas erit Ecclesiæ Catholicæ justis de causis usum calicis laicis prohibere?

Protestantes accusant Catholicos furti & sacrilegii.

45. Mirum est, quot clamores excitarint Protestantes ob Calicem laicis subtractum. Accusare solent hi Catholicos sacrilegii & furti. Sacrilegii; quod rem sacram aliter usurpent quam oporteat, contra apertam Christi institutionem & mandatum: furti; quia privant laicos altera specie: cumque Christus sub duplici specie panis & vini carnem suam & sanguinem quasi testamento nobis legaverit, illi alteram hæreditatis partem injuste subtrahunt, & sola carne Laicos jubent esse contentos. Addunt, non aliam ob causam abhorrere se a Catholicca Religione, quam quod Laicos excludamus a Communione sub utraque specie.

Catholici accusationis iniquitatem invictis argumentis ostendunt.

46. Catholici facili negotio ab his criminibus se purgant. Ajunt itaque I.mo, aliud esse institutionem divinam, aliud præceptum divinum. Multa esse a Deo instituta, quæ tamen omnibus præcepta non sunt, ut patet in Matrimonio, Ordinibus sacris, prædicatione Evangelii, officio baptizandi, pluribusque aliis hujuscemodi: non enim tenentur omnes ex præcepto divino inire matrimonium, suscipere Ordines sacros, prædicare Evangelium &c. II. Eucharistiam fuisse quidem sub utraque specie a Christo institutam, ut Evangelica diserte testatur Historia; usum tamen utriusque speciei non fuisse omnibus præceptum, cum nullum illius præcepti vestigium in Scriptura extet, nec ipsi adversarii in eo assignando conveniant. Calixtini Hussitæ quærunt præceptum in illis Christi verbis Joan. Cap. VI. *Nisi manducaveritis &c.* Lutherus negat toto illo capite sermonem esse de Sacramento Eucharistiæ, putatque præceptum evinci posse ex illis Christi verbis Lucæ Cap. XXII. *Hoc facite in meam commemorationem.* Calvinus contendit id solis Ecclesiæ ministris dictum fuisse, non vero

ro Laicis; aitque præceptum Communionis sub utraque specie indicari illis Christi verbis Matth. Cap. XXVI. *Bibite ex hoc omnes.* III. Eucharistiæ sub utraque specie sumptionem solis Sacerdotibus actu sacrificantibus necessariam esse. Præterquam enim quod Ecclesia in nullo umquam casu Sacrificium offerri absque specie utraque passa fuerit; cum Christus sit Sacerdos secundum ordinem Melchisedech, qui Gen. Cap. XIV. panem & vinum obtulisse dicitur, in una specie non habetur perfecte & integre Sacrificii ratio. Etenim Eucharistia ùt Sacrificium, significat Christi passionem, cum sit imitatio quædam Sacrificii in Cruce peracti: sola autem species panis non repræsentat exacte Christum ut mortuum, nisi ex altera parte conspiciatur sanguis ut effusus: & similiter sola species vini non repræsentat sufficienter Christum ut immolatum; non enim solus sanguis est victima. IV. sub una specie non minus contineri totum Christum quam sub utraque: sub specie panis quidem contineri solam carnem vi Sacramenti, reliqua vero per naturalem concomitantiam: contra sub specie vini contineri solum sanguinem vi Sacramenti, reliqua vero per concomitantiam. Ratio hujus est, quia ut Apostolus scribit ad Rom. Cap. VI. *Christus resurgens ex mortuis jam non moritur, mors illi ultra non dominabitur.* V. Si æqualis sit sumentis dispositio, æqualem percipi gratiam Sacramenti, saltem illam quæ ad salutem necessaria est, ex una specie ac ex utraque; quia totus & integer Christus, Fons omnium donorum supernaturalium, etiam sub una tantum specie continetur: & Christus ipse cum de fructu Eucharistiæ loquitur, eumdem effectum tribuit uni speciei quem utrique Joan. Cap. VI. *Siquis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum.* VI. Sacramenti totam rationem & substantiam in unica specie salvam esse. Sacramentum enim Eucharistiæ in unica specie v. g. panis efficit & significat illud omne, ad quod efficiendum & significandum est destinatum: efficit; quia tota virtus Sacramenti, quæ a Christo profluit,

in

in unica specie reperitur, cum illa totum & integrum Christum contineat: significat; quia unica species denotat unionem fidelium, tum inter se, tum cum capite suo Christo, præsentem Christum, ejus mortem & paſsionem, ac refectionem animæ spiritualem. Etenim in spirituali refectione non distinguitur cibus & potus; sed una eademque res & nutrit, quod est cibi officium, & refrigerat sive exhilarat mentem, quod est officium potus. Denique ajunt VII. Christum reliquiſse quidem nobis carnem suam & sanguinem per modum cibi ac potus; sed negant reliquiſse nobis ea per modum hæreditatis testamentariæ. Et sane hæreditas nobis promiſsa, non est Eucharistia, sed vita æterna, juxta illud ad Titum Cap. III. *Ut juſtificati gratia ipſius, hæredes ſimus ſecundum ſpem vitæ æternæ.* Et ad Hebr. Cap. IX. *Ut repromiſſionem accipiant, qui vocati ſunt, æternæ hæreditatis*; neque usquam in Scripturis legimus nos eſse hæredes Eucharistiæ, sed vitæ æternæ. Et quemadmodum manna in veteri Testamento non erat hæreditas promiſsa, sed cibus & viaticum quo reficiebantur Hebræi in terram promiſsionis proficiscentes: ita Eucharistia, cujus figura fuit manna, non est hæreditas, sed cibus & viaticum quo reficimur in itinere, dum tendimus ad vitam æternam quæ nostra hæreditas est.

Et merito idem crimen Proteſtantibus exprobrant.

47. Ex quibus facile colligitur, Catholicos sacrilegii, furti, ac violati testamenti perperam insimulari a Protestantibus. Non enim sacrilegi sunt, quia nullum extat Christi præceptum de utraque specie Laicis porrigenda. Nullum furtum aut detrimentum hic intervenit; quia Eucharistia sub unica etiam specie v. g. panis totam habet Sacramenti substantiam ac rationem, totum ac integrum continet Christum, nec minorem fructum percipiunt Laici ex una quam ex utraque specie. Non violant testamentum Christi; quia vitam æternam, quæ sola nostra hæreditas est, totam atque indivisam omnibus optant ac precantur. At vero habent Catholici quod merito Protestantibus exprobrent: Calvinianis, quod carnem & sanguinem Chri-

Christi tollant e Sacramento, totaque ut ipsi vocant hæreditate dissipata, præter nudas tabulas Laicis nihil relinquant: Lutheranis vero, quod non viventem & integrum Christum, sed mortuum & dissectum legatariis distribuant, ejusque dimidiam partem sub specie panis, reliquam sub specie vini seorsim sumi a Laicis arbitrentur: Utrisque autem, quod per Ministros legitima potestate destitutos suis non corpus & sanguinem Domini, sed materialem tantum panem vinumque, omni spirituali virtute atque efficacia vacuum administrent.

Nullum extare præceptum divinum Communionis sub utraque specie, ostenditur ex Scripturis.

48. Conclusio I. Nullum extat divinum præceptum, quo Laici, & Clerici non conficientes, obligentur ad Eucharistiam sub utraque specie sumendam. Prob. Conclusio hæc dogmatica Imo Auctoritate Scripturæ, ex qua præter argumentum negativum, quod hoc præceptum ab Adversariis ostendi nequeat, triplex argumentum positivum instruitur. Ac Imo quidem Christus promisit gratiam sanctificantem suscipientibus Eucharistiam sub sola specie panis Joan. Cap. VI. *Siquis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum: & panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita. - - - Qui manducat me, & ipse vivet propter me. - - Qui manducat hunc panem, vivet in æternum.* Ergo Laici non tenentur jure divino communicare sub utraque specie; alias communicantes sub una tantum specie peccarent graviter, adeoque non vitam sed mortem haurirent. Porro locum illum Joan. Cap. VI. intelligendum esse de Eucharistiæ Sacramento ostendemus Controversia VII.

49. II. Christus ipse duobus Discipulis in Emmaus sub sola specie panis Eucharistiam porrexit. Lucæ Cap. XXIV. *Et factum est, dum recumberet cum eis, accepit panem, & benedixit, ac fregit, & porrigebat illis. Et aperti sunt oculi eorum, & cognoverunt eum: & ipse evanuit ex oculis eorum.* Hunc locum intelligendum esse de pane Eucharistico asserunt S. Hier. in Epitaphio Paulæ ad Eustochium. S. Aug. Lib. III. de Consensu Evangelist. Cap. XXV. Hesychius Jero-

 sol.

sol. Lib. II. in Levit. Cap. IX. Ven. Beda, Euthymius, Theophilactus, Walafridus Strabo, aliique Scripturarum Interpretes in hunc locum. Satis etiam id innuere videtur ipse divinæ Scripturæ contextus: unde enim aperti sunt discipulorum oculi? certe non ex peculiari modo frangendi panem, sed ex sumptione panis Eucharistici. Et quamvis Protestantibus daretur, locum illum non omnes omnino Patres intellexiſse de pane Eucharistico; fateri tamen coguntur, antiquorum Patrum, Hieronymi, Augustini, aliorumque sententiam fuiſse, quod Eucharistia sub unica specie licite administrari & suscipi queat. Quod si dicant non eſse verisimile, quod Christus panem absque calice consecrarit, adeoque in fractione panis per synecdochem intelligi totum Sacramentum sub utraque specie. Resp. N. A. Christus enim ibi non obtulit Sacrificium, sed tantum Eucharistiam sub speciebus panis discipulis administravit. Porro synecdoche illa absque ratione confingitur; Scriptura enim ita conjungit distributionem panis benedicti cum Domini receſsu, ut nullum relinquat locum benedicendo & porrigendo calici.

50. III. Tempore Apostolorum usurpatam fuiſse a Laicis unicam speciem testatur Scriptura. Act. Cap. II. dicitur: *Erant autem perſeverantes in doctrina Apoſtolorum, & communicatione fractionis panis, & orationibus.* Et Act. Cap. XX. *Una autem Sabbathi cum conveniſsemus ad frangendum panem, Paulus diſputabat cum eis, profecturus in craſtinum, protraxitque ſermonem uſque ad mediam noctem.* Atque hic agi de Eucharistia fatentur ipsi etiam Protestantes. Ergo communio sub utraque specie jure divino non præcipitur. Nihil hic habent adversarii quod reponant, quam S. Lucam in fractione panis per synecdochem intellexiſse totum Sacramentum. Verum si sola conjectura sufficit, dici etiam poterit Christum in deserto non solum panes, sed aliquot etiam vini cados multiplicaſse. Ergo id sine fundamento aſserunt Protestantes, præsertim cum S. Lucas in Historia Apostolica ter agat de

de usu Eucharistiæ, neque umquam meminerit nisi unius tantum speciei.

Ex usu ac disciplina veteris Ecclesiæ.

51. Prob. II. ex usu ac disciplina veteris Ecclesiæ. Primis jam Ecclesiæ temporibus, quamvis ultro fateamur Eucharistiam sæpe fuisse Laicis administratam sub utraque specie; sæpe tamen etiam sub unica tantum specie fuit data, contradicente & conquerente nemine. Ergo nullum extat divinum præceptum, quo fideles omnes obligentur ad Eucharistiam sub utraque specie sumendam; alias primitiva etiam Ecclesia in re tanti momenti errasset, quod salvis Christi promissionibus dici nequit. Prob. Ant. 1mo ex Communione infirmorum. Eusebius Lib. VI. Hist. Eccles. Cap. XLIV. narrat, Serapionem quemdam in extremis positum misisse de nocte puerum ad Presbyterum, ut ab eo Eucharistiam perciperet; Presbyterum vero ægrotantem, cum ipse venire non potuisset, misisse ad Serapionem per eundem puerum *Exiguam Eucharistiæ partem*, ac jussisse ut madefactam, seu ut vertit Valesius, *in aqua intinctam seni in os instillaret, qua ille paulatim absorpta continuo animam exhalavit.* Paulinus Diaconus in Vita S. Ambrosii narrat, S. Honoratum Vercellensem Episcopum, cum in superiori tabulato decumberet, cœlesti voce de nocte adnonitum fuisse, ut cito descenderet, & Ambrosio jam morituro subveniret. *Qui descendens obtulit Sancto Domini corpus; quo accepto, ubi glutivit, emisit Spiritum.* Græci feria V. Majoris hebdomadæ panem consecrant, consecratumque Christi sanguine leviter humectant; utque per annum a corruptione immunis servari queat, omnem humorem exprimunt, sacro disco ignem subjicientes. Panem hunc in exiguas particulas comminutum cum ægrotis porrigunt, vino communi eum perfundunt & humectant, ut facilius a moribundo deglutiri queat. Ita Goarius in suis ad Rituale Græcorum notis, & Arcudius Lib. III. de Concordia Ecclesiæ Occidentalis & Orientalis Cap. LV. & LVI.

Nimirum ex Communione infirmorum.

Ex communione Parvulorum. 52. Prob. idem Ant. II^{do}, ex Communione parvulorum. Antiqua Ecclesia innocentibus parvulis sæpe Eucharistiam distribuit sub speciebus panis, quæ ex publica fidelium Communione supererant, ut testantur Evagrius Lib IV. Hist. Eccles. Cap. XXXVI. Nicephorus Lib. XVII. Cap. XXV. Matisconense II. A. 585. Can. VI. Atque infantibus baptizatis sæpe tantum sub specie vini, ut hodiedum etiam teste Leone Allatio in Adnotationibus de Communione Orientalium, apud Græcos observatur, & ex Tractatu S. Cypriani de Lapsis luculenter constat, ubi de infantula, quam nutrix nescia matre contaminaverat infundendo ori ejus de idolothytis panem vino mixtum, postea in Ecclesiam delata sic refert S. Doctor: *Ubi solemnibus adimpletis calicem Diaconus offerre præsentibus cœpit, & accipientibus cæteris locus ejus advenit; faciem suam parvula instinctu Divinæ Majestatis avertere, os labiis obturantibus premere, calicem recusare: Perstitit tamen Diaconus, & reluctanti licet de Sacramento calicis infudit. Tunc sequitur singultus & vomitus. In corpore atque ore violato Eucharistia permanere non potuit.* Suspicantur hic Protestantes datum fuisse puellæ huic a Diacono panem cum vino, aut saltem panem vino intinctum. At frustra sunt; Communionis enim intinctæ usus ætate S. Cypriani plane fuit incognitus: & si puella panem Eucharisticum sumpsisset, eum statim evomuisset sicut & vinum; siquidem vomitus ille non ex horrore & fuga vini, sed ex miraculo contigit.

Ex domestica. 53. Prob. idem Anteced. III. ex domestica fidelium Communione sub una tantum specie. Solebant primis sæculis fideles Eucharistiam domum deferre, atque ibi pro sua opportunitate sumere, ut Patres aperte testantur. Tertull. Lib. II. ad Uxorem, Cap. V. ait: *Non sciet maritus, quid secreto ante omnem cibum gustes; & si sciverit, panem non illum esse credet, qui dicitur.* S. Basilius Epist. CCLXXXIX. ad Cæsariam Patriciam: *Illi omnes, qui per eremos vitam monasticam instituunt, ubi copia non suppetit Sacerdotis, cum*

habeant

habeant domi communionem, de suis manibus illam percipiunt. Alexandriæ autem & per Ægyptum unusquisque etiam de plebe, ut plurimum habet domi suæ communionem. - - - Nam & in Ecclesia ipse Sacerdos partem aliquam in manus tradit, & illam apprehendit qui percipit cum omni libera potestate, atque ita suis propriis manibus eamdem suo ori admotam ingerit. S. Cyprianus in Tract. de Lapsis scribit: *Cum quædam* (mulier) *arcam suam, in qua Domini Sanctum fuit, manibus indignis tentasset aperire, igne inde surgente deterrita est, ne auderet attingere. Et alius qui & ipse maculatus, Sacrificio a Sacerdote celebrato, partem cum cæteris ausus est latenter accipere, Sanctum Domini edere & contrectare non potuit; cinerem ferre se apertis manibus invenit.* S. Aug. Serm. CCLII. de Tempore, nunc CCXXIX. inter rejectos in Appendicem: *Omnes viri quando communicare desiderant, lavant manus suas: & omnes mulieres nitida exhibent linteola, ubi corpus Christi accipiant.* Quod autem fideles soliti fuerint unam tantum speciem deferre & conservare, patet tum ex eo quia citati Patres unius tantum speciei meminerunt: tum quia plerique non nisi de unica specie intelligi possunt. Quis enim credat, sanguinem Christi sub speciebus vini a fidelibus perlatum esse in manibus, aut absconditum in arca vel linteolo? Adde, quod S. Athanasius Apologia II. contra Arianos diserte affirmet, nullum calicem aut poculum mysticum alibi reperiri potuisse, nisi in Ecclesia. Protestantes respondent, se non disputare de privata, sed de publica communione, & privatam illam fuisse idiotarum abusum, ab Ecclesia postea proscriptum. Reponunt Catholici: Si communio sub una specie licita & usitata fuit in privatis Laicorum domibus, certe divino præcepto prohibitam non esse publicam etiam communionem sub una tantum specie. Quod enim simpliciter a Deo prohibitum est, nec privatim nec publice recte fieri potest. Alterum quod attinet, ajunt privatam communionem a Patribus commendatam fuisse, adeoque inter abusus idiotarum minime referri

posse.

posse. Proscriptam equidem fuisse illam in Hispaniis a Cæsaraugustana & Toletana I. Synodis, non quia de se mala fuerit; sed ob Priscillianistas, qui ut se Catholicos simularent, fidelium Synaxibus se immiscebant ac sacram cum illis accipiebant Eucharistiam, quam postea secreto impie abjiciebant: Denique post plura sæcula ob varios abusus in tota Ecclesia fuisse abrogatam.

Et publica fidelium Communione sub una tantum specie.

54. Prob. idem Anteced. IV. ex publica Laicorum Communione sub una specie. Jam a primis Ecclesiæ sæculis Eucharistiam sæpe sub una tantum panis specie in publicis etiam conventibus distributam fuisse certissimis monumentis constat. Utque a Latina Ecclesia initium ducamus, S. Hieron. Epist. XXII. ad Eustochium scribit, Romæ quasdam fuisse virgines ita abstemias, ut in ipsis Mysteriis speciem vini non sumerent, ac propterea a maledicis Manichæas fuisse vocatas; Manichæi enim teste Augustino Lib. de Hæres. Cap. XLVI. etiam in sumptione Eucharistiæ ab usu calicis abstinebant, quod vinum, utpote juxta ipsos fel Principis tenebrarum, omnibus execrationibus detestarentur. Temporibus S. Leonis M. Manichæi relicta Africa, quam Gensericus Vandalorum Rex depopulabatur, Romam perfugii causa se contulerunt. S. Leo Serm. IV. de Quadrag. Romanum populum docuit, quo indicio latitantes Manichæi detegi possent, jussitque eos notari qui semper abstinerent a calice: *Cum ad tegendam infidelitatem suam nostris audeant interesse Mysteriis; ita in Sacramentorum communione se temperant, ut interdum tutius lateant: ore indigno corpus Christi accipiunt, sanguinem autem redemptionis nostræ haurire omnino declinant. Quod ideo vestram volumus scire Sanctitatem, ut vobis hujuscemodi homines & his manifestentur indiciis, & quorum deprehensa fuerit sacrilega simulatio, notati & proditi a Sanctorum societate Sacerdotali authoritate pellantur.* Ex quibus verbis manifeste colligitur, Romanos modo sub una modo sub utraque specie Eucharistiam percepisse; secus non longa observatione opus fuisset, ut deprehendi

possent

posſent Manichæi, quos vel unica communio insolens, sub sola panis specie contra Christi præceptum & constantem fidelium morem usurpata, statim prodidisſet. S. Gelasius Papa XL. annis Leone posterior, cum cerneret Manichæos difficulter a cæteris fidelibus unam dumtaxat panis speciem sæpe sumentibus poſse secerni, ad præcludendam illis omnem fraudis & effugii viam solemni lege sancivit, ut quotquot ad sacram mensam deinceps accederent, utramque perciperent speciem. Fulbertus Carnotensis in Epist. ad Finardum scribit, sua ætate, id est, sæculo X. ad finem vergente, vel initio sæculi XI. suos comprovinciales Episcopos approbaſse ritum, qui tunc temporis vigebat, ut nempe Episcopus Presbytero recens ordinato Eucharistiam sub una panis specie per XL. dies porrigeret in memoriam XL. dierum, quibus Christus post gloriosam suam Resurrectionem cum Apostolis conversatus est.

Idem de Græca Ecclesia ostenditur ex Sozomeno.

55. In Græca etiam Ecclesia liberum olim fuiſse sub una vel utraque specie communicare, evincitur ex Sozomeno Lib. VIII. Hist. Eccles. Cap. V. & Nicephoro Lib. XIII. Hist. Eccles. Cap. VII. ubi narratur fœminam quamdam Macedonianam cum vellet hæresin suam tegere, accepiſse in manus, S. Chrysostomo Sacrum faciente, panem Eucharisticum, quasi paulo post illum manducatura eſset; sed clam illum dediſse ancillæ suæ, & ab ea sumpsiſse panem communem quem e domo afferri juſserat, ut illum loco Eucharistiæ publice comederet. Verum panem illum, dum fœminæ dentibus atterebatur, in lapidem fuiſse mutatum, qui ad fidem miraculo faciendam longo tempore inter Ecclesiæ CPolitanæ donaria aſservatus est. Porro huic mulieri datum non fuiſse calicem manifeste patet, tum qood nulla ejus mentio fiat: tum quia si omnes coacti fuiſsent sumere de calice, non potuiſset illa mulier diſsimulare suam fraudem; calix enim non dabatur communicantibus in manum, sed a Diacono eorum ori admovebatur.

46. Al-

Et Missa præsanctificatorum.

46. Alterum hujus rei exemplum suppeditat Missa præsanctificatorum, quæ in Orientali Ecclesia tempore Quadragesimæ adhuc viget. Solent nimirum Græci per Quadragesimam solis tantum diebus Sabbathi & Dominicis, ac festa luce Annuntiationis Deiparæ, Sacrificium Missæ offerre, Eucharistiam sub gemina specie conficiendo; reliquis vero diebus, omissa consecratione, sumunt speciem panis in ultimo Sacrificio consecrati, absque speciebus vini, quemadmodum apud Latinos moris est die Parasceves, atque ideo Missam præsanctificatorum vocant. Hac de re sic olim statuit Trullana Synodus Can. LII. *In omnibus sanctæ Quadragesimæ jejunii diebus, præterquam sabbatho & Dominica, & sancto Annuntiationis die, fiat Sacrum præsanctificatorum ministerium.* Populum autem ex eodem pane præsanctificato absque sanguine Christi sub speciebus vini communicasse testantur eorum Euchologia, fatenturque Goarius, Leo Allatius, & Petrus Arcudius. Ex quibus patet, Græcos, quamvis extra Quadragesimæ tempus Eucharistiam sub utraque specie percipiant, numquam existimasse, fideles præcepto divino obligari ad communionem sub utraque specie.

Miseræ Protestantium exceptiones.

57. Protestantes reponunt I^mo^. Græcos in Missa præsanctificatorum panem madefacere sanguine Christi. II^do^. Pani consecrato superinfundi vinum, quod consecratur præsanctificatæ oblationis contactu. Verum Resp. ad I. Græcos tingere quidem sanguine Domini species panis reservandas pro Missis præsanctificatorum; sed statim eas exsiccare supponendo ignem sacro disco, ut ne minimum quidem specierum vini vestigium maneat: hinc falso dicitur, panem præsanctificatum sumentes utramque speciem recipere. Præterea hic ipse ritus species pani tingendi sanguine Domini, qui nunc a Græcis adhibetur, minime antiquus est, ut patet ex Can. CI. Trullanæ Synodi, ubi statuitur Eucharistiam esse dandam in manus fidelium, quod sane ostendit species panis non fuisse madidas sanguine Domini: tum etiam ex schismatis instaura-

stauratore Michaele Cerulario Patriarcha CPolitano, qui in Libro in defensionem præsanctificatorum a se scripto Sæculo XI. diserte ait, nullam in panibus reservatis infundi guttam sacri sanguinis. Ad II. Resp. conversionem vini in sanguinem Christi non per contactum Eucharistiæ, sed per sola Christi verba fieri, quæ nomine ejus profert Sacerdos consecrans: unde vinum non consecratum speciebus panis infusum, solam quamdam sanctificationem exteriorem obtinere potest.

Denique nullum hac de re extare præceptum divinum docent Concilia.

58. Prob. III. Auctoritate Conciliorum. Constantiense Sefs. XIII. ait: *Unde cum hujusmodi consuetudo* (communicandi sub una tantum specie) *ab Ecclesia & Sanctis Patribus rationabiliter introducta, & diutissime observata sit, habenda est pro lege, quam non licet reprobare, aut sine Ecclesiæ auctoritate pro libito mutare: quapropter dicere, quod hanc consuetudinem aut legem observare sit sacrilegum, aut illicitum, censeri debet erroneum, & pertinaciter asserentes oppositum præmissorum, tamquam hæretici arcendi sunt.* Ergo non datur præceptum divinum Eucharistiam sub utraque specie sumendi; secus consuetudo ab Ecclesia introducta sub una tantum specie communicandi, impia foret omnino atque irrationabilis. Tridentinum Sefs. XXI. Can. I. *Si quis dixerit, ex Dei præcepto, vel necessitate salutis, omnes & singulos Christi fideles utramque speciem Sanctissimi Eucharistiæ Sacramenti sumere debere; anathema sit.* Et Can. III. *Si quis negaverit totum & integrum Christum omnium gratiarum fontem & authorem, sub una panis specie sumi, quia, ut quidam falso asserunt, non secundum ipsius Christi constitutionem sub utraque specie sumatur; anathema sit.*

Ecclesia potuit laicis Communionem præscribere sub sola panis specie.

59. Conclusio II. Ecclesia præcipere potuit, & justis de causis præcepit Fidelibus laicis communionem sub unica specie, nimirum sub specie panis. Prob. I^ma^ pars Conclusionis. Ecclesia potest ordinare & præscribere ea quæ non pertinent ad substantiam Sacramentorum, nec sunt jure divino ordinata. Atqui ritus communicandi sub una vel utraque spe-

cie non est jure divino præscriptus, ut paulo ante ostendimus: neque pertinet ad substantiam Eucharistiæ, cum illa etiam sub unica tantum specie sit verum ac perfectum Sacramentum, & totum atque integrum Christum contineat. Ergo. P. M. Ut enim docet Tridentinum Sess. XXI. Cap. II., hæc potestas perpetuo in Ecclesia fuit, ut in Sacramenrorum dispensatione, salva illorum substantia, statueret vel mutaret, quæ suscipientium utilitati, seu ipsorum Sacramentorum venerationi, pro rerum, temporum, & locorum varietate magis expedire judicaret. Atque hanc potestatem Ecclesia Christi semper exercuit; hæc enim præscripsit, ut Eucharistia ante omnem cibum sumeretur: item aliquando jussit parvulos & adultos trina mersione, & aliquando justa causa ritum contrarium postulante, jussit eos una mersione, atque etiam sola infusione baptizari. Ergo.

Et justissimis de causis ita statuit.

60. Prob. II. pars Conclusionis I^mo^ Auctoritate Tridentini, quod Sess. XXI. Can. II. ita definit: *Siquis dixerit, Sanctam Ecclesiam Catholicam non justis causis & rationibus adductam fuisse, ut Laicos atque etiam Clericos non conficientes, sub panis tantummodo specie communicaret, aut in eo errasse; anathema sit.* Prob. II. afferendo rationes, quibus Ecclesia permota est, ut usu calicis fideles laicos & Sacerdotes non celebrantes interdiceret. I^ma^ itaque ratio fuit periculum irreverentiæ erga Sanctissimum Sacramentum. Fieri etenim vix potest in tanto fidelium numero ad sacram mensam accedentium, quin calix uniuscujusque labiis quantalibet dexteritate admotus, aliquantisper effluat, aut barbæ & vestibus adhæreat; atque ita profanationi sanguis nostræ redemptionis exponatur. Sed majori adhuc periculo exposita foret delatio Dominici sanguinis ad loca distantiora; valde enim metuendum esset, ne subito ferentis lapsu sanguis Domini effundatur, aut calix etiam coram infirmo minus caute tractatus subvertatur. Præterea neque magno careret periculo Dominici sanguinis conservatio; contingere enim facile potest, ut species vini ad paucos

etiam

etiam dies conservatæ acescerent, ac penitus destruerentur: quæ corruptio in conservatione specierum panis non tam facile metuenda est IIda ratio fuit inopia vini, non solum in regionibus Septemtrionalibus, aliisque, in quibus vinum non crescit; sed etiam in plerisque pagis regionum vini feracium, ob tenuitatem & paupertatem incolarum. III. Multitudo abstemiorum, eorum scilicet qui vini odorem & saporem ferre nequeunt. IV. Horror quem multi persentiunt, ex eodem vase aut eodem calamo cum aliis bibendi, metuentes ne aut contagioso morbo inficiantur, aut sordes a vilibus hominibus contrahant, fœtidosque halitus excipiant. Atque ex hoc præcipue capite existimo, fideles propria sponte, & nulla præeunte lege Ecclesiastica, jam ante plura sæcula a calice abstinuiſse. Vta ratio ab eo petitur, quod Ecclesia in hoc unitatis Sacramento uniformitatem fidelium procurare voluerit, eorumque devotioni consulere. At si ab omnibus & singulis sumendus eſset calix, multi a Communionis frequentia retardarentur, tum propter vini penuriam & raritatem, tum propter horrorem & nauseam calicis, saliva & populi sordibus inquinati &c.

61. Quæres I. An Ecclesia Catholica etiam Græcis communionem sub utraque specie prohibuerit? II. An Ecclesia his temporibus poſsit calicis usum Laicis concedere? III. An expediat illum concedere ob querelas Protestantium, bono pacis & amore unitatis? Resp. ad I. Ecclesiasticum præceptum communicandi sub sola specie panis ad Græcos non pertinere: unde etiam Romæ in Ecclesia sui ritus Eucharistiam sub utraque specie sumunt. Ad II. Resp. affirmative. Quemadmodum enim calicis usum initio omnibus conceſsit, deinde prudenter illum subtraxit: ita justis de causis, ac ceſsante ratione prohibitionis, ejusdem usum restituere potest, cum Ecclesia pleniſsimam habeat potestatem justis de causis ea mutandi quæ ad eſsentiam Sacramentorum non pertinent. Hinc quibusdam etiamnum sub utraque specie commu-

municare conceditur Ecclesiæ indulgentia singulari, ut Galliarum Regibus die qua inaugurantur: Diacono & Subdiacono Ecclesiæ S. Dionysii prope Parisios, & Ministris Altaris in Ecclesia Monasterii Cluniacensis, singulis Dominicis diebus, & festis. Ad III, Resp. negative. Causa enim separationis ab unitate Catholica non est sola pristinæ consuetudinis abolitio, sed pravitas dogmatum, & pertinacia doctrinæ, integrum Christum sub una specie negantis. Tentavit equidem Ecclesia, num hujusmodi indulgentia ad meliorem frugem reduci posſent Protestantes. Ad repetitas enim Ferdinandi I. Imperatoris preces Pius IV. A. 1564. Episcopis Germaniæ facultatem dedit deputandi Sacernotes, qui servatis quibusdam conditionibus, fidelibus laicis Communionem sub utraque specie administrarent. At id ipsum contigit apud Germanos, quod olim apud Bohemos & Moravos temporibus Basileensis Concilii, ut nimirum in errore pertinaciores fierent; adeo ut S. Pius V. anno vix elapso coactus fuerit quidquid circa hanc rem Pius IV. permiserat, revocare, præcipiens sub pœna excommunicationis, ut Decretum Communionis sub una specie panis ab omnibus inviolabiliter servaretur.

Argumenta contraria refutantur.

Scriptura non favet Calixtinis.

62. Objicitur I^mo^ contra I^mam^ Conclusionem ab Husſitis Calixtinis locus ille Joan. Cap. VI. Christus ibi ait: *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, & biberitis ejus ſanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Ergo communio sub utraque specie neceſsaria est jure ac præcepto divino. Antequam respondeam, observo locum hunc a Protestantibus afferri contra nos non poſse, eoquod ipsi sentiant verba illa intelligenda eſse de manducatione fidei, non oris. Resp. C. A. N. C. Nam I^mo^ quando fideles Eucharistiam percipiunt sub specie panis, manducant carnem Christi, simusque bibunt ejus sanguinem, non quidem sub speciebus vini, sed solius panis, quia corpus & sanguis

guis per concomitantiam simul continentur sub una specie. Neque illud *Biberitis*, evincit necefsitatem sanguinis bibendi proprie ac stricte, & sub specie propria, nimirum vini: Scriptura enim manducationem & potum sæpe pro eodem sumit, ut v. g. I. ad Cor. Cap. IX. *Quis pascit gregem, & de lacte gregis non manducat?* Psal. LXVIII. *Dederunt in escam meam fel.* II^do^. Hoc Christi præceptum non importat modum sumendi utramque speciem divisim, sed necefsitatem rei sumendæ, nempe Eucharistiæ, inculcat. Occasio enim & ratio movens Christum ad illa verba proferenda, fuit incredulitas litigantium inter se Capharnaitarum, ac inter se dicentium Joan. Cap. VI. *Quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum?* At Capharnaitæ non de modo sumendi sub una specie vel duabus, sed de re sumenda, scilicet carne Christi litigabant. III. Particula *Et* ibi posita, *Nisi manducaveritis & biberitis*, non est conjunctiva, sed disjunctivæ *Vel* æquivalet, ita ut sensus sit: Si neque manducaveritis, neque biberitis. Constat enim ex Scripturis particulam *Et* sensum quandoque disjunctivum habere. Sic v. g. Exodi Cap. XXI. in Hebraico textu legitur: *Qui percußerit Patrem & Matrem, morietur.* Quæ sane in sensu disjunctivo accipienda sunt, atque ab Ecclesia in Vulgata nostra accipiuntur; neque enim necefse est, ut quis utrumque parentem percutiat, quo reus mortis censeatur. Actuum Cap. III. dicitur: *Argentum & aurum non est mihi.* Id est, neque argentum neque aurum habeo. Et profecto vel sumptionem Eucharistiæ sub utraque specie non præcipi, vel particulam *Et* æquivalere particulæ *Vel*, manifeste colligitur tum ex verbis Christi, qui de unica specie panis ait Joan. Cap. VI. *Qui manducat hunc panem, vivet in æternum:* tum ex sensu primitivæ Ecclesiæ, quæ non raro, ut late ostendimus in probatione, communionem distribuit sub unica tantum specie.

Nec Lutheranis.

63. Objicitur II. a Lutheranis locus ille Lucæ Cap. XXII. Christus posteaquam corpus suum dedit

Apo-

Apostolis, illico addidit loco cit. *Hoc facite in meam commemorationem.* Atqui idem dixiſse Christus censendus est, quando Apostolis calicem porrexit. P. m. Imo. Lucæ Cap. XXII. v. 20. dicitur: *Similiter & calicem, poſtquam cœnavit, dicens: Hic eſt calix &c.* Ergo Christus similiter fecit de calice ac de pane. At de pane dixit: *Hoc facite in meam commemorationem.* Ergo etiam de calice id dixit. IIdo. Apostolus I. ad Cor. Cap. XI. post consecrationem calicis addit tamquam a Christo dictum: *Hoc facite quotiescunque bibetis, in meam commemorationem.* Ergo datur præceptum divinum distribuendi utramque speciem. *Confirm.* Christus juſsit Apostolos & Sacerdotes facere quod ipse fecit. Atqui Christus Eucharistiam sub utraque specie discipulis suis distribuit. Ergo. Resp. I. Christum non ad omnes fideles, sed ad solos Apostolos qui tunc præsentes erant, eorumque succeſsores Episcopos ac Presbyteros hæc verba direxiſse, qui haud dubie utramque speciem sumunt, quando Sacrificium offerunt. Resp. II. C. M. N. m. Ad I. *probat.* C. A. N. C. Vox *ſimiliter* refertur ad actionem accipientis, benedicentis ac porrigentis calicem, non autem ad omnia quæ Christus egit circa panem. Ad II. *prob.* N. C. Verba illa non sunt absoluta, sed hypothetica, ita ut sensus præcepti sit, non singulis bibendum eſse de calice, sed singulis qui bibent, quotiescunque bibent, in memoriam Christi bibendum eſse: adeoque non præcipitur ut singuli bibant; sed tantum ut singuli qui bibunt, mortem Christi annuntient. Ad *confirm.* D. M. Ut facerent quod ipse fecit, pertinens ad substantiam & naturam Sacramenti, C. M. Etiam quod ad illam non pertinet, N. M.

Aut Calvinianis. 64. Objic. III. a Calvinianis locus ille Matth. Cap. XXVI. Christus loco cit. *accipiens calicem gratias egit, & dedit illis dicens: Bibite ex hoc omnes.* Ergo datur expreſsum Christi mandatum de calice ab omnibus sumendo. P. C. Jllis dictum est, *Bibite*, quibus dictum est, *Manducate.* Atqui omnibus fidelibus dictum est, *Manducate;* alias fideles nullo Christi man-

dato

dato obligarentur ad sumendam Eucharistiam. Ergo. *Confirm.* I^mo^. Marci Cap. XIII. Christus ait: *Quod vobis dico, omnibus dico.* Ergo *Bibite* dictum est etiam Laicis. *Confirm.* II. Christus non dixit de pane: Manducate ex hoc omnes; prævidens autem futuros qui calicem prohiberent, de calice ait: *Bibite ex hoc omnes.* Resp. C. A. N. C. Per *omnes* non intelliguntur omnes fideles indistincte, sed omnes tantum Apostoli, quibuscum Christus cœnavit, qui ut S. Marcus ait loco cit. *Biberunt ex eo omnes.* Ad *prob.* C. M. N. m. Cum ratione addita. Præceptum quo omnes fideles adstringuntur ad percipiendam Eucharistiam, continetur illis Christi verbis Joan. Cap. VI. *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis &c.* Ad I. *confirm.* Resp. Ergo omnes potestatem habent solemniter baptizandi, & absolvendi a peccatis, eoquod Christus dixerit Matth. Cap. XXVIII. *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos.* Et Joan. Cap. XX. *Quorum remiseritis peccata &c.* Fallacia argumenti patet, si integer textus legatur Marci Cap. VIII. v. 37. *Quod vobis dico, omnibus dico: vigilate.* Ad II. *confirm.* Resp. Christus porrigens Apostolis panem non dixit, manducate ex eo, quia non dedit illis integrum panem inter se dividendum; sed panem Eucharisticum ipse divisit in plures partes, & singulis singulas porrexit. At vero calicem plenum uni Apostolorum dedit cum hac cautione, ut non putaret totum sibi ebibendum esse, sed aliquid inde degustandum esse, ac deinde reliquis ordine porrigendum.

Protestantes perperam alia Scripturarum loca.

65. Objic. IV. a Protestantibus alia Scripturarum loca. I. ad Cor. Cap. X. de Patribus veteris Testamenti scribit Apostolus: *Omnes eamdem escam spiritalem manducaverunt: & omnes eumdem potum spiritalem biberunt.* Ergo cum figuris veritas succedat, necesse est ut omnes fideles de calice bibant. II. Idem Apostolus I. ad Cor. Cap. XI. scribit: *Probet autem se ipsum homo: & sic de pane illo edat, & de calice bibat.* Ergo utramque speciem ab Apostolo sumere jubentur fideles.

fideles. III. Eadem Epist. & Cap. scribit Apostolus: *Ego accepi a Domino quod & tradidi vobis.* Ergo præceptum communionis sub utraque specie est divinæ traditionis. Resp. N. C. Cum Christus Dominus sub panis specie totus & integer contineatur, constat ab eo qui speciem panis sumit, simul etiam sanguinem bibi, atque adeo potum illum salutarem ex hac petra fluentem percipi, qui spiritualem sitim restinguit. Ad II. Resp. Apostolicum præceptum non cadere supra sumptionem utriusque speciei, sed supra probationem. Monet nimirum ibi B. Paulus fideles, ne peccati gravis sibi conscii participes fiant corporis & sanguinis Domini, sive sub una sive sub utraque specie, ut ipsis liberum erat, Eucharistiam percipiendo. Ad III. N. C. Christus equidem Eucharistiam sub utraque specie instituit, consecravit, & Apostolis distribuit: at vero sub præcepto nullibi fidelibus omnibus injunxit, ut utramque speciem perciperent.

Exemplum Christi.

66. Objic. V. Exemplum Christi. Christus Eucharistiam Apostolis distribuit sub utraque specie. Ergo idem ritus servandus est etiam in communione Laicorum. Resp. I. Christus discipulis in Emmaus Eucharistiam sub unica tantum specie distribuit. Resp. II. C. A. N. C. Christus in institutione Eucharistiæ plurima egit, quæ tamen minime sunt præcepta. Sic duodecim tantum Apostolis Eucharistiam sub utraque specie porrexit, communioni cœnam præmisit, pedes discipulorum lavit. Si igitur Christi exemplum per omnia sequi tenemur, deberent etiam Protestantium Ministri Eucharistiam non pluribus quam duodecim ministrare, iisque jam cibo corporali refectis. Denique gravissimis illis Christi verbis permoti Joan. Cap. XIII. *Si ego Dominus & Magister lavi pedes vestros: & vos debetis alter alterius lavare pedes. Exemplum enim dedi vobis, ut quemadmodum ego feci vobis, ita & vos faciatis*, deberent laicorum discumbentium pedes lavare, & Cœnam suam non matutino, sed vespertino tempore celebrare.

67.

67. Objic. VI. Authoritas Pontificum. S. Gelasius I. ad finem sæculi V. apud Gratianum de Consecrat. Dist. II. Cap. XII. ait: *Comperimus, quod quidam sumpta tantummodo sacri corporis portione, a calice sacri cruoris abstinent: qui procul dubio (quoniam nescio qua superstitione docentur adstringi) aut integra Sacramenta percipiant, aut ab integris arceantur: quia divisio unius ejusdemque mysterii sine grandi sacrilegio non potest provenire.* Resp. S. Gelasius vel loquitur de solis Sacerdotibus sacrificantibus, ut opinatur S. Thomas Parte III. Quæst. LXXX. Artic. XII. ad I. quod apud Ivonem & Gratianum. Capiti *Comperimus* hic titulus prætigatur: *Corpus Christi sine ejus sanguine Sacerdos non debet accipere.* Vel ut communius Eruditi arbitrantur, decreto illo suo solos ferit Manichæos Romæ latitantes, qui ut alias a vino, ita etiam in Eucharistica mensa a speciebus vini inani superstitione semper abstinebant. Ad Manichæorum itaque sensum dividere unum & idem mysterium, grande est sacrilegium; non vero ad sensum Catholicorum: Qui cum credant totum & integrum Christum æque sub una ac sub utraque specie esse, non sub duplici, sed sub una specie communicant.

Auctoritatem Pontificum.

68. Objic. VII. Auctoritas Patrum. S. Justinus Apologia II. pro Christianis postquam communionem sub utraque specie descripsit, ait: *Apostoli enim in commentariis suis, quæ Evangelia dicuntur, ita præcepisse sibi Jesum tradiderunt.* II. S. Cyprianus Epist. LXIII. ad Cæcilium ait: *Quidam vel ignoranter vel simpliciter in calice Domini sanctificando, & plebi ministrando non hoc faciunt, quod Jesus Christus Dominus & Deus noster, Sacrificii hujus author & doctor, fecit & docuit.* III. Author Sermonis de Cœna Domini, qui perperam S. Cypriano tribuitur, scribit: *Lex esum sanguinis prohibet: Evangelium præcipit ut bibatur.* Resp. ad I. Verba illa S. Justini, ubi commemoratur Christi præceptum, non pertinent ad communionem, sed ad Consecrationem; immediate enim ante verba

Ac Patrum.

 citata

citata ait S. Martyr, panem per verbum Dei prolatum in consecratione fieri Eucharistiam, & non esse amplius communem panem, sed ipsius Jesu carnem & sanguinem. Profecto S. Justinus in Dialogo cum Tryphone totam Eucharistiæ virtutem ex una specie percipi testatur. Quod vero utramque speciem commemoret, mirum esse non debet; cum ætate illius in usu esset communio sub duplici specie. Ad II. S. Cyprianus loco cit. non disputat de necessitate utriusque speciei; sed contra Aquarios invehitur, qui in calice Eucharistico solam aquam offerebant sine vino. Ad III. Resp. Præterquam quod Author sermonis illius, Arnoldus Abbas Bonæ Vallis, nullibi dicat, præcipi in Evangelio ut sanguis bibatur ab omnibus, sed tantum ut bibatur, quod fit etiamnum apud nos a Sacerdotibus Sacrificium offerentibus; non vim ponit præcise in bibendo, sed in sumendo sanguine, promiscue enim loquitur de esu & potu sanguinis, ut patet ex loco in objectione allato, ubi cum opponat tamquam contraria bibere sanguinem, & non edere sanguinem, aperte significat se pro eodem accipere esum & potum.

Rationem. 69. Objic. VIII. Ratio: Eucharistia sumenda est in memoriam Dominicæ Passionis, juxta illud I. ad Cor. Cap. XI. *Quotiescunque manducabitis panem hunc, & calicem bibetis; mortem Domini annuntiabitis donec veniat.* Atqui id fieri nequit absque sumptione utriusque speciei. Ergo. P. m. Separatio corporis ejus a sanguine non repræsentatur aliter quam per utramque speciem. Ergo utraque species necessaria est ad memoriam Dominicæ Passionis. II. Eucharistia instituta est a Christo ad instar convivii spiritualis. Ergo sumenda est sub utraque specie. P. C. Sine cibo & potu non datur verum convivium. Ergo sine utraque specie Eucharistia esse nequit verum convivium spirituale. Resp. C. M. N. m. Ad *prob.* N. A. In una specie ab altera sejuncta sufficienter exprimuntur Passio & mors Christi; siquidem hac separatione adumbratur separatio sanguinis a corpore, quæ facta est

est in ligno Crucis: corpus enim sub specie panis, & sanguis sub specie vini ex vi verborum existit. Jllud equidem concedimus, non ita distinctam haberi & expressam in una quam in duplici specie significationem: verum major illa ac magis distincta significatio ad naturam Sacramenti non attinet. Sicut in Baptismo triplex immersio distinctius haud dubie significat mortem & sepulturam Christi; neque tamen idcirco invalidus est Baptismus infusione aut aspersione datus. Ad II. C. A. N. C. Ad *probat.* D. A. Sine cibo & potu non datur integrum convivium corporale, C. A. Spirituale & Sacramentale, subdist. Quantum ad rei modum externum, & symbola, C. A. Quantum ad rem ipsam, N. A. & Conseq. Cum fides doceat, totum & integrum Christum sub unaquaque specie contineri, consequens est in qualibet specie divisim, verum esse convivium quantum ad rem & substantiam, etsi integrum ex modo externo non videatur, cum unicum adsit illius symbolum.

Atque utilitatem Fidelium nobis objiciunt.

70. Objic. IX. contra II. Conclusionem, Fidelium utilitas. Sacramenta debent administrari prout expedit suscipientibus. Ergo Eucharistia etiam Laicis sub utraque specie est administranda. P. C. Eucharistia sub utraque specie plus gratiæ confert quam sub una. Ergo sub utraque specie administranda est. Ergo Ecclesia Romana id prohibens gravem intulit Laicis injuriam & spirituale detrimentum. Resp. I. N. Anteced. universaliter sumptum. Utilitati suscipientium præferenda est reverentia huic Sacramento debita; minus enim malum est, ut Laici careant bono aliquo non necessario, quam ut Sacramentum Dei evidenti periculo irreverentiæ exponatur. Atque hac de causa neque a Catholicis, neque a Novatoribus nostræ ætatis datur parvulis Eucharistia, licet hæc illis augmentum gratiæ conferret. Adde, Ecclesiam aliis etiam gravissimis rationibus permotam, quas Num. LX. exhibuimus, usum calicis Laicis ademisse. Resp. II. O. A. N. C. Ad *probat.* N. A. Sicut enim baptizatus per immersionem, majorem non per-

cipit gratiam, quamvis immersio expressius significet mortem & sepulturam Christi, quam vel aspersio vel infusio: ita communio sub utraque specie majorem gratiam non confert, quamvis illa expressius significet mortem & Passionem Domini. Ratio nimirum est, quia sub qualibet specie totus ac integer Christus continetur, ratione cujus species significant & operantur gratiam. Nec refert, quod sanguis sit solum per concomitantiam sub specie panis: neque enim Divinitas, a qua totam efficaciam hauriunt corpus & sanguis Christi, ipsumque Sacramentum, sub ulla specie vi verborum continetur, sed solum per concomitantiam. Atque hæc assertio nostra est longe communior inter Catholicos, quamvis contraria etiam sententia aliquos habeat in Scholis patronos, ideoque a Tridentino minime decisa fuerit, quod Sess. XXI. Cap. III. solummodo docet: nulla gratia necessaria ad salutem eos defraudari, qui unam speciem solam accipiunt. Quod si dicas, si uberior gratia non confertur duplicem speciem percipienti, inutiliter duplicem speciem sumi a Sacerdote celebrante. Resp. N. illatum. Sacerdotes enim non solum utramque speciem non inutiliter sumunt, quia utraque species operatur & gratiam producit; sed etiam quia utriusque speciei sumptio licet non sit necessaria ex parte sumentis, est tamen necessaria ob Sacrificii perfectionem. Verum non vacat Scholasticæ huic concertationi diutius immorari. Prima quam dedimus responsio satis vindicat æquitatem Constantiensis & Tridentini Decreti.

CON-

CONTROVERSIA IV.

DE MATERIA EUCHARISTIÆ.

AN PANIS TRITICEUS SIT MATERIA NECESSARIA EUCHARISTIÆ, ISQUE AN AZYMUS VEL FERMENTATUS?

CONTRA ARTOTYRITAS, GNOSTICOS, CATAPHRYGES, GRÆCOS SCHISMATICOS.

Materia Eucharistiæ quotuplex sit?

71. Cum Eucharistiæ Sacramentum juxta inferius dicenda non in solo usu transeunte consistat, sed habeat eſse permanens, duplici ratione spectari potest, nempe in fieri & in facto eſse, ut loquuntur Theologi; atque hinc duplicem materiam importat. Materia Eucharistiæ *in facto eſſe*, sive proxima, est hoc ipsum quod facta jam consecratione continet, corpus scilicet & sanguis Domini nostri Jesu Christi cum anima ejus, Divinitate, ac speciebus panis & vini. Materia *in fieri*, sive remota Eucharistiæ, de qua sola in præsentiarum agimus, est elementum ipsum, ex quo præexistente Eucharistia consecratur.

Errores veterum Hæreticorum.

72. Circa materiam remotam Eucharistæ errarunt Artotyritæ, qui ad celebranda mysteria sua panem & caseum adhibebant, testibus S. Epiphanio Hær. XLIX. & S. Augustino in Lib. de Hæres. Cap. XXVIII., dicentes, a primis hominibus oblationes de fructibus terræ & ovium fuiſse celebratas. Veteres Gnostici abortivum infantem in mortario pistillo contundebant, cui ad vitandam nauseam mel & piper cum aliis aromatibus & unguentis admiscebant: tum in unum collecti, e comminuto infantuli corpusculo digito delibabant, perfectum id eſse Pascha existimantes, ut refert S. Epiphanius Hær. XXVI. Cataphryges Eucharistiam confecisse in pane ex farina infantis sanguine subacta testatur S. Augustinus Lib. de Hæres. Cap. XXVI. *Sacramenta perhibentur habere funeſta: nam de infantis anniculi ſanguine, quem de toto ejus corpore minutis punctionum vulneribus extorquent, quaſi Eucharistiam ſuam conficere perhibentur, miſcentes*

eum

eum farinæ, panemque inde facientes: qui puer si mortuus fuerit, habetur apud eos pro martyre; si autem vixerit, pro magno Sacerdote.

Et Græcorum circa Azymum panem.

73. Gravior Sæculo XI. exarsit contentio Græcos inter & Latinos circa conditionem panis consecrandi. Michaël Cerularius Patriarcha Constantinopolitanus, & Leo Archiepiscopus Acridanus in Bulgaria ausi sunt circa A. 1052. S. Leonem IX. omnesque Latinos, quos per contemptum Azymitas vocabant, erroris accusare, quod consecrarent in azymo. Insanam hanc Græculorum temeritatem luculenta gravique Epistola ad Michaëlem & Leonem data castigavit S. Leo IX. in qua præter alia hæc Cap. V. leguntur: *Tu carissime nobis, & adhuc dicende in Christo Frater & Antistes Constantinopolitane, tuque Leo Acridane, dicimini Apostolicam & Latinam Ecclesiam nova præsumptione, atque incredibili audacia, nec auditam nec convictam palam damnasse, pro eo maxime quod de azymis audeat commemorationem Dominicæ passionis celebrare. Ecce incauta reprehensio vestra, ecce non bona gloriatio vestra, quando ponitis in cœlum os vestrum; cum lingua vestra transiens in terra, humanis argumentationibus & conjecturis antiquam fidem confodere ac subvertere moliatur. Ecce nisi quantocius resipiscatis, incorporati & annumerati, quod absit, eritis in illa cauda draconis, qua tertiam partem stellarum cœli traxit, & in terram misit. Ecce jam post mille ac ferme viginti a passione Salvatoris nostri annos, incipit per vos discere Romana Ecclesia, qualiter memoria passionis ejusdem sit recolenda: quasi nihil ei contulerit præsentia, conversatio & diuturna institutio, seu qua clarificavit Deum, mors pretiosa illius venerabilis senis, cui specialiter Christus Filius Dei vivi dicit: Beatus es Simon Bar-Jona, quia caro & sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus qui est in cœlis.* Cerulario suffragantur hodierni etiam Græci schismatici. Unde Jeremias Patriarcha Constantinopolitanus in Censura adversus Augustanam Confessionem, Cap. X. asserit, Christum panem fermentatum consecravisse, nec posse in Azymo hoc Sacramen-

cramentum confici. Protestantes fatentur quidem azymum panem esse materiam Eucharistiæ sufficientem; sed contendunt fermentatum panem esse aptiorem adeoque illo ut plurimum utuntur in sua Cœna, ut vocant.

Materia remota Euchariſtiæ eſt panis.

74. Conclusio I. Panis est materia remota necessaria Sacramenti Eucharistiæ. Prob. Conclusio Imo Auctoritate Scripturarum. Christus Eucharistiam instituens panem pro materia adhibuit Matth. Cap. XXVI. *Accepit Jeſus panem, & benedixit ac fregit, deditque diſcipulis ſuis, & ait: Accipite & comedite; hoc eſt corpus meum.* Et I. ad Cor. Cap. XI. *Hoc eſt corpus meum quod pro vobis tradetur. Hoc facite in meam commemorationem.* II. Auctoritate Patrum omnium, qui de Eucharistia scripserunt. III. Auctoritate Conciliorum, Carthaginensis III. Capit. XXIV. Lateranensis IV. Cap. *Firmiter*, Florentini in Decreto pro Armenis, Tridentini Sess. XIII. Cap. IV. IV. Ex Ecclesiæ constanti & perpetua praxi, quæ nihil aliud umquam pro materia Eucharistiæ adhibuit quam panem & vinum, atque usum non nullorum contrarium tamquam errorem semper damnavit.

Triticeus & uſualis.

75. Conclusio II. Ad materiam Eucharistiæ non sufficit panis quilibet, sed requiritur triticeus usualis. Prob. Conclusio iisdem fere argumentis ac prior. Imo. Exemplo Christi, qui eam Eucharistiæ materiam ut necessariam instituit, quam ipse consecravit. Lucæ Cap. XXII. *Hoc facite in meam commemorationem.* Atqui Christus panem triticeum consecravit; inverisimile enim est, panem azymum qui ad festum Paschale & esum agni conficiebatur, ex alia materia quam triticea fuisse, Ergo. II. Ex traditione & praxi utriusque Ecclesiæ Orientalis & Occidentalis. In utraque Ecclesia consecratus fuit semper, & adhuc consecratur solus panis triticeus. Hinc Actione III. Concilii Chalcedonensis Ischirion Diaconus Alexandrinus conqueritur in libello adversus Dioscorum, *ejus avaritia factum eſſe, ut incruentum Miſſæ Sacrificium in Lybia non offerretur, defectu ſcilicet tritici, quod cum*

rarum

rarum esset, ab illo Dioscoro maximo pretio divendebatur. III. Ex Florentino in Decreto pro Armenis. *Tertium est Eucharistiæ Sacramentum, cujus materia est panis triticeus, & vinum de vite.* IV. Ex Rubricis Missalis Romani, ubi de defectibus in celebratione Missarum, Paragr. III. dicitur: *Si panis non sit triticeus, vel si hic admixtus est granis alterius generis in tanta quantitate, ut non maneat panis triticeus, vel sit alioqui corruptus, non conficitur Sacramentum.* V. Rstione congrua. Solus panis triticeus est sine addito panis simplicer, magisque quam alii panes confortat hominem; adeoque aptior & convenientior est ad significandum effectum hujus Sacramenti. Porro panis ille triticeus, quem necessariam esse diximus Eucharistiæ materiam, constare debet ex farina, sola aqua naturali subacta, calore ignis decocta, fixa & solida: adeoque excluduntur non tantum grana quælibet naturam veri tritici non habentia, verum etiam omnis mixtio lactis, aquæ rosaceæ, ovorum, butyri, olei, aliorumque id genus, quæ ad communem panem non pertinent.

Ad valorem Eucharistiæ perinde est, sive in azymo sive in fermentato consecretur.

76. Conclusio III. Tam azymus quam fermentatus panis est materia sufficiens & valida Eucharistiæ. Prob. I. Auctoritate Concilii Florentini in definitione fidei a Græcis & Latinis subscripta, in qua dicitur: *Definimus - - in azymo, sive in fermentato pane triticeo corpus Christi veraciter confici.* III. Auctoritate & exemplo utriusque Ecclesiæ Græcæ & Latinæ, quarum prima jam a multis sæculis in fermentato, altera vero in azymo Eucharistiam conficit. Atqui sine impietate & errore intolerabili dici nequit non dari in Latina Ecclesia Eucharistiæ Sacramentum: neque Latina Ecclesia Græcis umquam exprobravit, eos carere Eucharistia. Ergo uterque panis tam azymus quam fermentatus est materia valida Eucharistiæ. III. Ratione. Ad consecrationem Eucharistiæ id omne sufficit, quod veram habet panis triticei naturam. Atqui hanc uterque panis habet, non fermentatus solum, de quo nemo dubitare potest, sed etiam azymus. Ergo. P. m. Azymus panis non nisi accidentaliter

liter differt a fermentato, fitque ex farina triticea, aqua naturali subacta, & puro igne coquitur. Præterea in Scripturis simpliciter vocatur panis. Sic Lib. I. Regum, Cap. XXI. panes propositionis, qui erant certo azymi, dicuntur simpliciter panes, iisque vescebantur Sacerdotes singulis hebdomadibus. Lucæ Cap. XXIV. panis quem Christus fregit duobus discipulis in Castello Emmaus, vocatur simpliciter panis; & tamen certo erat azymus, cum tunc essent dies azymorum, quibus Judæis nefas erat vesci fermentato.

Non tamen ad licentiam.

77. Verum quamvis uterque panis materia sit sufficiens & valida Eucharistiæ; azymus tamen pro Latinis, & fermentatus pro Græcis necessarius est necessitate præcepti Ecclesiastici, ita ut mortaliter peccent Sacerdotes juxta ritum suæ Ecclesiæ non celebrantes. Patet id tum ex Florentino, in quo dicitur: *Definimus insuper in azymo sive fermentato pane triticeo corpus Christi veraciter confici; Sacerdotesque in alterutro ipsum Domini corpus conficere debere, unumquemque scilicet juxta suæ Ecclesiæ Occidentalis sive Orientalis consuetudinem:* tum ex Capit. *Litteras*, Extra, de Celebrat. Miss. ubi Sacerdos Latinus prohiberi jubetur in perpetuum officio & beneficio, quod in fermentato pane & calice ligneo consecrasset. Quæ pœna satis arguit, præcepto hoc Ecclesiastico Sacerdotes sub gravi obligari ad servandum hac in re Ecclesiæ suæ ritum, non solum propter scandalum, sed etiam propter Ecclesiæ suæ consuetudinem rationabiliter inductum.

Græci cur fermentato, & Latini azymo utantur?

78. Et Græci & Latini congruas habent sui ritus causas. Græci utuntur fermentato, quia in admixtione tritici cum fermento ineffabile Incarnationis Mysterium ex unione divinæ naturæ cum humana consurgens contemplantur ac repræsentant. Contra Latini azymum adhibent, tum quia azymus magis idoneus est ad significandam munditiem & animi puritatem, quæ ad tanti Sacramenti sumptionem afferri debet: tum quia quemadmodum corpus Christi in puris-

rissimo Beatæ Virginis utero sine ulla corruptione conceptum est, ita existimant decere, ut panis qui ad Eucharistiæ consecrationem usurpatur, corruptionis ac fermenti sit expers. Cæterum præcipuum fundamentum tum Latinorum tum Græcorum est factum Christi; Græci enim, saltem post tempora Photii, putant Christum consecrasse in fermentato, Latini in azymo.

Argumenta contraria refutantur.

Græcis non suffragatur exemplum Christi.

79. Objicitur I. contra III. Conclusionem, Exemplum Christi. Christus in ultima Cœna consecravit panem fermentatum. Ergo panis fermentatus est materia necessaria Eucharistiæ. P. C. Ex eo quod Christus panem triticeum consecraverit, inferimus hunc esse materiam necessariam. Ergo etiam ex eo quod Christus panem fermentatum consecraverit, pari jure inferri potest, hunc solum esse materiam Eucharistiæ necessariam. Resp. I^mo^ N. A, cujus falsitatem paulo inferius ostendemus. Resp. II. N. C. Panem, quem Christus consecravit, non adhibuit ut azymum vel ut fermentatum ex necessitate Sacramenti, sed simpliciter ut panem triticeum: sicut sive album sive rubrum vinum adhibuerit, non adhibuit secundum tales differentias, sed simpliciter ut vinum de vite, ut constat ex usu Ecclesiæ ab Apostolis accepto. Ad *probat.* C. A. N. C. Certum est Christum instituisse materiam Eucharistiæ quoad substantiam moraliter sumptam, qualis est panis triticeus: at vero circumstantias omnes ultimæ Cœnæ observari non præcepit, neque umquam vetuit usum materiæ accidentaliter tantum diversæ ab ea quam ipse adhibuit, qualis foret azymus vel fermentatus panis ex tritico. Profecto si exemplum Christi in omnibus vim legis haberet, consequens foret Eucharistiam semel tantum in anno, ad vesperam, ac post cœnam, nec nisi in tritico ac vino Judææ celebrandam esse. Standum itaque hac in re est judicio Ecclesiæ, quæ ritus in

ultima

ultima Cœna a Christo servatos, docente Spiritu Sancto, ita distinxit, ut alios quidem intellexerit esse necessarios, quales sunt panem triticeum ad sacram mensam deferre, vinum adhibere, & utrumque elementum verbis Evangelicis consecrare: alios vero quos Christus pro ratione loci, temporis, & personarum adhibuit, pro certa & constanti regula non esse habendos.

80. Dices. Si major differentia non est inter panem azymum & fermentatum, quam inter vinum album & rubrum, uterque panis pro arbitratu licite poterit adhiberi, perinde ac vinum rubrum vel album. Ergo Ecclesia Latina male egit præcipiendo, ut Latini Sacerdotes non nisi in azymo consecrent. Resp. I. retorquendo. Ergo male egit Ecclesia Græca præcipiendo suis Sacerdotibus, ut non nisi in fermentato consecrent. Resp. II. N. A. Certum est Christum usum fuisse pane azymo; quo vino autem usus fuerit albo an rubro, id nos latet. Atque idcirco azyma adhibemus ob Christi exemplum: de vino autem rubro vel albo solliciti non sumus, quia simile exemplum non habemus. Præterea azymi & fermentati differentia Deus sæpe est usus ad significanda varia mysteria, nusquam autem differentia vini albi aut rubri ad aliquid significandum: atque ideo Ecclesia vinum indifferenter adhibet, azymum vero retinet, tum ob significationem mysticam, tum ad servandam uniformitatem inter Sacerdotes ejusdem ritus, & avertendum scandalum, quod facile oriretur, si Fideles cernerent ejusdem Ecclesiæ Sacerdotes modo in azymo, modo in fermentato Eucharistiam conficientes.

Non auctoritas Conciliorum.

81. Objic. II. Auctoritas Conciliorum. Trullanum Can. XI. prohibet, ne Christiani azymum comedant. *Nemo eorum, qui in Sacerdotali ordine enumerantur, vel Laicus, Judæorum azyma comedat, vel ullam cum eis familiaritatem ineat.* Resp. I. Trullanam Synodum nullius esse auctoritatis, quia a Sede Apostolica reprobata est. Resp. II. Canone citato prohiberi tantum,

tum, ne Christiani cum Judæis amicitiam ineant, & ne eorum azymis in communi mensa utantur, ut manifeste colligitur ex verbis hujus Canonis. Profecto si Trullana Synodus censuisset azymum non esse validam materiam Eucharistiæ, Armenos azymis utentes graviter arguisset. Atqui ne verbo quidem ritum hunc Armenorum reprehendit; quamvis ob alios errores, præcipue quod vinum consecrandum aqua non temperarent, graves pœnas illis comminata fuerit.

82. Dices. Trullana Synodus prohibet communicare cum Judæis. Atqui qui Eucharistiam in azymo conficit, communicat cum Judæis. Ergo prohibuit Eucharistiam in azymo conficere. Resp. I. Ergo etiam Trullana Synodus prohibuit, ne Eucharistia conficeretur in fermentato, quia Judæi in quibusdam sacrificiis fermentato utebantur. Sic Levitici Cap. VII. dicitur: *Offerent panes fermentatos cum hostia gratiarum.* Et Cap. XXIII. *Offeretis Sacrificium novum Domino - - panes primitiarum duos, de duabus decimis similæ fermentatæ, quos coquetis in primitias Domini.* Resp. II. C. M. N. m. Latini azymum consecrando non Judæos, sed Christum imitantur: nec peragunt cæremoniam aliquam veteris Legis, sed Sacramentum a Christo institutum conficiunt. Sane si usurpare ritus aliquos, qui apud Judæos olim obtinuerant, idem esset ac judaizare, deberemus altaria, templa, Sacrificia, immo & ipsum Sacerdotium abjicere, ne Judæis consentiamus.

Aut natura & etymologia panis.

83. Objic. III. Etymologia panis & natura. Materia Eucharistiæ debet esse verus panis. Atqui talis non est azymus. Ergo. P. m. Panis ex primitiva vocis origine dicitur a verbo *attollo:* unde Græce *αρτος*, hoc est, *elevatus.* Atqui panis sine fermento non attollitur aut elevatur. Ergo. R. C. M. N. m. Ad *probat.* Resp. cum Humberto Card. in Dialogo contra Cerularium: *Illud quoque quod azymum negantes panem esse, per etymologiam hujus nominis, quod est αρτος conamini nos vincere, sciatis omnino vanum ac puerile: quia & a linguarum peritis diversæ etymologiæ don-*

dantur ex uno nomine, secundum hominum placitum magis quam secundum naturam rerum.

84. Dices I. Panis vere ac proprie talis & simpliciter dictus, est ille qui est in usu quotidiano. Sed azymus non est in usu quotidiano sicut fermentatus. Ergo azymus non est panis vere ac proprie talis. Resp. I. Ergo carnes assatæ absque sale, non sunt carnes vere ac proprie tales, quia sale conspergi solent ut plurimum, antequam assentur? Resp. II. N. M. Panis vere ac proprie talis dicitur ille, qui fit ex farina triticea, aqua naturali subacta, & solo ignis calore coquitur, quique aptus est, ut cum aliis cibis tamquam illorum comes adhibeatur. Talis est panis azymus, quamvis fermentati usus sit frequentior, quia delectabilior est, magisque sapidus.

85. Dices II. Inter azymum & effectum Eucharistiæ nulla datur proportio. Ergo azymus panis esse nequit materia Eucharistiæ. P. A. Azymus panis insipidus est, nec adumbrat saporem suavitatis, quem in homine excitat Eucharistia. II. Est signum luctus & doloris; adhibebatur enim a Judæis, ut recordarentur calamitatum quas in Ægypto passi fuerant. Ergo non significat convivium Dei cum hominibus, a quo omnis tristitia exulat. Resp. N. A. Quamvis non perfecta, quæ inter res tantopere dissitas exigi nequit, aliqua tamen invenitur proportio, quanta ad salvandam Sacramenti rationem sufficit. Ad *probat.* Resp. Azyma, quamvis insipida, corpus nihilominus nutriunt reficiuntque. Ut enim S. Anselmus Cantuariensis scribit in Epistola ad Valerannum Naumburgensem in Saxonia Episcopum, *Sicut panis iste azymus vel fermentatus dat vitam transitoriam, ita corpus Christi æternam.* Ad II. Resp. Azyma doloris simul & lætitiæ fuerunt signa: doloris quidem, quia præteritarum calamitatum memoriam refricabant; lætitiæ vero ob liberationem ab iisdem miseriis. Utrumque panis azymus in Eucharistia significat: dolorem, quia recolitur passionis Dominicæ memoria: lætitiam, quia mens impletur gratia, & futuræ gloriæ nobis pignus datur.

AP-

APPENDIX

AD CONTROVERSIAM IV.

DE USU AZYMI ET FERMENTATI.

85. Quæres I. Quonam tempore Christus instituerit Eucharistiam, & an in azymo vel fermentato pane eam confecerit? Nobilissimam hanc & intricatam quæstionem, magnis partium studiis agitatam, paucis aliquot propositionibus expediemus. Ut igitur suus dicendis constet ordo, & brevitati quantum fieri poterit consulatur, sit.

Christus pridie mortis suæ Pascha legale manducavit.

87. Propositio I. Christus pridie mortis suæ, juxta ritum Legis, Pascha legale seu Agnum manducavit. Sententiæ huic adversantur ex veteribus, Philoponus Grammaticus Alexandrinus, & Auctor anonymus Chronici Paschalis, in quo laudantur S. Petrus Martyr Alexandrinus, Hippolytus Portuensis, Apollinaris Hierapolitanus, & Clemens Alexandrinus, qui existimant Christum morte præventum ultimo vitæ suæ anno Pascha legale non celebrasse. Verum Philoponi hominis hæretici nulla est auctoritas, & eorum qui in Chronico Paschali laudantur, incerta sunt & suspectæ fidei testimonia; continentur enim voces ab ætate Clementis & Petri Alexandrini omnino alienæ, atque ab Ecclesia non nisi posterioribus temporibus consecratæ. Opinioni huic e recentioribus suffragantur Nicolaus Villagagnonius, M. Ant. de Dominis, Hugo Grotius, Hieronymus Vechiettus, Toinardus, Tournemine, Augustinus Calmet, & Bernardus Lamy in Harmonia Evangelistarum.

88. Prob. assertio Imo. Auctoritate Scripturarum. Christus pridie mortis suæ illud Pascha cum discipulis suis manducavit, quod Judæi die prima azymorum immolabant. Marci Cap. XIV. *Primo die azymorum quando Pascha immolabant, dicunt ei discipuli: Quo vis eamus, & paremus tibi ut manduces Pascha? - - - & paraverunt Pascha. Vespere autem facto, venit cum duodecim:* Quod necesse erat occidi. Lucæ Cap. XXII.

Venit

Venit autem dies azymorum, in qua necesse erat occidi Pascha: & misit Petrum & Joannem: Denique Pascha illud, de quo Apostoli interrogant Christum, ubi vellet illud parari, quodque revera paraverunt. Atqui tale Pascha aliud fingi non potest quam legale; non enim aliud noverant Apostoli, non aliud noverat ille ad quem missi sunt ut pararent Pascha, non aliud intelligebat Christus ipse, cum Matth. Cap. XXVI. ait: *Tempus meum prope est; apud te facio Pascha cum discipulis meis.* II. Auctoritate Patrum, quos hac in re nobiscum facere ipsi adversarii fatentur, & Photius in Bibliotheca, Codice CXVI. scribit, universam Ecclesiam Græcam cum Chrysostomo credere, quod Christus in ultima cœna Pascha legale celebrarit. III. Auctoritate Tridentini quod Sessione XXII. Cap. I. ait: *Celebrato veteri Pascha, quod in memoriam exitus de Ægypto multitudo filiorum Jsrael immolabat, novum instituit Pascha, se ipsum ab Ecclesia per Sacerdotes sub signis visibilibus immolandum in memoriam transitus sui ex hoc mundo ad Patrem.* IV. Argumento negativo. Nullum ostendi potest in Scripturis vestigium, quod Christus ultimo vitæ suæ anno cœnam legalem prætermiserit: neque ulla id adstruendi urget necessitas; cum varia Evangelistarum loca, quæ sibi invicem primo intuitu opponi videntur, facile in nostro systemate concilientur, ut paulo inferius ostendemus.

89. Neque obstat I^mo quod Christus tardius de Paschate celebrando cum Apostolis collocutus esse videatur, quam posset ab eo agnus immolari. Matth. Cap. XXVI. *Prima die azymorum accesserunt discipuli ad Jesum dicentes: Ubi vis paremus tibi comedere Pascha?* II. Quod Christus in Evangelio non dicatur stetisse accinctis renibus; qui ritus comedentibus Agnum Paschalem præscribebatur a Lege Exodi Cap. XII.; sed potius discubuisse legatur cum suis discipulis. Nam ad I^mum Resp. Apostolos hac de re egisse cum Christo post meridiem Lunæ XIII, ante vesperam ejusdem diei naturalis, a qua juxta ritum Ecclesiasticum

Ju-

Judæorum initium sumebat Luna XIV. Quare hoc temporis intervallo facile præparari potuit Agnus Paschalis ab Apostolis, quem, si Philoni credimus Lib. III. de Vita Moysis, in Templo necefse non erat mactari, sed in privatis ædibus. Verba S. Matthæi nihil aliud indicant, quam primam diem azymorum in foribus fuifse, quando discipuli Jesum interrogarunt ubi vellet comedere Pascha. Ad II. Resp. Præterquam quod valde incertum sit, utrum omnes illæ cæremoniæ, quæ a Judæis adhibitæ sunt in celebrando primo Paschate in Ægypto, fuerint subsequentibus temporibus observatæ; ex silentio Evangelistarum legitime inferri nequit, Christum & Apostolos Agnum non comedifse accinctis renibus, & baculos in manibus habentes. Christus itaque pridie mortis suæ triplicem cum Apostoiis suis cœnam celebravit: *legalem*, in qua forsitan stans, licet situs nulla fiat apud Evangelistas mentio, Agnum comedit: *communem*, in qua convivæ jacebant in lectulis; & *Eucharifticam*, in qua corpus & sanguinem suum sub speciebus panis & vini sumendum tribuit.

Et Eucharifliam in Azymo instituit, quacunque demum die Pafcha legale dicatur manducaffe.

90. Propositio II. Christus, quacumque demum Luna mensis Nisan Agnum Paschalem comederit, Eucharistiam instituit in Azymo. Ita Latini adversus Græcos. Prob. Christus eo pane usus fuit in conficienda Eucharistia, qui Judæis Pascha celebrantibus a Lege præscribebatur. Neque enim credibile est, Chrisum Mosaicæ Legis observantifsimum, hac in re a Lege longius discefsifse. Atqui Lex Agnum Paschalem quocunque tempore comedentibus usum panis azymi præcipiebat. Ergo Christus pane azymo usus fuit in conficienda Eucharistia. P. m. Numerorum Cap. IX. ait Deus ad Moysem: *Homo qui fuerit immundus fuper anima, five in via procul in gente veftra, faciat Phafe Domino in menfe fecundo quartadecima die menfis ad vefperam: cum azymis & lactucis agreftibus comedent illud. - - - Omnem ritum Phafe obfervabunt.* Ergo quacunque demum Luna Christus Pascha celebraverit,

rit, Eucharistiam in azymo instituit; secus non observasset omnem ritum Phase.

91. Propositio III. Christus non antevertit tempus Cœnæ legalis, a Lege Mosaica præfixum, nec Judæi illud distulerunt. Prob. Ima pars contra Græcos. Ex una parte Lex permittebat quidem ab immundis atque iter agentibus differri, non autem anteverti tempus comedendi Agnum Paschalem: ex altera parte Evangelium aperte testatur, ea ipsa die Pascha fuisse a Christo celebratum, qua discipuli interrogarunt ubi vellet sibi parari. Atqui illi petierunt tempore a Lege determinato; secus homo ille ad quem misi sunt, ædes suas non commodasset, monuissetque nondum venisse tempus a Lege definitum. Matth. Cap. XXVI. *Prima die azymorum accesserunt discipuli ad Jesum.* Marci Cap. XIV. *Prima die azymorum, quando Pascha immolabant, dicunt ei discipuli.* Lucæ Cap. XXII. *Venit autem dies azymorum, in qua necesse erat occidi Pascha: & misit Petrum & Joannem.* *Confirm.* Asiæ minoris Episcopi Quartodecimani non alia ratione ducti sunt, ut Luna XIV. in quamcunque incidisset diem, Pascha celebrarent, quam exemplo Christi. Ergo Sæculo jam II. & III. constans fuit fidelium opinio, Christum cœnæ legalis tempus non antevertisse. Neque obstat, quod Joan. Cap. XIII. dicatur: *Ante diem autem festum Paschæ sciens Jesus &c.* Vel enim S. Evangelista per Pascha non intelligit diem comedendo Agno Paschali destinatum, sed diem solemnem & festivum Paschatis: vel diem festum Paschæ non Ecclesiastice, nam sic incipiebat post occasum solis diei XIII.; sed civiliter, qua ratione incipiebat ab ortu solis diei XIV.

Christus non antevertit tempus Cœnæ legalis, a Moyse præscriptum.

92. Prob. altera pars asertionis. Tempus comedendi Pascha in Lege Mosaica determinatum erat. Levitici Cap. XXIII. dicitur: *Mense primo quartadecima die mensis ad vesperum, Phase Domini est. Et quinta decima die mensis hujus, solemnitas azymorum Domini est.* Et Evangelistæ testantur, Christum Dominum ea ipsa die Pascha celebrasse, qua necesse erat ut Agnum

Nec Judæi illud distulerunt.

num immolarent Judæi. Lucæ Cap. XXII. *Venit autem dies azymorum, in qua necesse erat occidi Pascha.* Ergo Judæi paternarum Legum alias observantissimi, Pascha non distulerunt; præcipue cum nullum hujus dilationis vestigium in Scripturis appareat, neque aliqua id dicendi urgeat necessitas. Ea quidem opinio quorumdam animis insedit, Judæos solitos non fuisse duos solemnes dies continuos celebrare, ideoque festum azymorum in sequentem diem fuisse translatum; At vero de illa translatione festorum nihil omnino in Scripturis habetur, neque hujus rei meminerunt Philo & Josephus Flavius, qui circa Apostolorum tempora de Judaicis rebus scripsere: Immo Josephus Flavius Lib. XIII. Antiquit. Judaicarum, Cap. XVI. refert, temporibus Hyrcani Festum Pentecostes aliquando celebratum fuisse die Sabbathum proxime sequente. S. Epiphanius Hær. XXX. & LI. testatur, quolibet die, etiam feria VI. a Judæis festum Azymorum celebrari; quod etiam colligitur ex controversia orta Catholicos inter & Quartodecimanos; hi enim ideo contendebant Pascha semper esse celebrandum Luna XIV., quia Judæi ea die, & non alia, Agnum typicum immolabant. Itaque si consuetudo hæc festa transferendi apud Judæos nostrorum temporum viget, recentioris est haud dubie instituti, & ab ætate Christi pluribus sæculis remota, ut recte observat Petavius in Animadversionibus in S. Epiphanium. Quod si dicas, Joannis Cap. XVIII. de Judæis asseri: *Et ipsi non introierunt in prætorium, ut non contaminarentur, sed ut manducarent Pascha.* Ergo vel Christus antevertit tempus cœnæ legalis, vel Judæi illam distulerunt. Resp. N. C. Nomine Paschatis loco citato non intelligitur Agnus Paschalis, quem Judæi jam præcedente vespera manducaverant, sed omnes hostiæ paschales, ovium, vitulorum, boum, quas celeberrimo Paschæ festo totaque Octava pene innumeras offerebant; a quibus abstinere tenebantur, si immundi fuissent, juxta illud Levitici Cap. XXII. *Omnis homo, qui accesserit de stirpe vestra ad ea quæ* con-

consecrata sunt, & quæ obtulerunt filii Israel Domino, in quo est immunditia, peribit coram Domino.

93. Propositio IV. Christus Agnum Paschalem comedit cum discipulis Luna XIV. primi mensis Nisan & Eucharistiam in azymo consecravit. Ex hactenus dictis manifeste id deducitur. Nam Christus tempore a Lege statuto Pascha comedit. Atqui tempus hoc a Lege statutum, erat Luna XIV. mensis Nisan. Ergo Luna XIV. Pascha cum discipulis comedit, eodemque tempore Eucharistiam instituit & consecravit: non in fermentato, qui gravissime prohibebatur toto Paschatis tempore. Ergo in pane azymo.

Christus Eucharistiam instituit Luna XIV. mensis Nisan.

94. Propositio V. Id tamen factum est in priore vespera Lunæ XIV. primi mensis Nisan, immediate præcedente diem naturalem XIV. Sive: Christus Agnum comedit & Eucharistiam instituit die Jovis ad vesperam, quæ pertinebat ad diem XIII. primi mensis Nisan, si dies naturalis consideretur a media nocte ad aliam mediam noctem; si vero dies Judæorum Ecclesiasticus & legalis spectetur, ad diem XIV. primi mensis pertinebat. Ita Oleaster, Didacus Stella, Luisius Legionensis, Basilius Pontius, Gabriel Daniel, Cæsar Calino, *Trattenimento Storico sopra i Santi Vangeli*, Lib. VIII. Cap. I. & II. Probatur assertio 1mo. Quemadmodum apud Italos & Sinenses, uti etiam olim Athenis, diei civilis initium ducitur ab occasu solis, indeque XXIV. horæ numerantur usque ad occasum Solis alterius diei: ita etiam apud Judæos diei legalis & Ecclesiastici initium sumebatur a Solis occasu usque ad vesperam alterius diei. Levit. Cap. XXIII. *A vespera usque ad vesperam celebrabitis Sabbatha vestra.* Et S. Chrysostomus Hom. LXXXII. in Matthæum scribit: *Primam Azymorum eam diem vocat* (Evangelista) *quæ ante azyma erat. Consueverant enim a vespere semper dies numerare, & ejus mentionem facit in vespere, cujus Pascha erat immolandum.* Ergo cum Christus in vespera Lunæ XIV. Pascha celebraverit, factum id

In priore vespera, quæ pertinebat ad diem naturalem XIII. mensis Nisan.

fuit in priore vespera, cum subsequens, id est, vespera diei naturalis XIV. ad Lunam XV. pertinuerit.

95. Prob. II. Judæi eodem tempore immolabant Pascha, quo primum in Ægypto immolarunt. Atqui in Ægypto Pascha immolarunt ineunte Luna XIV. ad priorem ejus vesperam, quæ finis erat Lunæ XIII. P. m. Judæi immolarunt antequam egrederentur de Ramefse. Atqui de Ramefse egressi sunt nocte post solis occasum, inchoante Luna XV. Deuteron. Cap. XVI. *Immolabis Phase vespere ad Solis occasum, quando eggressus es de Ægypto.* Numer. Cap. XXXIII. *Profecti de Ramesse in mense primo decimaquinta die mensis primi.* Ergo nocte præcedente, quæ initium erat Lunæ XIV. & finis XIII. illud celebrarunt. Et profecto ea ipsa nocte qua Pascha manducarunt, Judæos ex Ægypto egressos non fuisse, manifestum est tum ex eo, quod prohibiti sint e domibus suis egredi usque mane, exterminatore Angelo interea primogenitos Ægypti circa mediam noctem interficiente: tum quia longiori aliqua mora indigebant, ut mutuarentur ab Ægyptiis vasa aurea & argentea, utque tanta multitudo e diversis locis in Ramefse congregaretur.

96. Dices. Si Judæi in priore vespera Lunæ XIV. comedissent Pascha, dies quibus Azymorum usus præscribebatur, octo omnino fuissent. Atqui hoc manifeste repugnat Scripturis. Ergo. P. m. Exodi Cap. XII. dicitur. *Septem diebus azyma comedetis. - - - Primo mense quintadecima die mensis ad vesperam comedetis azyma usque ad diem vicesimam primam ejusdem mensis ad vesperam. Septem diebus fermentum non invenietur in domibus vestris.* R. C. M. N. m. Ad probat. C. A. N. C. Solemnitas azymorum permiscenda non est cum esu & oblatione Agni Paschalis. Prior a Deo instituta est ob liberatos ab Ægyptiaca servitute Israelitas. Deuteron. Cap. XVI. *Ut memineris diei egressionis tuæ de Ægypto, omnibus diebus vitæ tuæ;* septemque dierum spatio circumscribebatur. Posterior a Deo instituta est ob cæsos Ægypti primogenitos, & liberatos Jacobi posteros ab exterminatore Angelo, ac

XXIV.

XXIV. horarum spatio continebatur, eratque quasi Vigilia solemnitatis azymorum, alio ritu a Judæis celebranda. Luna enim XIV. necesse erat Agnum Paschalem immolare, & azymis uti. Exodi Cap. XII. *Et edent carnes nocte illa assas igni, & azymos panes cum lactucis agrestibus:* neque labor etiam servilis finita cœna, ortoque jam Sole, usque ad vesperam prohibebatur. Contra vero prima dies solemnis azymorum, seu Luna XV. festiva erat apud Judæos, prohibebaturque non solum esus, sed etiam asservatio fermentati panis in domibus Judæorum. Exodi Cap. XII. *Dies prima erit sancta atque solemnis, & dies septima eadem festivitate venerabilis: nihil operis facietis in eis, exceptis his quæ ad vescendum pertinent. - - Septem diebus fermentum non invenietur in domibus vestris.* Ex his patet, solemnitatem azymorum septem dies complexam fuisse, quorum primus & ultimus festivi erant; usum vero panis azymi integro octiduo perdurasse. Hinc Josephus Flavius paternorum rituum scientissimus, cui hac in re nec facile nec volupe fuit mentiri, scribit Lib. II. Antiquit. Judaic. *Festa per octo dies celebramus, quos vocamus azymorum.*

Et circa meridiem Lunæ XIV. Cruci affixus est, die Veneris, pridie diei primæ & solemnis Azymorum.

97. Propositio VI. Christus eadem Luna XIV. circa meridiem Cruci affixus est, pridie diei primæ & solemnis azymorum, quæ illo anno incidebat in diem Sabbathi. Assertio hæc necessario consequitur ex præcedentibus. Si enim Christus sub vesperum, Luna XIV. ineunte, seu sub vesperum diei naturalis XIII. Pascha cum discipulis manducavit, necesse est Cruci affixus fuerit die XIV. seu Luna XIV. mensis Nisan: cum juxta omnes Evangelistas Cœnam inter & Crucis supplicium Christo irrogatum, integra dies XXIV. horarum non intercesserit. Ergo id contigit pridie Lunæ XV., in qua celebrabatur dies prima & solemnis azymorum, juxta illud Numer. Cap. XXVIII. *Mense autem primo, quartadecima die mensis, Phase Domini erit, & quintadecima die solemnitas: septem diebus vescentur azymis. Quarum dies prima venerabilis & sancta erit: omne opus servile non facietis in ea.* Porro pri-

primam diem solemnem azymorum, seu Lunam XV. incidiſse anno mortis Christi in diem Sabbathi, haud obscure colligitur Imo ex Ecclesiastica traditione, qua constat amantiſsimum Salvatorem nostrum diem Veneris morte sua consecraſse. II. Ex ipsa etiam Scriptura. Joannis Cap. XIX. v. 14. dicitur: *Erat autem Paraſceve Paſchæ, hora quaſi ſexta.* Id est, dies Veneris, ac pervigilium magnæ solemnitatis Paschalis, vel primæ diei solemnis azymorum. Joan. Cap. XIX. v. 31. *Erat enim magnus dies ille Sabbathi*, nimirum ob primam diem solemnem azymorum, quæ anno illo incidebat in diem Sabbathi de se jam festivum. III. Eo anno quo Christus paſsus est, festum Pentecostes Judæorum incidit in diem Dominicam, ut constat ex traditione Ecclesiæ. Ergo etiam secunda dies azymorum incidit in diem Dominicam. Cum enim festum Pentecostes eſset dies quinquagesimus a secundo die azymorum, neceſse erat ut uterque in eandem hebdomadis diem incideret, ut numeranti patebit. Ergo eo anno quo Christus paſsus est, dies primus solemnis azymorum fuit in Sabbatho, adeoque Luna XV. incidit eo anno in diem Sabbathi, & XIV. in sexta feria Christus Cruci affixus est. IV. Videtur omnino incredibile, quod Judæi, quantumvis odio excæcati, prima solemni ac festiva die azymorum causam criminalem egerint contra Christum, Legem aperte violando in oculis multitudinis, quam sæpe Christo adhæsiſse cognoverant, neque publicam invidiam sint veriti, cum tamen paulo ante dixiſsent Matth. Cap. XXV. *Non in die feſto, ne forte tumultus fieret in populo.* V. Ex circumstantiis Dominicæ paſsionis. Urgentibus Judæis, ordine non servato, tumultuarie lata est in Christum sententia mortis, & executioni mandata: eadem adhuc die Christus e Cruce deponitur: Josephus & Nicodemus ante Solis occasum emunt sindonem, parant aromata & unguenta; fasciis involutum cadaver sepeliunt in monumento proximo, majori certe pompa & apparatu id facturi, nisi Sol ad occasum vergens eos admonuiſset,

Lu-

Lunam XV. seu primum azymorum diem solemnem magnumque Sabbathum in foribus esse, quo requies a laboribus imperabatur. Ergo Christus Luna XIV. die non festivo, pridie diei primæ & solemnis azymorum, feria VI. mortem pro nobis obiit.

98. Dices I. Dies, quo Christus passus est, vocatur ab Evangelistis Festus, solemnis. Matth. Cap. XXVII. *Per diem solemnem consueverat Præses populo dimittere unum vinctum, quem voluissent.* Marci Cap. XV. *Per diem festum solebat dimittere illis unum ex vinctis.* Lucæ Cap. XXIII. *Necesse habebat dimittere eis per diem festum, unum.* Quod etiam a Pilato eadem die factum est, quando Barabbam liberum dimisit. II. Joan. Cap. XVIII. Judæi dixerunt Pilato: *Nobis non licet interficere quemquam.* Atqui hoc dictum est a Judæis die sacro & solemni quo per Legem illis vetabatur mortem alicui inferre. III. Patres docent, Christum mortuum esse Luna XV. Resp. ad I. Quod fit in pervigilio, factum censetur ipsa festa die: neque aliud dicere volunt Evangelistæ, quam quod Præses Romanus occasione solemnitatis Paschalis solitus fuerit vinctum unum liberum dimittere. Ad II. Resp. Judæos ita locutos fuisse, non quod religioni sibi ducerent Christum die festo damnare ad mortem; sed quia Judæa in provinciæ formam a Romanis redacta, jure exuti fuerant pœna mortis animadvertendi in reos, insciis vel invitis Romanis, penes quos summum erat imperium. Atque hinc ipsi Judæi Joan. Cap. XVIII. simpliciter & absolute absque ulla restrictione fatentur: *Nobis non licet interficere quemquam.* Neque obest, quod Judæi Stephanum paulo post lapidibus obruerint: factum id enim fuit in tumultu populari, non jure; Romanis id dissimulantibus, ne colliderentur idcirco cum Judæis. Ad III. Resp. Patrum aliquos ambigue loqui; alios male ab Adversariis citari: alios demum haud obscure nobis favere, præcipue Origenem Tract. XXXV. in Matth. S. Anselmum in Cap. XXVII. Matth. & S. Epiphanium, qui Hæresi L. scribit: *Christum deci-*

decimaquarta die mactari ex præscripto Legis oportuit: ut ejus lumen, quod Judæos collustrabat, oriente Sole ac Lunam abscondente, desineret; etenim a quartadecima die deinceps Lunæ splendor imminuitur.

De usu Azymi apud Latinos.

99. Quæres II. An Latina Ecclesia in conficienda Eucharistia semper solo Azymo usa fuerit? Tres sunt circa intricatam hanc quæstionem opiniones, quæ eruditos in diversas partes trahunt. Prima est Jacobi Sirmondi in Disquisitione de Azymo, qui contendit usum fermentati octingentis & amplius annis in Ecclesia Latina solemnem fuisse; recepta vero azyma medio illo intervallo, quod a schismate Photii usque ad turbas Michaelis Cerularii effluxit, id est, ab anno Aeræ Christianæ 867. ad A. 1053. Altera est Joannis Mabillonii in Præfat. Sæculi III. Benedictini, atque in Dissertatione singulari de pane Eucharistico azymo & fermentato. Christiani Lupi Tomo III. Scholiorum in Decreta & Canones Conciliorum in Dissert. de Actis S. Leonis IX. Cap. VII. & seq. Francisci Macedo in Disquisitione Theologica de ritu azymi & fermentati. Honorati a S. Maria in Animadversionibus in regulas & usum Critices Tomo II. Lib. IV. Dissert. IV. Antonii Sandini in Disputationibus Hist. Disput. X. Edmundi Simonnet in Institut. Theol. Tract. XIV. Disp. II. Artic. III. qui putant jam ab Apostolicis temporibus in Ecclesia Latina perpetuum ac constantem fuisse Azymorum usum, & numquam receptum fuisse fermentatum. Tertia est, inter utramque veluti media, Joannis Card. Bona Lib. I. Rerum Liturgicarum, Cap. XXIII. cujus sententiam amplectuntur Lazarus Bocquillot in Tract. Hist. de Sacra Liturgia. Renatus Le Drouven de Re Sacramentaria, Lib. IV. Quæst. II. Cap. I. Paragr. III. Honoratus Tournely de Sacram. Euchar. Quæst. IV. Art. V. Volunt hi apud Latinos primis Ecclesiæ sæculis promiscuum fuisse azymi & fermentati usum, prout temporis & locorum opportunitas postulabat; nec ante Sæculi X. initium Azymum Lege communi

ac

ac generali fuisse receptum. Quid hac de re sentiamus duabus propositionibus indicabimus.

100. Propositio I. Certum est, diu jam ante schisma Photianum, Latinam Ecclesiam in Azymo consecrasse. Prob. I. Auctoritate Legatorum, quos Agatho Papa A. 680. CPolim misit ut VI. Synodo Generali, seu CPolitanæ III. præsiderent. Hi a Constantino Pogonato Imp. interrogati, ut refert Humbertus Card. in Responsione adversus Nicetam Pectoratum, *qualiter Romana Ecclesia de Sacrificio corporis & sanguinis Domini nostri Jesu Christi ordinem teneret*, responderunt: *Oblatio quæ in Sacrificium Altaris offertur, nullam commixtionem aut corruptionem fermenti debet habere: sicut Beata Virgo Maria absque omni corruptione Christum concepit & peperit. - - - Sic & oblatio munda debet esse a fermento.* Quibus verbis recitatis Nicetam ita urget Humbertus: *Tunc placuit piissimo Principi Constantino hæc traditio Apostolicæ Sedis. Ecce istius & cæterarum sex Synodorum omnibus Sanctis Patribus & Orthodoxis Imperatoribus per omnia placuit fides & traditio Apostolicæ Sedis. Et tu quis es cui displicent?* Equidem hæc in Actis VI. Synodi, quæ adhuc supersunt, haud amplius inveniuntur; neutiquam tamen dubitandum est ea extitisse: neque enim in suspicionem fraudis trahi, aut tam crassæ inscitiæ accusari potest Humbertus, inter Latinos sui ævi & vitæ probitate & doctrina unus omnium maxime illustris. Prob. II. Auctoritate Alcuini Scriptoris Sæc, VIII. circa A. 804. demortui. Hic Epist. LXIX. ad Lugdunenses scribit: *Audivimus aliquos in illis partibus* (Hispaniæ) *affirmare, salem esse in Sacrificium corporis Christi mittendum. Quam consuetudinem nec universalis observat Ecclesia, nec Romana custodit auctoritas. Tria sunt quæ in Sacrificio hujus testimonii offerenda sunt, panis, aqua, & vinum. Panis qui in Christi corpus consecratur, absque fermento ullius alterius infectionis debet esse mundissimus.* Prob. III. Auctoritate Rabani Mauri. Hic A. 819. adeoque annis minimum XL. ante schisma

Ecclesiam Latinam diu jam ante schisma Photianum

sma Photianum, Opus conscripsit de Institutione Clericorum, in quo postquam animadvertit usum panis azymi vim habuifse in Ecclesia Latina, & nemini licere alio pane uti, subjungit Lib. I. cit. Operis, Cap, XXXI. *Panem infermentatum, & vinum aqua mixtum in Sacramentum corporis & sanguinis Christi sanctificari oportet. - - - Credimus & panem illum, quem primum Dominus in cœna mystica in mysterium sui corporis consecravit, infermentatum esse.* Et Cap. XXXIII. *Istum ergo ordinem ab Apostolis & Apostolicis viris traditum Romana tenet Ecclesia, & per totum pene Occidentem omnes Ecclesiæ eamdem traditionem servant.*

101. Neque obstat silentium Photii, qui inter ea quæ objicit Latinis, nullam facit de azymo mentionem, facturus sine dubio, si azymorum usus ejus ætate in Ecclesia Latina obtinuifset. Idcirco enim Photius Azymorum usum Latinis non exprobrat, quod postea fecit Cerularius duobus sæculis Photio posterior, quia pro certo habebat eos Azymis uti exemplo Christi; quam fuifse etiam S. Chrysostomi & Græcæ Ecclesiæ sententiam profitetur in sua Bibliotheca, Codice CXVI. Cum igitur Photius ibi fateatur, Christum celebrafse Pascha legitimum, hoc est, diebus azymorum, non est cur quispiam miretur, eum non reprehendifse Latinos, quod sequentes exemplum Christi azymum consecrarent. Deinde Photius alia multa omisit, quæ postea Græci tempore Leonis IX. Latinis exprobrarunt. Denique argumentum petitum a silentio nihil prorsus efficit adversus certa & exprefsa Scriptorum testimonia, quibus probavimus usum Azymorum diu ante Photium Latinis fuifse communem.

Immo jam a temporibus Apostolorum, Rem divinam semper in azymo confecifse, ostendit

102. Propositio II. Panis azymi usus in Eucharistiæ Sacrificio probabilius constans fuit ac perpetuus ab Apostolicis temporibus in Ecclesia Latina, ac præcipue in particulari Romana. Prob. afsertio Imo Auctoritate Pontificum, & veterum Scriptorum. S. Leo IX. Epist. I. ad Michaelem Cerularium & Leonem Acridanum scribit Cap. V. Romanam Ecclesiam

siam jam a mille & vinginti annis Sacrificium in azymo conficere, B. Petri Apostolorum Principis institutione edoctam. Locum hunc integrum exhibuimus Num. 73. Et Cap. XX. *Quapropter a tanta amentia jam resipiscite, & Latinos vere Catholicos, atque Maximi Petri familiariores discipulos, institutionisque ejus devotiores sectatores cessate subsannando Azymitas vocare.* Idem Epist. VI. ad eumdem Cerularium in Collectione Harduiniana Tomo VI. Col. 956. ait: *Illud autem quis non stupeat, quod post tot Sanctos & orthodoxos Patres per mille & viginti a passione Salvatoris annos, novus calumniator Ecclesiæ Latinorum emersisti, anathematizans omnes, & publicam persecutionem excitans, quicumque participarentur ex azymis?* Humbertus Card. Sylvæ candidæ Episcopus, Leonis IX. CPoli Legatus, in Responsione ad Nicetam Pectoratum, Azymorum usum in Ecclesia Latina vocat *traditionem Apostolicæ Sedis.* Leoni & Humberto suffragantur Algerus Lib. II. de Sacramento corporis & sanguinis Domini, Cap. X. *Omnis autem Ecclesia, præter Græcam, a primordio sui ex traditione Principum Ecclesiæ, Petri scilicet & Pauli, Azymis celebravit.* Et Hugo Etherianus Lib. II. de Hæresibus, quas in Latinos Græci devolvunt, Cap. XVII. *Latinorum Sancta Ecclesia æternaliter azyma offert & immolat.* Ergo verisimilius est azymi usum in Latina Ecclesia semper viguisse. *Confirm.* Si perpetuus non fuisset in Latina Ecclesia azymi usus, & Latini usque ad VIII. vel posteriora sæcula ad Eucharistiam conficiendam fermentatum panem adhibuissent: Cerularius, qui illud omnium primus ipsis vitio vertere non dubitavit, quod pane azymo minime apta, ut ipse ajebat, materia uterentur, illud etiam, & quidem multo magis multoque acrius ac vehementius exprobrasset, quod ausi essent fermentato, cujus erat antea usus communis, azymum panem substituere, & per summam inconstantiam Eucharistiæ materiam mutare. Atqui Cerularius id numquam Latinis objecisse legitur.

ditur auctoritate Pontificum

Et argumento Præscriptionis.

103. Prob. II. Argumento præscriptionis. Sæculo VIII. & IX. ante schisma Photianum, certum est Latinos consecrasse in azymo tantum, ut Num. 100. ostendimus. Ergo etiam id factum fuit prioribus sæculis. P. C. Si prioribus sæculis Latini consecrasent in fermentato, sæculo VIII. fuisset ei subrogatus azymus panis vel a Lege Ecclesiastica, quæ jusserit fermentatum ablegari & azymum recipi, vel a communi Ecclesiæ consensu, aut a consuetudine sensim approbata & recepta. Atqui nihil horum potest verisimiliter dici. Ergo Latini prioribus etiam sæculis numquam consecrarunt in fermentato. Major videtur certa. Si enim Traditionem excipias, quidquid ad Dei cultum spectat, & disciplinæ nomine circumscribitur, aliquo ex his modis introductum fuit. Prob. etiam minor propositio. Nam I^mo^ Azymus subrogatus non fuit fermentato a Lege Ecclesiastica; quia ab institutione prima Eucharistiæ ad sæculum usque XII. indicari non potest Decretum ullum vel Romani Pontificis, vel Concilii, aut Superioris alterius Ecclesiastici, quo fermentatus panis ab Altari removeri jubeatur. II. Non a communi Ecclesiæ consensu. Quo enim pacto fieri potuit, ut omnes peculiares Ecclesiæ Occidentis sua sponte & consensu unanimi, simul cum Ecclesia Romana novum morem amplecterentur, ritumque a Majoribus acceptum & quotidiana consuetudine usurpatum dimitterent, sine ulla alicujus Episcopi contradictione, sine ullo motu populorum ac tumultu? III. Non a consuetudine sensim approbata ac recepta. Præterquam enim quod incredibile sit, Latinas omnes Ecclesias, nulla vi aut repugnantia, absque Superioris Ecclesiastici Decreto aut Lege, deseruisse caput disciplinæ ad Mysteriorum suorum Augustissimum spectans; cum tamen inviolate retinerent mores multo minoris momenti, quos vel ab institutoribus suis vel Majoribus acceperant, ut vel Mediolanensis & Hispanica Ecclesia satis ostendunt: pauca sæcula non suffecissent ad inducendam in omnes Occidentis Ecclesias contrariam consuetudinem.

nem. Ergo perpetuus ac constans fuit in Latina Ecclesia azymi usus in Misſæ Sacrificio. Ergo cum hæc mutatio nec ulla Lege Ecclesiastica, nec communi Ecclesiæ consensu, aut recepta sensim consuetudine fuerit constituta, oportet necesſario confugere ad traditionem, quæ ab ævo Apostolico descendit, juxta regulam S. Augustini Lib. IV. de Bapt. contra Donatistas, Cap. XXIV. *Quod universa tenet Ecclesia, nec Conciliis institutum, sed semper retentum est, non nisi ab authoritate Apostolica traditum rectisſime creditur.*

Duplex Traditionum Apostolicarum genus.

104. Cæterum ut vocum ambiguitas tollatur, meminisſe oportet quod sæpe alias diximus, duplex Traditionum genus ab Apostolis nobis relictum esſe. Aliæ pertinent ad fidem, suntque ex ipsius Christi ore ab Apostolis acceptæ, aut ab iisdem, Spiritu Sancto inspirante, quasi per manus traditæ: aliæ vero disciplinam spectant, suntque ab Apostolis tamquam Pastoribus & Episcopis in Ecclesiam inductæ. Ex his non nullæ ad quoddam tempus servatæ sunt, ut v. g. trina immersio in Baptismate, abstinentia a sanguine & suffocato &c. Aliquæ perpetuæ fuerunt ac numquam intermisſæ: cujusmodi est mos infundendi parum aquæ in calicem, aliaque ejusdem generis spectantia ad Sacramentorum administrationem, & Sacrosanctum Misſæ Sacrificium. Atque in harum Traditionum numero collocanda est Traditio azymi consecrandi, quæ in tota Occidentali Ecclesia ad hanc usque diem servatur.

Argumentis adversariorum.

105. Dices I. S. Ambrosius Lib. IV. de Sacram. Cap. IV. panem consecrandum vocat panem usitatum. *Tu forte dicis, meus panis est usitatus.* II. Dacius Mediolanensis Episcopus, Sæculi VI. Scriptor, in suo Chronico narrat, S. Ambrosium quosdam Græcæ Ecclesiæ mores servare consuevisſe, atque in festis solemnibus panem fermentatum cum azymis consecrasſe. III. In Vita S. Melchiadis Papæ dicitur apud Auctorem Libri Pontificalis: *Hic fecit ut oblationes consecratæ per Ecclesias ex consecratu Episcopi dirigerentur, quo declaratur fermentum.* Et in Vita S. Siricii

cii Papæ: *Hic constituit, ut nullus Presbyter Missas celebraret per omnem hebdomadam, nisi consecratum Episcopi loci designati susciperet declaratum, quod nominatur fermentum.* S. Innocentius I. Epist. ad Decentium Eugubinum, Cap. V. *De fermento vero, quod die Dominica per titulos mittimus, superflue nos consulere voluisti.* Et loco cit. fermentum vocat *Sacramentum.* IV. S. Epiphanius Hær. XXX. Ebionitas redarguit, quod Mysteria celebrarent in pane azymo. V. Toletanum XVI. A. 693. Capitulo VI. postquam objurgavit Sacerdotes quosdam, non qnod in fermentato consecrarint, sed quod *de panibus, suis usibus præparatis, crustulam in rotunditatem auferant*, postea consecrandam, jussit *ut non aliter panis Altari Domini Sacerdotali benedictione sanctificandus proponatur, nisi integer & nitidus, qui ex studio fuerit præparatus: neque grande aliquid, sed modica tantum oblata, secundum quod Ecclesiastica consuetudo retentat.* Christiani panem olim offerebant in Missa a Sacerdote consecrandum, ut postea de eo participes fierent sacram Eucharistiam sumentes. Atqui verisimile non est, etiam pauperes panem azymum obtulisse. Ergo. VII. S. Thomas in IV. Sentent. Dist. XI. Quæst. II. Artic. II. Alensis Parte IV. de Sacram. Euchar. Quæst. X. Membro IV. Art. I. S. Bonaventura in IV. Sentent. Dist. XI. Art. II. Quæst. I. scribunt, post exortam hæresin Ebionitarum, universam Ecclesiam ad hanc hæresin convellendam panem fermentatum adhibuisse, rejecto azymo: demum ad pristinum Azymorum usum Latinos rediisse, Græcos autem usum fermentati ea occasione receptum retinuisse.

Satisfit. 106. Resp. ad I. S. Ambrosius panem consecrandum vocat *usitatum*, non quatenus pani azymo, sed quatenus pani jam consecrato & corpori Christi opponitur, ut ex verbis immediate subsequentibus aperte colligitur. *Sed panis iste panis est ante verba Sacramentorum; ubi accesserit consecratio, de pane fit caro Christi.* Præterea panis azymus recte usitatus appellari potest; quandoquidem ex eadem re constat ac fermen-

mentatus, & Græci, Romani, aliæque nationes illum frequenter in mensa olim adhibebant. Ad II. Resp. Chronicon Dacii communi Eruditorum judicio opus esse supposititium; neque satis verisimile videri, Ambrosium duplici hoc panis genere usum fuisse in consecranda Eucharistia. Ad III. Resp. Decreta illa adeo obscura, ambigua & implicata esse, ut nihil certi elici inde posse videatur. Aliqui admittunt sermonem ibi esse de Eucharistia, eamque fermenti nomine significari, non quod ipsa ex pane fermentato confecta esset; sed ut putant Mabillonius in Dissert. de Azymo & fermentato, Cap. X. & Emmanuel Schelstrate de Disciplina arcani, Cap. VII., ut pro more illorum temporum, nomine obscuro profanis celaretur tantum Mysterium. Jacobus Sirmondus in Disquisitione de Azymo, Cap. V. tametsi locus pro fermenti usu, quem probare conatur, facere videtur; vult tamen Eucharistiam fermentum fuisse dictam ex eo, quod quocunque ex pane fieret, Ecclesiis, ad quas mittebatur, fermenti vicem præstaret, eisque unionis inter se vinculum esset, sicut fermentum massæ cui commiscetur. Alii cum Anselmo Havelbergensi in celebri disputatione CPoli in Templo S. Sophiæ habita cum Nechite Nicomediensi, cui suffragantur Baronius, Simonnetus &c. contendunt, Decreta Pontificum illorum non esse intelligenda de pane Eucharistico, sed de Eulogiis Episcopali benedictione consecratis, quæ singulis diebus Dominicis in Ecclesia distribuebantur, & ad vicinarum paræciarum Presbyteros mittebantur in symbolum Catholicæ communionis cum suis Episcopis. S. Innocentius I. equidem fermentum illud vocat *Sacramentum*, sed in lato sensu; quia Episcopali benedictione consecratæ erant illæ Eulogiæ, & ab Ecclesia institutæ ad significandam unionem & communionem Catholicam. Simili de causa S. Augustinus Lib. II. de peccat. merit. & remiss. Cap. XXVI. panem qui Catechumenis in Ecclesia dabatur, vocat Sacramentum. Ad IV. Resp. Ebionitas a S. Epiphanio

nio minime damnari, quod pane azymo uterentur; sed quod aquam solam absque vino adhiberent, dicerentque veterem Legem esse Evangelio sociandam. Ad V. Resp. Toletanæ Synodi verba favere magis nobis quam obesse. Quamquam enim neque fermentatus neque azymus ibi nominetur, verba tamen illa citati Capituli azymo magis quam fermentato pani convenire videntur. Quid enim aliud est *panis integer*, *nitidus*, *studio præparatus*, *&* *modica tantum oblata*, nisi panis azymus? Neque crusta a Sacerdotibus illis consecrata, negotium nobis facessit; cum & azymus etiam panis crusta non semper careat. Sed esto, quidam Sacerdotes in Hispania fermentato pane ad sacrum faciendum ex ignoratione seu perversitate usi fuerint. Quid tum postea? Num inde recte colligas, omnem Latinam Ecclesiam id temporis eumdem ritum servasse? Minime vero gentium. Ex facto enim aliquo peculiari ad universale concludendum non recte descendi, nescit nemo, qui dialecticas institutiones attigerit. Ad VI. Resp. duplicem fuisse apud veteres Christianos oblationem. Prima fiebat ante Missæ initium, sive ante Evangelii cantum, offerebantque fideles panem, vinum, ceram, aliaque multa ad cultum Dei & victum Ministrorum Altaris necessaria, atque ad pauperum & viduarum alimentum. Altera fiebat tempore Offertorii, atque hac oblatione panis & vini Sacerdotes utebantur in Consecratione. Nihil autem omnino vetat, quo minus panis hic ad conficiendam Eucharistiam a Fidelibus oblatus, azymus fuisse credatur, qui facilius confici ac parari potest, quam fermentatus, quemadmodum id Fideles fecisse post schisma Photianum ipsi Adversarii fatentur. Ad VII. Resp. apud antiquos Scriptores per mille fere annos, nullum hujus rei extare vestigium; ideoque Doctores illos hodiedum hac in re ab omnibus deseri.

De usu azymi apud Græcos.

107. Quæres III. An Græca & Orientalis Ecclesia fermentatum semper adhibuerit in Sacris Mysteriis? Affirmant communiter Eruditi, Jacobus Sirmon-

mondus, Joannes Mabillonius, Joan. Card. Bona in Lib. paulo ante citatis, Natalis Alexander Dissert. XI. Art. III. in Hist. Eccles. Sæc. XI. & XII. Augustinus Calmet in extrema Dissertat. de novissimo Paschate Christi Domini, quam præfixit Commentario in Evangelium S. Matth. Negant id Franc. Macedo in Disputatione Theologica de ritu azymi & fermentati, Honoratus a S. Maria in Animadvers. in regulas & usum Critices, Lib. IV. Dissert. V. Antonius Sandinus Disput. Hist. XI. Simonnet Instit. Theol. Tractat. XIV. Disput. II. Artic. III.

Multæ Orientis Ecclesiæ in azymo Rem Divinam celebrarunt.

108. Propositio I. Certum est, multas Orientis Ecclesias Rem Divinam in azymo celebrasse, non in fermentato; qui ritus hodiedum adhuc viget apud aliquas nationes Orientis. Nam Imo Armeni tam Catholici quam Eutychiani, quorum Patriarcha Episcopos mille sibi subjectos olim facile numerabat, numquam ad hanc usque diem ab adhibendo pane azymo destiterunt ex Traditione, quam acceptam referunt S. Gregorio primo Armeniæ Episcopo, qui sub initium Sæculi IV. jussu Tiridatis Regis Armenorum Martyrio coronatus fuit. Hinc Græci postremo schismate a Latinis divisi, Armenos ad Græcam Ecslesiam redeuntes, ut refert Joan. Bapt Cotelerius in notis ad Lib. V. Constitutionum Apostolicarum; Cap. XIII. ritum illum his verbis ejurare cogebant: *Siquis in Panem oblationis non immittit fermentum & sal, nec aquam cum vino in sanctum calicem, anathema sit.* II. Maronitæ pariter testantur, azymorum morem in Ecclesiis suis vetustissimum esse. Abrahamus Eckellensis Maronita id probat testimonio cujusdam Davidis Archiepiscopi Maronitæ, qui scripsit circa A. 1053. annis circiter XL. antequam Latini sub Godefredo Bullionio Palæstinam expugnarent. III. Michael Cerularius in Epistola ad Petrum Antiochenum conqueritur de Patriarchis Alexandrino & Jerosolymitano, quod in Missæ Sacrificio Romani Pontificis nomen recitent, eisque in crimine ponit, quod

azymis utantur: *Etiam ad aures nostras pervenit, quod prædicti duo Patriarchæ non solum alios azymis vescentes recipiunt, sed etiam ipsi aliquando in azymis conficiant Sacrificium.* Quæ verba significant Alexandrinam & Jerosolymitanam Ecclesiam noluisse azymis rejectis Græcorum Schismaticorum exemplum sequi.

Immo valde probabile est, id observatum fuisse etiam apud Græcos ab ætate Apostolorum usque ad sæc. VI. Ostenditur id ex doctrina Græcorum circa institutionem Eucharistiæ.

109. Propositio II. Valde probabile est, Ecclesiam Græcam ab ætate Apostolorum ad VI. sæculum usque, in pane azymo Eucharistiam confecisse. Prob. assertio Imo. Ecclesia Græca jam a primis sæculis non dubitavit, Jesum Christum in ultima cœna panem azymum comedisse. Asiatici enim confirmabant usum suum celebrandi Pascha Luna XIV. exemplo Christi, qui eo die Agnum Paschalem manducaverat. Origenes Tract. XXV. in Matth. asserit Christum more Judaico Pascha ultimum celebrasse. Origenem secuti sunt Theophilus, S. Cyrillus, S. Proterius Alexandrini Præsules, S. Epiphanius Hær. XXX. Theodoretus Quæst. XXIV. in Exodum, S. Chrysostomus Hom. LXXXI. & LXXXV. in Matth. Quæ opinio inter Græcos adeo communis fuit, ut Photius in Bibliotheca, Codice CXVI. scripserit, non modo S. Chrysostomum, sed etiam omnem Græcam Ecclesiam docere, Pascha legitimum a Christo celebratum fuisse. Ergo valde probabile est, Græcos ab ætate Apostolorum ad VI. usque sæculum hoc Christi exemplum fuisse imitatos, atque azymum in Sacrificio adhibuisse. P. C. his rationibus. Imo. Quia nulla nobis cognita ratione moveri poterant, ut secus facerent. II. Quia panis azymus aptior est ac purior quam fermentatus. III. Quia non constat usum panis fermentati Lege ulla Ecclesiæ Græcæ decretum fuisse. IV. Quia laude dignum est Jesum Christum imitari, ejusque exemplo in pane consecrando adhærere. *Confirm.* Ad finem Sæculi VI. quo tempore certo constat Græcos in Missæ Sacrificio fermentatum adhibuisse, Joannes Philoponus Alexandrinus Lib. de Paschate, primus omnium negavit, Pascha legale a Christo ultimo vi-

tæ

tæ suæ anno fuiſse celebratum. Græci posteriores, præcipue post schisma Photianum, rejecta veteri Ecclesiæ suæ doctrina docuerunt, Christum Dominum in celebrando Paschate statutum a Lege tempus antevertiſse; ut nimirum eo facilius se expedirent ab eo argumento, quod ab exemplo Christi petebatur pro usu panis azymi, sicque invidiam declinarent. Ergo cum alia fuerit hac de re Ecclesiæ Græcæ doctrina primis V. sæculis, longe probabilius est, eam a fermentato abstinuiſse.

Ex S. Epiphanio.

110. Prob. II. S. Epiphanius Scriptor Sæculi IV. Hæresi XXX. de Ebionitis scribit: *Myſteria vero videlicet perficiunt ſecundum imitationem Sanctorum in Eccleſia ab anno in annum, per azyma, & aliam partem Myſterii per aquam ſolam.* Ergo hæretici Ebionitæ sæculo I. & II. Mysteria Divina in azymo peragebant *ſecundum imitationem Sanctorum in Eccleſia.* Ergo Sancti, id est, Fideles tam in Latina quam Græca Ecclesia utebantur azymis; hæc enim verba indefinita *Sancti in Eccleſia*, non indicant magis Orientalem quam Occidentalem Ecclesiam, sed utramque communi hac dictione complectuntur: Aut certe si ad ullam peculiarem Ecclesiam significandam vox hæc definienda sit, Græca tantummodo intelligenda erit, cum verisimile non sit, hæreticos qui in media Ecclesia Græca versabantur, sibi in exemplar proposuiſse Fideles Ecclesiæ Latinæ, quibuscum vix aliquod commercium habebant. Quod si dicas: Ergo etiam Sancti in Ecclesia solam aquam sine vino ad Sacrificium Divinum adhibebant. Resp. N. illatum. Epiphanius enim duo aperte distinguit. Primum est, Ebionitas ex imitatione Sanctorum perfeciſse Mysteria sua in azymis; alterum, aquam solummodo adhibuiſse: in quo Sanctorum exemplum non sectabantur, sed pingui errore laborabant.

Et Moſe Armenorum Patriarcha.

111. Prob. III. Sæculo VI. ad finem vergente, Mauritius Imperator, Armenia universa in suam potestatem redacta, omnes illius Provinciæ Episcopos Constantinopolim proficisci juſsit. Sed Moses Armeno-

norum Patriarcha illuc ire recusavit, dicens, ut refertur in Narratione de rebus Armenorum in Bibliotheca Patrum Tomo XII. pag. 816.: *Absit, ut transeam fluvium Azat, vel furno coctum comedam, aut calidum bibam. Simili quoque ratione Episcopi provinciæ Asprouran, quotquot sub Persarum ditione erant*, Constantinopolim se conferre noluerunt. Alludebat nimirum Moses ad ritum Græcorum, in pane fermentato in furno cocto consecrantium, & aquam calidam calici miscentium. Ergo Armeni scandalum passi sunt a Græcis in fermentato Eucharistiam conficientibus, ut ob id nollent cum illis communicare. Ergo usus panis fermentati recentissimus tunc erat apud Græcos. Si enim Episcopi Constantinopolitano Patriarchatui obnoxii ab omni ætate Eucharistiam confecissent in fermentato, Armenos latere id non potuisset, qui usque ad illa tempora semper cum illis communicarunt, & nuper Constantinopolitano II. Concilio in causa trium Capitulorum A. 553. celebrato sub Vigilio Papa & Justiniano Imperatore interfuerant. Ergo Græci tempore illo intermedio a Constantinopolitana II. Synodo ad Mauritium, id est, ab anno 553. ad A. 592. Eucharistiæ materiam mutarunt, azymo fermentatum substituentes.

112. Atque ex his colliges Imo cur Patres Trullanæ Synodi A. 692. qui in Armenos multa decreta condiderant, indicta etiam pœna depositionis, nisi aquam in calice cum vino miscerent, Armenos tamen non vituperaverint ob usum panis azymi in sacris Mysteriis; quia nimirum ritus hic, sæculo abhinc, toti Ecclesiæ Græcæ communis erat. II. Cur Photius Patriarcha Constantinopolitanus, qui Sæculo IX. tam multa aut falsa aut levissimi momenti Latinis objecit, de azymorum usu omnino siluerit: quia nimirum optime noverat, ante tria sæcula azymum etiam a Græcis fuisse usurpatum.

Quo tempore, & quo auctore Græci

113. Si quæras, quo anno, aut quo authore Græci cœperint uti pane fermentato? Respondeo, nihil certi hac in re statui posse. Verisimile est Joannem

Jeju-

uti cœperint fermentato?

Jejunatorem, aut Cyriacum Constantinopolitanos Patriarchas Sæculo VI. ad finem vergente operam dedifse, ut priscus in azymis consecrandi ritus inverteretur. Cum enim hi duo Patriarchæ ausi sint afsumere titulum Oecumenici; ut a Pontifice Romano magis recederent, & ab ejusdem jurisdictione immunes efse viderentur, mirum non efset, fermentatum panem in azymi locum substituifse. In hoc certe tempus incidit, Mosem Patriarcham Armenorum renuifse Constantinopolim se conferre, ne cum hujus Urbis Patriarcha communionem haberet; quod nimirum fermentato pane in sacris uteretur, quæ consuetudo recentifsima tunc fuerit oportet. Eodem tempore Joannes Philoponus Alexandrinus patria, qui tunc Constantinopoli versabatur, Tractatum de Paschate conscripsit, contendens in eo, Christum ultimo vitæ suæ anno Pascha legale non celebrafse. Nimirum mutationi novæ auctoritatem addere cupiebat, & a ritu Eucharistiam in fermentato conficiendi crimen novitatis propulsare, eoquod Christus ipse in institutione Eucharistiæ panem fermento admixtum adhibuifset. Porro non est difficile creditu, mutationem hanc paulatim incrementa fecifse in Patriarchatu Constantinopolitano sub Patriarchis Monothelitis Sæculo VII. & Iconoclastis Sæculo VIII. Reliquæ Patriarchales Ecclesiæ, exemplo Constantinopolitanæ, ab antiqua disciplina paulatim desciverunt, tum instigantibus Episcopis Schismaticis & Hæreticis, qui Sedes illas subinde occupaverunt; tum etiam quia sæpe Pastoribus erant destitutæ. Constat enim Antiochiam a Saracenis captam A. 685. per tria ferme sæcula nullos Episcopos habuifse: post captas a Saracenis Jerosolymas A. 633. ad finem usque Sæculi XI. quinque tantum aut sex numerari Jerosolymitanos Patriarchas: denique incertam omnino efse Alexandrinorum Antistitum Succefsionem, posteaquam ea urbs in Saracenorum potestatem venit. Vide Honoratum a S. Maria in Animadvers. in regulas & usum

usum Critices Lib. IV. Dissert. V. Antonium Sandinum in Disputationibus Hostoricis Disput. XI.

114. Dices I. Patres Græci, quos inter S. Justinus M. Apologia II. pro Christianis, S. Gregorius Nyssenus Orat. in Bapt. Christi, S. Cyrillus Jerosol. Catech. III. Mystagogica panem consecrandum vocant *communem*. II. S. Irenæus in Epist. ad Victorem, quam exhibet Eusebius Lib. V. Hist. Eccles. Cap. XXIV. scribit, Orientalem Ecclesiam ipso Christianæ Religionis exordio habuisse ritus ab Ecclesiæ Occidentalis ritibus diversos. III. Veteres Græcorum Liturgiæ præcipiunt, ut panis Sacrificii integer sit, spissus, & justæ magnitudinis, e quo dividantur lanceola in hunc usum parata particulæ consecrandæ, quod ad hanc quoque diem præstant Græci. IV. Græci Majorum suorum ritibus tenaciter adhæserunt semper. Ergo non est credibile mutationem aliquam circa materiam Eucharistiæ intervenisse. V. Græci sæpius conquesti sunt adversus nationes Throno Patriarchali Constantinopolitano subjectas, quæ azymis præter communem usum uti cœperant. Resp. ad I. Patres illi vocant panem consecrandum panem communam, non prouti panis communis opponitur pani azymo, sed quatenus opponitur pani consecrato, seu corpori Christi. Præterea, nihil prohibet, quo minus etiam azymus panis communis dicatur, tum quia ex eadem materia constat qua fermentatus: tum quia Romani, aliæque Gentes utrumque panem azymum ac fermentatum adhibere communiter consueverant, ut liquet ex Cornelio Celso de Re Medica Lib. II. Cap. XXIV. & XXVIII. Ad II. Resp. apud Irenæum aut Eusebium ne verbum quidem inveniri, quo panis azymus aut fermentatus indicetur. Ad III. Resp. nihil omnino obstare quo minus panis azymus ita confici possit, ut postulant Liturgiæ, cum fieri eum non repugnet integrum, justæ magnitudinis, & non modica densitate constantem. Lanceolæ usum quod attinet, recens is est & novus, ut advertit Goarius in Euchologio. Ad IV.

Resp.

Resp. Græcorum animi levitatem satis notam eſse, qua reliquas nationes facile superant. Eos sane in pluribus a Majorum suorum placitis & moribus receſsiſse ostendit Leo Allatius Lib. III. de perpetua consensione Ecclesiæ Occidentalis & Orientalis, Cap. XIII. Ad V. Resp. id factum fuiſse post schisma Cerularii Sæculo XI. Ante illud tempus nullus Scriptorum proferri potest, qui insurrexerit contra Ecclesias in azymo Eucharistiam conficientes, præter S. Niconem, qui sub finem Sæculi X. Armenos idcirco arguit, quamquam hac in re prorsus immerito.

CONTROVERSIA V.

AN VINUM NECESSARIA SIT EUCHARISTIÆ MATERIA, ET AN AQUAM VINO MISCERI IN CALICE OPORTEAT?

CONTRA EBIONITAS, ENCRATITAS, MANICHÆOS, HYDROPARASTATAS, ARMENOS.

Error Aquariorum.

115. Ebionitæ nescio quam sobrietatis laudem quærentes, panem quidem ex Christi præscripto in suis mysteriis offerebant, sed aquam vini loco substituebant. Sæculo II. Tatianus, atque ex eo progeniti Encratitæ, teste S. Epiphanio Hær. XLVI. & XLVII. etiam in sacris mysteriis a vino abstinebant tamquam a fœtu diaboli. Horum insaniam imitati sunt Manichæi. Sæculo III. ignavi quidam Episcopi & Sacerdotes in Africa, veriti ne odorem vini efflando in Christianæ Religionis suspicionem apud Gentiles, atque in mortis discrimen venirent, in matutinis Sacrificis solam aquam absque vino consecrabant. Atque hi omnes generali vocabulo a Patribus Aquarii, sive Hydroparastatæ appellati sunt.

Et Armenorum.

116. Armeni contrà, in extreme oppositum errorem lapsi, aſserebant vinum purum absque mixtione aquæ consecrandum eſse, ut testatur Trullana Synodus Can. XXXII. *Ad nostram cognitionem pervenit, quod in Armenorum regione vinum tantum in sacra mensa*

sa offerunt. *aquam illi non miscentes, qui incruentum Sacrificium peragunt.* Eos autem eadem Synodus affirmat errandi occasionem sumpsisse ex Homilia LXXXII. S. Chrysostomi in Cap. XXVI. Matth. ubi putabant, S. Doctorem damnare mixtionem aquæ cum vino in calice; cum tamen ibi tantum impugnet antiquam hæresin Aquariorum, sive Hydroparastatarum. Nicephorus Lib. XVIII. Hist. Eccles. causam hujus praxis ex gravissimo Armenorum errore circa duas in Christo naturas repetit; timebant enim, ne aquam commiscentes cum vino viderentur significare duarum in Christo naturarum unionem, quam illi cum Eutychianis negabant. Equidem ipsi etiam Græci hujus erroris postulati sunt a Guidone Carmelita in Catalogo Hæresum, & Alphonso a Castro in Lib. adv. Hær. verbo *Eucharistia* Hær. VII., sed immerito sane, ut patet tum ex eorum Liturgiis, tum ex Florentino, quod in Decreto pro Armenis asserit, Sanctam Romanam Ecclesiam, & antiquas omnes tum Latinorum tum Græcorum Ecclesias semper in Sacrificio obtulisse vinum aqua temperatum.

Lutheri & Kemnitii.

117. Lutherus, cui omnia ferme displicebant quæ in Catholica Ecclesia fieri animadverterat, in primo scripto contra Regem Angliæ A. 1522. edito, fatuos & stolidos vocat eos, qui peccatum esse putant sine aqua celebrare. Tum ait: *Meo sensu melius & tutius foret aquam non miscere vino, cum sit merum figmentum humanum, & sinistram immo pessimam habeat significationem.* Et in formula Missæ seu communionis pro Ecclesia Vittenbergensi A. 1523. edita, *Nondum constitui*, inquit, *mecum, miscendane esset aqua vino; quamquam huc inclino, ut merum vinum paretur absque aquæ mixtura.* Kemnitius in II. Parte Exam. Conc. Tridentini Cap. VII. Sess. XXII. docet rem esse omnino indifferentem aquæ mixtionem in calice; & multis conatur ostendere, non esse certum quod Christus vino aquam admiscuerit: præterea non esse id necessarium, nec posse præcipi ab Ecclesia. Atque hæc videtur esse nunc sententia Lutheranorum & Calvinista-

nistarum, qui solo vino in Cœna sua, ut vocant, utuntur.

Vinum est necessaria materia Eucharistiæ.

118. Conclusio I. Vinum de vite necessaria est materia Eucharistiæ. Prob. I. ex facto Christi. Christus illam materiam calicis instituit ut necessariam & essentialem, quam ipse consecravit. Atqui Christus consecravit vinum ex uvis expressum. Ergo. P. m. Matth. Cap. XXVI. dicitur de Christo: *Et accipiens calicem, gratias egit, & dedit illis dicens: Bibite ex hoc omnes. Hic est enim sanguis meus novi testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum. Dico autem vobis, non bibam amodo de hoc genimine vitis usque in diem illum, cum illud bibam vobiscum novum in regno Patris mei.* II. Auctoritate Patrum, quos in re testatissima adducere supervacaneum foret. III. Auctoritate Conciliorum: Carthaginensis III. A. 397. Can. XXIV. *Ut in Sacramentic corporis & sanguinis Domini nihil amplius offeratur, quam ipse Dominus tradidit, hoc est, panis & vinum aqua mixtum. Nec amplius in Sacrificiis offeratur, quam de uvis & frumentis.* Item Lateranensis IV. Cap. *Firmiter*, Florentini in Decreto pro Arm. ac Tridentini Sess. XIII. Cap. IV. Vinum autem requiri vitigineum, verum ac proprie tale, apertis verbis tradunt Aurelianense IV. A. 541. Can. IV. *Ut nullus in oblatione sacri calicis, nisi quod ex fructu vineæ speratur, & hoc aqua mixtum, offerre præsumat; quia sacrilegum judicatur aliud offerri, quam quod in mandatis sacratissimis Salvator instituit.* Et Antisiodorense A. 578. Can. VIII. *Non licet in altari in Sacrificio divino mellitum, quod mulsum appellant, nec ullum aliud poculum, extra vinum cum aqua mixtum, offerre: quia ad grandem reatum & peccatum pertinet Presbytero illi, quicunque aliud poculum, extra vinum, in consecrationem sanguinis Christi offerre præsumpserit.* IV. Ex usu & praxi Ecclesiæ, quæ semper vinum de vite adhibuit in Sacrificio Missæ. Atque hinc Presbyteri Edessanæ Ecclesiæ in libello contra Ibam Episcopum oblato Be-

Berytensi Synodo, cujus Acta relecta fuerunt in Chalcedonensi, Actione X. conquesti sunt, quod ejus culpa vinum, ex quo confici debebat Eucharistia, purum non fuerit: *Dum memoria fieret SS. Martyrum, non est datum vinum ad Sacrificium Altaris, ad sanctificationem & populi distributionem, nisi admodum exiguum & vitiosum ac lutosum, & quasi eo tempore vindemiatum.*

Concessio Innocentii VIII. Norvegis facta est prorsus commentitia.

119. Quod si Raphaelem Volaterranum objicias, qui Lib. VII. Geographiæ scribit: *Norvegiæ Innocentii VIII. Pontificis concessione permissum sine vino calicem sacrificare, quod ob immensa frigora vinum in ea regione importatum acescat.* Resp. narratiunculam illam Volaterrani communi Eruditorum judicio ad fabulas ablegandam esse. Nullum certe ea de re Decretum extat, neque verisimile est, Pontificem Maximum sacræ Traditionis adeo oblitum fuisse, aut Norvegos legatione missa ab Innocentio postulasse, ut potestas ipsis fieret Sacrificium offerendi sine calice ob vini penuriam; omnium enim, qui hanc in regionem iter fecerunt, relatione constat, vina generosa illic conservari, non solum quæ ad rem sacram faciendam sufficiant, sed etiam ad opipare bibendum propinentur. Jllud addendum, temporibus Innocentii VIII. A. 1489. Dominicum de Viterbio, & Franciscum Maldente, ac quosdam alios improbos Sacerdotes, quod Pontificia diplomata adulterare ac nova producere ausi fuerint, Romæ strangulatos, igneque absumptos fuisse. Facile igitur contingere potuit, ut quæ hic a Volaterrano narrantur, ex non dissimili falsariorum impostura prodierint, cum præsertim nemo alius eius ævi Scriptorum concessionis illius meminerit.

Christus in ultima Cœna vinum aqua temperatum consecravit.

120. Conclusio II. Christus Sacramentum Eucharistiæ in ultima Cœna instituens, vinum aqua temperatum consecravit. Prob. I. Auctoritate Patrum, a quibus traditio hæc ad nos derivata est. S. Irenæus Lib. IV. adv. Hæres. Cap. XXXIII. alias LVII. scribit: *Accipiens panem, suum corpus esse confitebatur, & temperamentum calicis, suum sanguinem confirmavit.* S. Cyprianus Epist. LXIII. ad Cæcilium: *Dominus panem*

& ca-

& calicem mixtum vino obtulit. S. Hieron. Comment. in Cap. XIV. Marci. *Christus format sanguinem suum in calice, vino & aqua mixtis.* S. Joan. Damasc. Lib. IV. de Fide Orthodoxa, Cap. XIV. *Consimili modo acceptum calicem, ex vino & aqua constantem, impertivit eis.* Idem testantur antiquissimæ Liturgiæ S. Basilii: *Similiter etiam calicem post cœnam aqua & vino miscuit.* Et S. Cyrilli: *Similiter & calicem post cœnam miscuit vino & aqua.* Prob. II. Auctoritate Conciliorum, Carthaginensis III. Cap. XXIV. superius laudato. Tridentini Sess. XXII. Cap. VII. Florentini in Decreto pro Armenis: *Aqua autem ideo* (vino) *admiscetur, quoniam juxta testimonia Sanctorum Patrum ac Doctorum Ecclesiæ pridem in disputatione exhibita, creditur ipsum Dominum in vino aqua permixto hoc instituisse Sacramentum.* Prob. III. Ex antiquo more Judæorum, qui in quotidianis epulis vinum aqua miscebant: cujus observantiæ causa erat temperantiæ in his regionibus necessitas, ubi propter calores immodicos, & prævalidos vini spiritus, vulgo aqua diluitur vinum, ne capiti & stomacho noceat.

In calice Eucharistico vino admisceri debet aqua.

121. Conclusio III. Necesse est aquam vino admisceri in calice Eucharistico. Prob. I. Auctoritate Patrum. S. Justinus Apologia II. sub finem ait: *Precibus peractis, panis offertur & vinum & aqua.* S. Irenæus Lib. V. adv. Hær. Cap. IV. *Quando ergo & mixtus calix, & fractus panis percipit verbum Dei, fit Eucharistia sanguinis & corporis Christi.* S. Cyprianus Epist. LXIII. ad Cæcilium: *Admonitos nos scias, ut in calice offerendo Dominica traditio servetur, neque aliud fiat a nobis, quam quod pro nobis Dominus prior fecerit; ut calix qui in commemorationem ejus offertur, mixtus vino offeratur.* S. Joan. Damasc. Lib. IV. de Fide Orthodoxa, Cap. XIV. *Panis ac vinum & aqua, per Sancti Spiritus invocationem & adventum, mirabili modo in Christi corpus & sanguinem vertuntur.* II. Exemplo Christi, de quo paulo ante diximus. III. Auctoritate Conciliorum, Carthaginensis III. Cap. XXIV.

Aurelianensis IV. Can. IV. quorum verba paulo ante exhibuimus. Bracarensis III. A. 675. Capitulo II. *Calix Dominicus vino & aqua permixtus debet offerri: quia videmus in aqua populum intelligi, in vino vero ostendi sanguinem Christi.* Vormatiensis A. 868. Can. IV. *Calix Dominicus vino & aqua permixtus debet offerri.* Triburiensis A. 895. Can. XIX. *Cujus rei veritatem* (quod nempe vinum in calice aqua permiscendum sit) *in hac sancta Synodo confitemur, credimus & confirmamus, ne ullus sine commixtione vini & aquæ Mysteria sacra conficiat.* Tridentini Sess. XXII. Can. IX. *Siquis dixerit - - aquam non miscendam esse vino in calice offerendo, eoquod sit contra Christi institutionem; anathema sit.*

In modica tamen quantitate.

122. Cæterum aqua in modica quantitate vino miscenda est, ut statuunt Leges Ecclesiasticæ. Triburiense A. 895. Can. XIX. ait: *Duæ sint partes vini, quia major est majestas sanguinis Christi, quam fragilitas populi; tertia aquæ, per quam intelligitur infirmitas humanæ naturæ.* Honorius III. Cap. *Perniciosus*, Extra de celebratione Missarum: *Perniciosus inolevit abusus, videlicet quod in majori quantitate de aqua ponitur in Sacrificio, quam de vino; cum secundum rationalem consuetudinem Ecclesiæ generalis, plus in ipso sit de vino quam de aqua ponendum.* Florentinum in Decreto pro Arm. *Vino ante consecrationem aqua modicissima admisceri solet.* Antonius Augustinus in Synodalibus Constitutionibus Ecclesiæ Tarraconensis Constitutionem memorat S. Pii V. ad ejusdem Civitatis Archiepiscopum missam, qua non nullos redarguit, qui non guttam aquæ, ut fieri debet, sed plus aquæ quam vini in calicem infundebant: quod omnino corrigi & emendari præcepit.

Idque non jure divino præcipitur, sed Ecclesiastico & Apostolico.

123. Quæres I. An aquam vino admiscere in sacro calice necessarium sit necessitate Sacramenti; ita ut sine aqua invalida sit consecratio, aut necessitate præcepti divini? Resp. longe probabilius id necessarium esse necessitate dumtaxat præcepti Ecclesiasti-

siastici & Apostolici. Prob. asſertio contra Alensem, Stanislaum Hosium, & Alphonsum a Castro, tum negative, quia neque ex Scripturis neque ex Traditione ostendi potest aquam in Sacrificio necesſariam esſe necesſitate Sacramenti aut præcepti divini: tum etiam positivis argumentis. Ac 1mo quidem auctoritate Patrum. S. Cyprianus Epist. LXIII. ad Cæcilium ait: *Si vinum tantum quis offerat, ſanguis Chriſti incipit eſſe ſine nobis; ſi vero aqua ſit ſola, plebs incipit eſſe ſine Chriſto.* Ergo sine aqua valida est consecratio, quia nimirum Christus incipit ibi esſe. S. Bernardus de Sacerdote, qui per negligentiam aut oblivionem aquam non miscuerat, scribit Epist. LXIX. *Non nego panem & vinum aquæ mixtum debere apponi; ſed aliud eſt culpare negligentiam, aliud negare efficaciam.* II. Nec Trullana Synodus, nec Florentina Armenis umquam objecerunt, nullum ab ipsis fieri Sacramentum, quod aquam vino non admiscerent; quia nimirum Patribus illis persuasum erat aquam non esſe necesſariam ad esſentiam Sacramenti, ideoque jure divino non esſe præceptam. III. Florentinum in Decreto pro Armenis docet, materiam Eucharistiæ esſe panem triticeum & vinum de vite; quibus verbis exprimit totam materiam esſentialem Sacramenti hujus. Tridentinum Sesſ. XIII. Cap. III. ait: *Semper hæc fides in Eccleſia Dei fuit, ſtatim poſt conſecrationem verum Domini noſtri corpus, verumque ejus ſanguinem ſub panis & vini ſpecie una cum ipſius anima & Divinitate exiſtere.* Et Sesſ. XXII. Cap. VII. *Monet deinde Sancta Synodus, præceptum eſſe ab Eccleſia Sacerdotibus, ut aquam vino in calice offerendo miſcerent.* Quod si aqua necesſitate præcepti divini miscenda esſet vino, sicut a Christo præceptum est ut panis triticeus & vinum de vite adhibeantur, valde incongrue diceret Synodus, infusionem aquæ Sacerdotibus præceptam fuisſe ab Ecclesia. IV. In Rubricis Misſalis Romani Tit. de defectibus vini, dicitur: *Si celebrans ante conſecrationem calicis advertat non fuiſſe appoſitam aquam, ſtatim ponat eam, & proferat verba conſecrationis.*

Si id advertat post consecrationem calicis, nullo modo apponat, quia non est de necessitate Sacramenti.

124. Afsertioni huic opponi potest 1mo. Jllud est de necefsitate Sacramenti, quod Christus usurpavit. Atqui talis est mixtio aquæ. II. Patres & Concilia, ut Carthaginense III. Cap. XXIV. &c. dicunt mixtionem aquæ a Christo efse traditam. III. Aqua quæ in calice miscetur, est signum unionis populi cum Christo, quam efficit Eucharistia. Ergo est necefsaria necefsitate Sacramenti. IV. Sacrificium Mifsæ est efsentialiter repræsentatio mortis Christi. Ergo cum aqua sit symbolum illius quæ cum sanguine e latere Christi fluxit, est omnino necefsaria ad Sacrificium. V. Si offeratur calix sine aqua, existit & offertur sanguis Christi sine nobis. Ergo non est verum Sacrificium, quia non significat Sacrificium interius. VI. S. Cyprianus Epist. LXIII. ad Cæcilium scribit: *Calix Domini non est aqua sola, aut vinum solum, nisi utrumque sibi misceatur; quomodo nec corpus Dominicum potest esse farina sola, aut aqua sola, nisi utrumque adunatum fuerit & copulatum, & panis unius compage solidatum.* Ergo sicut panis efsentialiter compingitur ex farina & aqua: ita calix Eucharisticus juxta S. Cyprianum necefsario debet efse mixtus vino & aqua. VII. Idem l. c. ait: *Si nec minima de mandatis Dominicis licet solvere: quanto magis tam magna, tam grandia, tam ad ipsum Dominicæ passionis & nostræ redemptionis Sacramentum pertinentia, fas non est infringere, aut in aliud, quam quad divinitus institutum sit, humana traditione mutare?* Ergo juxta S. Cyprianum aquæ mixtio est præcepti divini.

125. Verum facile ad hæc omnia respondetur. Ad 1mum N. M. Secus invalide conficeretur Eucharistia in pane fermentato, eoquod Christus azymum adhibuerit, eumque semper usurpaverit Latina Ecclesia. Exemplum itaque Christi, & usus Ecclesiæ perpetuus non sufficiunt, ut quid pertinere censeatur ad efsentiam Sacramenti; sed necefse est ut aut apertum sit Christi præceptum, aut aperte Ecclesia, infallibilis

ver-

verborum Christi interpres, declaraverit, hoc vel illo non adhibito, nullo modo confici Eucharistiam. Ad II. Resp. Patres & Concilia dicunt mixtionem aquæ cum vino eſse a Christo traditam, nimirum tamquam exemplum quod sequi deceat; non vero tamquam legem, quæ neceſsitatem inducat. Carthaginense III. Cap. XXIV. per verbum *tradidit* non significat præceptum, sed rem oblatam: ita ut sensus sit, nihil eſse offerendum præter id, quod Christus prior obtulit. Ad III. Aqua est signum unionis populi cum Christo, non unicum ac primarium, sed secundarium, accidentale, ab Ecclesia institutum, sicut vestis alba in Baptismo signum est secundarium & accidentale reparatæ innocentiæ. Unio itaque fidelium cum Christo primario & ex institutione Divina significatur per sumptionem corporis & sanguinis Domini sub speciebus panis & vini. Ad IV. Resp. Christi mortem sufficienter repræsentari per consecrationem panis & vini, vi cujus sanguis a corpore mystice separatur: nec ad rationem Sacrificii Miſsæ requiri, ut singulæ paſsionis Dominicæ circumstantiæ repræsententur. Ad V. Resp. Sacrificium interius, seu interior dispositio & submiſsio satis intelligitur ex ipsa ratione generica Sacrificii: atque ideo quamvis aqua adhibeatur, sanguis tamen Christi non offertur sine nobis absolute, sed tantum in aliquo sensu, & quatenus illo signo accidentali, quod exhibetur per aquæ mixtionem, non significamur offerri cum Christo. Ad VI. Resp. I. Quæcunque fuerit S. Cypriani opinio, sensum universæ Ecclesiæ, quem nobis suffragari ostendimus, incunctanter anteponimus illius auctoritati. Resp. II. N. C. S. Cyprianus non comparat mixtionem vini & aquæ in calice cum mixtione farinæ & aquæ in pane ex quo fit corpus Christi, quantum ad veritatem seu valorem consecrationis, sed quantum ad repræsentationem seu significationem mysticam. Quemadmodum enim grana multa commolita & commixta cum aqua panem unum faciunt, & significant fideles unum eſse corpus in Christo qui

panis

panis est cœlestis: sic quoque mixtio aquæ cum vino eamdem populi cum Christo adunationem & conjunctionem significat in calice. Ad VII. N. C. Cum de vino, non de aqua excitata fuerit controversia in Africa, Cyprianus totus in eo est, ut ostendat Aquariis vinum necessario esse offerendum, sine quo nulla est & invalida consecratio calicis; de ipsa vero aqua non disputat, sed supponit quod ipsi admittebant Aquarii, illam nempe esse usurpandam, non solam quidem, ut ipsis placebat, sed vino mixtam. Quando igitur S. Doctor institutionem, exemplum, ac præceptum Christi toties urget & inculcat, non ad aquæ, sed vini necessitatem comprobandam refert; de sola enim vini necessitate lis tunc mota fuerat.

Aqua vino mixta in calice, convertitur in sanguinem Christi.

126. Quæres II. An aqua vino mixta in calice, reipsa convertatur in sanguinem Christi? Resp. affirmative. Assertio hæc non ad fidem quidem pertinet; ita tamen certa a Theologis habetur, ut opposita censeatur temeraria. Prob. itaque I^mo^ Auctoritate Scripturarum. Matth. Cap. XXVI. Christus *accipiens calicem gratias egit, & dedit illis, dicens: Bibite ex hoc omnes: hic est enim sanguis meus.* Ex quibus verbis hoc instruitur argumentum. Christus omnem liquorem qui in calice continebatur, vertit in suum sanguinem; quia de toto illo liquore illimitate dixit: *Hic est sanguis meus.* Atqui in calice erat etiam aqua. Ergo aquam vertit in suum sanguinem. II. Auctoritate Patrum, qui dicunt ante consecrationem in calice esse vinum & aquam post consecrationem vero esse Christi sanguinem. S. Ambrosius Lib. IV. de Sacram. Cap. IV. scribit: *Ergo didicisti quod ex pane corpus fiat Christi, & quod vinum & aqua in calicem mittitur, sed fit sanguis consecratione verbi cœlestis.* Et Cap. V. *Ante verba Christi calix est vini & aquæ plenus: ubi verba Christi operata fuerint, ibi sanguis efficitur qui plebem redemit.* S. Joan. Damascenus Lib. IV. de Fide orthodoxa, Cap. XIV. *Quemadmodum naturaliter panis per cibum, & vinum & aqua per potum, in comedentis & bibentis corpus & sanguinem immutantur,*

tur, corpusque alterum fiunt, atque a priori ipsius corpore diversum; sic propositionis panis, ac vinum & aqua per Sancti Spiritus invocationem & adventum, mirabili modo in Christi corpus & sanguinem vertuntur, nec sunt duo, sed unum & idem. Idem docent Scriptores Ecclesiastici ante Sæculum XII. quo lis hæc in Galliis exorta est. Sæc. IX. Paschasius Ratbertus Lib. de Corpore & Sanguine Domini, Cap. XI. ait: *Aqua consecratur, non quod aqua permaneat, sed vertatur in sanguinem Christi.* Sæc. XI. Algerus Leodiensis in Tractatu de Sacramento corporis & sanguinis Domini: *Licet in mensa Domini tria constituantur munera, sunt tamen duo per quæ sacrificatur: est aqua mixta prius vino; sed quando sacratur, non est nisi sanguis quo anima intus alatur.* III. Paritate. Sicut fermentum, quod Græci pani triticeo admiscent, convertitur simul cum tritico in corpus Christi, quia pars est panis usualis, licet aliunde non sit pars essentialis & necessaria ad validam consecrationem: ita pariter aqua, etsi non sit essentialis ac necessaria necessitate Sacramenti pars calicis consecrandi, quia tamen est pars usualis potus quem Christus usurpavit, idcirco in sanguinem simul cum vino convertitur.

127. Neque dicas, aquam calicis converti in illam quæ e Christi latere fluxit; etenim nec Scriptura, nec Traditio id docet: nihil autem hac in re affirmandum est, nisi quod divinitus revelatum fuit. Dein in illud solum in Eucharistiæ Sacramento fit conversio, quod verbis consecrationis significatur; nihil enim mystica verba efficiunt, nisi quod significant. Atqui consecrandi calicis formula nullam significat conversionem aquæ in illam quæ e latere Christi effluxit: non enim dicit Sacerdos Christi nomine calicem consecrans, *hæc est aqua lateris mei*, sed *hic est calix sanguinis mei*. Ergo.

Et quidem immediate, quin prius in vinum convertatur.

128. Quæres III. An aqua prius in vinum convertatur quam in sanguinem Christi? Resp. aquam immediate in sanguinem Christi converti. Ita communissima Recentiorum contra veteres Scholasticos,

præcipue Thomistas. Prob. afsertio. Conversio aquæ in vinum neque prodigio neque naturæ adscribi potest: non prodigio; quia nulla hujus necefsitas urget, nullumque habetur in Scripturis aut Patribus fundamentum id adstruendi: non naturæ; quia nostris præcipue temporibus deridendum se propinaret Philosophis, qui aquam vino commixtam afsereret naturæ viribus in vinum mutari, non dicam exiguo illo intervallo, quod ab Offertorio ad Consecrationem usque intercedit, verum etiam intra quodcunque temporis spatium. Verum piget veritati huic demonstrandæ diutius inhærere. Venia potius veteribus Scholasticis danda est, quibus naturæ arcana pro genio illorum temporum parum perspecta erant.

129. Dices I. Aqua non est materia consecrationis. Ergo debet prius in vinum converti. II. Christus non dedit Apostolis potestatem convertendi aquam in sanguinem. Ergo. P. A. Christus non præcepit Apostolis, ut aquam vino miscerent in calice. Ergo potestatem illis non dedit convertendi aquam in sanguinem. III. Florentinum in Decreto pro Armenis jufsit modicifsimam aquam calici infundi: cujus rei ratio alia dari nequit, quam ut modica aqua a majori vini virtute superetur. IV. Tridentinum Sefs. XIII. Can. II. docet, post consecrationem manere tantum species panis & vini. At juxta nos manerent etiam species aquæ. V. Idem Concilium docet Sefs. XIII. Can. III. Christum remanere sub singulis cujusque speciei partibus, facta separatione. Ergo etiam, facta separatione, maneret sub speciebus aquæ. VI. Innocentius III. Cap. *Cum Marthæ*, Extra, de Celebrat. Mifs. eorum dicit probabiliorem sententiam, qui volunt aquam prius converti in vinum quam in sanguinem. VII. Dominicani & Carmelitæ antiquæ observantiæ prius aquam cum vino infundunt in calicem, quam Mifsæ Sacrificium auspicentur. Atqui hujus consuetudinis alia ratio dari non potest, quam ut vino detur tempus ad agendum in aquam. Ergo.

130. Ve-

130. Verum Adversarii ratiunculis his minime evincunt conversionem aquæ in vinum. Itaque ad I. Resp. D. A. Aqua sola non est materia consecrationis, C. A. Aqua commixta cum vino, & prout est pars vini usualis, N. A. & Conseq. Materia calicis est vinum, sive purum, sive usuale & cum aqua commixtum, ita ut in morali æstimatione sit vinum de vite. Ad II. D. A. Christus non dedit Apostolis potestatem aquam solam convertendi in sanguinem, C. A. Aquam commixtam cum vino, N. A. Ad *probat.* C. A. N. C. Sicut Christus Apostolis potestatem dedit consecrandi vinum rubrum vel album, licet neutrum determinate præceperit; ita dedit illis potestatem consecrandi vinum purum vel aqua temperatum, licet neutrum determinate, sed tantum sub disjunctione præceperit. Ad III. Resp. Ideo præscribi modicam quantitatem, tum quia major est Majestas Christi significata per vinum, quam fragilitas populi significata per aquam, ut ait Concilium Triburiense Can. XIX.; tum ne in multis regionibus, in quibus vinum sat debile est, aqua copiose affusa corrumpat vini substantiam. Ad IV. D. M. Tridentinum docet manere species panis & vini puri tantum, N. M. Vini usualis, commixti cum aqua, C. M. Et D. m. Juxta nos manerent species aquæ ut separatæ a vino, N. m. Species aquæ ut commixtæ cum vino, & constituentes statum sensibilem vini usualis, C. m. Ad V. D. A. Sub singulis speciei partibus materiæ essentialis & necessariæ, C. A. Materiæ dumtaxat accidentalis, qualis est aqua facta separatione, N. A. & Conseq. Si aqua a vino consecrato separetur, non amplius sub suis speciebus contineret sanguinem Christi, quia non amplius esset pars vini usualis. Totum hoc argumentum solvendum est ipsis Adversariis. Si enim in pane triticeo permixta sint aliqua grana alterius frumenti in modica quantitate, totus nihilominus panis ex farina ita permixta confectus convertitur in corpus Christi. Quærere jam lubet, an post consecrationem solæ species panis triticei

maneant? An, si modica illa alterius speciei grana a pane triticeo consecrato separarentur, manerent consecrata? Ad V. Resp. Innocentium III. approbare tantum eam sententiam, quæ dicit aquam cum vino converti in sanguinem Dominicum, non autem approbare rationem sententiæ, quod aqua prius convertatur in vinum. Idem Innocentius III. Lib. IV. de Mysteriis Misæ, Cap. XI., quem librum ante Pontificatum suum conscripsit, omnino favet sententiæ nostræ. *In Sacramento corporis*, inquit, *est trinitas specierum, panis videlicet, vini & aquæ.* Ergo manifeste supponit aquam immediate converti in sacrum sanguinem; si enim in illum immediate non converteretur, tantum esset dualitas specierum, panis & vini. Ad VII. Resp. Id a Dominicanis & Carmelitis non fieri ex putida illa ratiuncula; sed quia antiquum Ecclesiæ Latinæ ritum sequuntur, quo cautum erat, ut veteres Liturgiæ ostendunt, prius materiam Sacrificii esse præparandam, quam Sacerdos Missam inchoaret, quod hodiedum etiam a Græcis observatur.

Ecclesia cur in Sacrificio præceperit mixtionem aquæ cum vino?

131. Quæres IV. Cur Ecclesia præceperit Sacerdotibus mixtionem aquæ cum vino in Sacrificio Missæ? Resp. Ecclesiam justis de causis id præcepisse, quas assignat Florentinum in Decreto pro Armenis: *Aqua autem ideo admiscetur, quoniam juxta testimonia Sanctorum Patrum ac Doctorum Ecclesiæ pridem in disputatione exhibita, creditur ipsum Dominum in vino aqua permixto hoc instituisse Sacramentum. Deinde quia hoc convenit Dominicæ passionis repræsentationi. Inquit enim B. Alexander Papa quintus a B. Petro: In Sacramentorum oblationibus, quæ intra Missarum solemnia offerentur, panis tantum & vinum aqua permixtum in Sacrificium offerantur. Non enim debet in calicem Domini aut vinum solum, aut aqua offerri; sed utrumque permixtum: quia utrumque, id est, sanguis & aqua ex latere Christi profluxisse legitur. Tum etiam quod convenit ad significandum hujus Sacramenti effectum, qui est unio populi Christiani ad Christum. Aqua enim populum significat, secundum*

dum illud Apocalypsis: Aquæ multæ, Populi multi. Et Tridentinum Sess. XXII. Cap. VII. *Monet Sancta Synodus, præceptum esse ab Ecclesia Sacerdotibus, ut aquam vino in calice offerendo miscerent; tum quod Christum Dominum ita fecisse credatur, tum etiam quia e latere ejus aqua simul cum sanguine exierit, quod Sacramentum hac mixtione recolitur, & cum aquæ in Apocalypsi B. Joannis populi dicantur; ipsius populi fidelis cum capite Christo unio repræsentatur.* Atque hinc ratione mysterii quod significatur, præceptum hoc sub gravi obligare fatentur Theologi omnes, ita ut Sacerdos, qui propria culpa, sciens ac volens, aquam cum vino non permiscet in calice, gravissimo reatu se obstringat.

Cur Græci aquam bis infundant, semel frigidam, ac dein ferventem?

132. Quæres V. An Græci, qui bis aquam infundunt, semel frigidam in mensa propositionis ubi sacra dona præparantur, ac demum ferventem aquam, peracta jam consecratione, simul cum particula panis consecrati quam injiciunt in calicem, legitime id faciant, & qua de causa? Resp. Græcorum hunc ritum antiquissimum esse, quia mentionem ejus facit S. Germanus Constantinopolitanus Patriarcha initio Sæculi VIII. in sua Theoria mystica; immo Sæculo VI. jam viguisse colligitur ex responso Mosis Armenorum Patriarchæ, de quo superius diximus, Num. 111. ubi de Azymo Græcorum egimus: *Absit ut transeam fluvium Azat, vel furno coctum comedam, vel calidum bibam:* neque umquam ab Ecclesia Latina fuisse in Græcis reprobatum. Cum enim in Florentino Concilio Latini quæsivissent, cur Græci in sacrum calicem ferventem aquam infunderent; quæstioni huic a Dorotheo Mitylenensi Episcopo plene satisfactum fuisse Acta Concilii memorant. Porro ritus hujus tres mysticas causas asserunt Græci. I^{ma} est, ut significentur aqua & sanguis, quæ de Christi latere calida fluxerunt. II^{da}. Ut per ferventem aquam significetur, mortuo Christo, ab ejus corpore Divinitatem non fuisse separatam: ideoque corpus Domini vivificum adhuc mansisse propter Divinitatem ab eo nusquam semotam. III. Ut hoc ritu significetur Spiritus San-

 cti

cti in Ecclesiam illapsus. *Hæc enim aqua*, inquit Nicolaus Cabasilas Lib. de Sacris Mysteriis, Cap. XXXVII., *cum & aquæ naturam habeat, & ignis sit particeps, significat Spiritum Sanctum, qui etiam aqua dicitur, & tamquam ignis in Christi discipulos illapsus apparuit.*

CONTROVERSIA VI.

AN, ET QUÆNAM SIT NECESSARIA FORMA CONSECRATIONIS PANIS ET VINI EUCHARISTICI?

CONTRA BUCERUM, PROTESTANTES, GRÆCOS SCHISMATICOS.

Error Manichæorum.

133. Manichæi olim sentiebant non opus esse aliqua forma ad conficiendam Eucharistiam; eoquod putarent Christum præsentem esse in omni pane, absque ulla consecratione. Hinc S. Augustinus Lib. XX. contra Faustum Manichæum, Cap. XIII. ita scribit: *Noster panis & calix, non quilibet (quasi propter Christum in spicis & in sarmentis ligatum, sicut illi desipiunt) sed certa consecratione mysticus fit nobis, non nascitur, Proinde quod non ita fit, quamvis sit panis & calix, alimentum est refectionis, non Sacramentum religionis. - - Vobis autem per fabulam vestram in escis omnibus Christus ligatus apponitur, adhuc ligandus vestris visceribus, solvendusque ructatibus. Nam & cum manducatis, Dei vestri defectione vos reficitis; & cum digeritis, illius refectione deficitis.* Sæculo XVI. Martinus Bucerus Comment. in Cap. XXVI. S. Matth. aperte docuit, minime necessarium esse ut in celebratione Eucharistiæ verba aliqua recitentur, atque usu magis panis & vini a Christo imperato, quam ullis verbis effici Sacramentum Eucharistiæ; eoquod Dominus jusserit panem frangi & manducari, non autem jusserit super panem dici, *Hoc est corpus meum.*

Lutheri & Calvini.

134. Lutherus Libro de abroganda Missa, & Calvinus Lib. IV. Instit. Cap. XVII. volunt hæc Christi Domini verba, *Hoc est corpus meum. Hic est sanguis*

meus,

meus, historice & narrative tantum a celebrante pronuntiari; non vero significative, quasi celebrans ea verba proferat cum intentione affirmandi id quod præ manibus tenet, esse corpus Christi. Docent præterea verba Evangelica adhibenda esse ad fidem more concionis excitandam & nutriendam; minime vero ut panis & vinum virtute quadam divinitus accepta sanctificentur ac consecrentur. Hinc Calviniani negant laudata Christi verba esse consecratoria; sed mere concionalia esse contendunt, idonea tantum ad excitandam fidem divinarum promissionum, quas Eucharistia quodammodo obsignat. Lutherani admittunt eadem verba esse etiam consecratoria; at longe alio sensu quam Catholici. Ideo enim a nobis vocantur consecratoria, quia vim habent tamquam instrumenta Dei convertendi panem in corpus Christi, & vinum in ejus sanguinem: Lutherani autem per verba illa quæ vocant consecratoria, intelligunt ea quibus corporis Christi in pane, & sanguinis ejus in vino præsentia significatur & annunciatur. Quare a Calvinianis non differunt nisi in modo loquendi.

Græcorum quorumdam schismaticorum.

135. Recentiores Græci Schismatici, quos inter præcipue numerandi sunt Nicolaus Cabasilas, Marcus Ephesinus, Simeon Thessalonicensis, & Gabriel Philadelphiensis, ajunt verba Christi, *Hoc est corpus meum*, *Hic est sanguis meus*, quæ in Missa a Sacerdote proferuntur, narrative tantum enuntiari, non significative: aut si aliquid consecrationi conducant, ea saltem non sufficere ad conficiendam Eucharistiam, & necessario conjungenda esse cum precibus, quæ apud Latinos præcedunt, apud Græcos vero subsequuntur verba Christi, ubi Sacerdos Græcus Deum rogat, *ut mittat Spiritum Sanctum suum super proposita dona, & panem faciat corpus Christi, vinum vero sanguinem ejus immutans ea Spiritu Sancto suo:* ita ut adæquata forma consecrationis consistat tum in verbis Christi, *Hoc est corpus meum &c.* tum in precibus illis, quæ pro diversa Ecclesiæ Græcæ & Latinæ consuetudine verba Christi vel præcedunt, vel subsequuntur. Pa-

tronum nacta est hæc opinio Ambrosium Catharinum in duobus Opusculis, quæ hac de re conscripsit, & ad Tridentinos Patres transmisit. Catharino suffragantur Christophorus a Capite Fontium, atque ante annos non adeo multos P. Le Brun Presbyter Oratorianus in Galliis in Opere, cui titulus: *Explicatio litteralis Historico-Dogmatica precum & cæremoniarum Missæ.*

Innocentii III. & Ambrosii Catharini opinio.

136. Innocentius III. Lib. IV. de Mysteriis Missæ, Cap. VI. quem librum antequam eveheretur ad Petri Sedem conscripsit, velut probabilem sententiam propugnavit, Christum suprema qua vigebat potestate, absque ullis omnino verbis, Eucharistiam consecrasse; nec alia de causa voces illas Evangelicas, *Hoc est corpus meum &c.* protulisse, nisi ut Sacramenti in posterum conficiendi normam nobis præberet. Opinionem hanc jam pridem extinctam suscitavit Ambrosius Catharinus, doctus & eruditus Theologus O. P. sed novarum opinionum cupidus, quique singulares atque exoticas opiniones in deliciis videtur habuisse. Juxta Catharinum itaque verba ista Christi, *Hoc est corpus meum*, corpus Christi non efficiebant præsens, sed jam præsens supponebant virtute antecedentis atque occultæ benedictionis, & dumtaxat illud declarabant ac demonstrabant discipulis, quibus illud porrigebat Christus dicens: *Accipite ac comedite: hoc est corpus meum.* Matth. Cap. XXVI. Equidem hæc opinio facilius exponit verba Christi, & antevertit omnes illas argutias ac dialecticas cavillationes Novatorum circa significationem pronominis *hoc*, & aliorum verborum Christi, quo temporis momento dicebat, *Hoc est corpus meum*, & dicendo illud operabatur. Verum Theologi in rebus ad Religionem pertinentibus inquirere non debent quid ad intelligendum facilius; sed quid ad regulam Scripturæ & Traditionis sit magis exactum.

Ad consecrationem panis & vini aliqua

137. Conclusio I. Aliqua requiritur verborum forma, qua & panis & vinum consecrentur. Prob. I. Auctoritate Apostoli, qui I. ad Cor. Cap. X. vocat

calicem

calicem benedictionis, cui benedicimus. Atqui benedictio proprie sumpta non fit sine verbis. II. Exemplo Christi, qui ad consecrandum panem & vinum verba abhibuit, ut Conclusione III. ostendemus. III. Auctoritate Patrum. S. Justini in Apologia II. S. Irenæi Lib. IV. adv. Hær. Cap. XXXIV, S. Ambrosii Lib. IV. de Sacram. Cap. IV. & V. S. Augustini Lib. IV. de Bapt. contra Donatistas Cap. XXIV. & Lib. XX. contra Faustum, Cap. XIII. IV. Auctoritate Florentini, quod in Decreto pro Armenis de Sacramentis omnibus novæ Legis ait: *Hæc omnia Sacramenta tribus perficiuntur, videlicet rebus tamquam materia, verbis tamquam forma, & persona ministri conferentis Sacramentum, cum intentione faciendi quod facit Ecclesia: quorum si aliquod desit, non perficitur Sacramentum.* Et de Eucharistia nominatim: *Forma hujus Sacramenti sunt verba Salvatoris, quibus hoc conficitur Sacramentum.* V. Ex constanti & perpetua praxi Ecclesiæ, quæ numquam sine verbis Eucharistiam confecit, ut patet tum ex Patribus, tum ex antiquissimis Liturgiis.

forma necessaria est.

138. Conclusio II. Verba in quibus consistit forma Eucharistiæ, sunt vere consecratoria panis & vini. Prob. Verba illa diriguntur a Sacerdote ad panem & vinum, suntque instrumenta Dei quibus panis in corpus, & vinum in Christi sanguinem convertuntur. Ergo sunt vere consecratoria. P. A. Auctoritate Patrum. S. Irenæus Lib. IV. adv. Hær. Cap. XXXIV. ait: *Quemadmodum enim, qui est è terra panis, percipiens vocationem Dei, jam non communis panis est, sed Eucharistia ex duabus rebus constans, terrena & cælesti: sic & corpora nostra percipientia Eucharistiam, jam non sunt corruptibilia, spem resurrectionis habentia.* Et Lib. V. Cap. IV. *Quando ergo & mixtus calix, & fractus panis percipit verbum Dei, fit Eucharistia sanguinis & corporis Christi.* S. Justinus Apologia II. *Quemadmodum per verbum Dei incarnatus Jesus Christus Salvator noster & carnem & sanguinem pro nostra salute*

Verba formæ Eucharisticæ sunt vere consecratoria.

habuit: sic etiam per orationem Verbi Dei ab ipso Eucharistiam factam cibum & carnem & sanguinem edocti sumus. S. Chrysostomus Serm. de Judæ proditione: *Hoc verbum proposita dona transmutat.* S. Ambrosius Lib. IV. de Sacram. Cap. IV. *Quomodo potest quod panis est, corpus esse Christi? Consecratione.* S. Gregor. Nyssenus in Orat. Catech. Cap. XXXVII. *Hic panis, ut ait Apostolus, per Verbum Dei & orationem sanctificatur - - - statim per verbum in corpus mutatur.* S. Augustinus Lib. III. de Trinitate Cap. IV. *Illud tantum* (corpus Christi & sanguinem dicimus) *quod ex fructibus terræ acceptum, & prece mystica consecratum sumimus ad salutem spiritalem in memoriam pro nobis Dominicæ passionis.* Cæterum jam Tomo VI. Art. I. Controv. III. Num. 66. ostendimus, verba quibus Sacramenta novæ Legis perficiuntur, vere esse consecratoria.

Christus adhibitis verbis Eucharistiam consecravit.

139. Conclusio III. Christus non sola interiori & occulta benedictione, nec potestate excellentiæ, sed verbis usus fuit, quando Eucharistiam instituit & consecravit. Prob. I. Auctoritate Patrum. S. Justinus Apologia II. pro Christianis ait: *Per orationem Verbi Dei ab ipso Eucharistiam factam cibum & carnem & sanguinem edocti sumus.* Tertull. Lib. IV. contra Marcionem, Cap. XL. *Acceptum panem & distributum discipulis, corpus suum illum fecit, hoc est corpus meum dicendo.* S. Ambrosius Lib. IV. de Sacram. Cap. IV. *Tu forte dicis, meus panis est usitatus: sed panis iste, panis est ante verba Sacramentorum. Ubi accesserit consecratio, de pane fit caro Christi. Consecratio igitur cujus verbis est, & cujus sermonibus? Domini Jesu.* S. Chrysost. Hom. de Judæ proditione: *Hoc verbo* (*Hoc est corpus meum*) *munera proposita consecrantur; & sicut illa vox qua dixit, Crescite & multiplicamini, semel quidem edita est, sed omni tempore sentit effectum: ita & vox illa, Hoc est corpus meum, semel quidem a Christo dicta est, sed per omnes mensas Ecclesiæ usque ad hodiernum diem, & usque ad ejus adventum, præstat Sacrificio firmita-*

mitatem. S. Joan. Damasc. Lib. IV. de Fide Orthodoxa, Cap. XIII. *Sicut Deus dicendo, Fiat lux, fecit lucem; ita dicendo, Hoc eſt corpus meum, Hic eſt ſanguis meus, perfecit hoc Sacramentum.* Sed quid multis opus? Adversarii nullum omnino ex Patribus aut Scriptoribus Ecclesiasticis ad Sæculum usque XI. proferre poſsunt, noxæ huic atque exoticæ opinioni faventem. Prob. II. Ratione. Sacerdotes ea ipsa ratione nunc consecrant, qua Christus olim consecravit. Atqui Sacerdotes adhibitis verbis nunc consecrant. Ergo etiam Christus adhibitis verbis Eucharistiam instituit & consecravit. P. M. Christus exemplum dedit & præceptum, ut faceremus quod ipse prior fecerat. Lucæ Cap. XXII. *Hoc facite in meam commemorationem:* & Sacerdotes in persona Christi consecrant; ideoque nostra consecratio nihil aliud est quam repetitio illius primæ consecrationis, quæ a Christo peracta est. Et profecto, si Christus sola voluntate & arcana benedictione consecravit, Sacerdos qui jam verbis, non sola benedictione consecrat, censeri non poſset in persona Christi, aut eo ipso modo consecrare quo primum Christus ipse consecravit. Cæterum sententiam hanc Catharini rejicimus ut falsam & improbabilem, non vero tamquam hæreticam; quamvis enim Tridentinis Patribus displicuerit, ab iisdem tamen non fuit proscripta, aut a Romanis Pontificibus damnata.

Forma adæquata & eſsentialis Eucharistiæ ſunt verba Evangelica.

140. Conclusio IV. Forma adæquata, neceſsaria & eſsentialis Eucharistiæ sunt sola verba Domini, *Hoc eſt corpus meum, Hic eſt ſanguis meus*, vel *Calix ſanguinis mei;* ideoque preces quæ apud Græcos subsequuntur Consecrationem, non sunt neceſsariæ neceſsitate Sacramenti ac validæ Consecrationis. Dixi, preces illas neceſsarias non eſse ad valorem consecrationis; quod enim neceſsitate præcepti Ecclesiastici atque ad licentiam Consecrationis neceſsariæ sint, apud omnes est in confeſso, adeo ut sine gravi peccato eædem omitti nequeant. Probatur Conclusio. Jlla est forma adæquata & eſsentialis Eucharistiæ, vi

Q2 cujus

cujus eo momento quo enuntiatur & absolvitur, adest verum Christi corpus verusque sanguis. Atqui verba illa Evangelica, *Hoc est corpus meum*, *Hic est sanguis meus*, quamprimum pronunciata fuerint, efficiunt ut verum Christi corpus ejusque sanguis eodem temporis momento præsens sistatur. Ergo verba illa Evangelica sunt adæquata & essentialis forma Eucharistiæ. Major propositio negari nequit, quia forma debet efficere quod significat. Minor prob. Imo Auctoritate Patrum. S. Irenæus Lib. V. adv. Hær. Cap. II. alias IV. scribit: *Quando ergo & mixtus calix, & fractus panis percipit Verbum Dei, fit Eucharistia sanguinis & corporis Christi.* S. Gregor. Nazianz. Orat. II. de Paschate. *Inter sermones de carne, præcipui sunt illi Christi, Hoc est corpus meum; illisque prolatis a Sacerdote, qui non credit verum esse corpus Christi, sine dubio fidem derogat.* S. Ambrosius Lib. IV. de Sacram. Cap. IV. *Quomodo potest, qui panis est, esse corpus Christi? Consecratione. Consecratio autem quibus verbis est, & cujus sermonibus? Domini Jesu. - - - Ubi venitur, ut conficiatur venerabile Sacramentum, jam non suis sermonibus Sacerdos, sed utitur sermonibus Christi. Ergo sermo Christi hoc conficit Sacramentum.* Et Lib. de his qui Mysteriis initiantur, Cap. IX. *Si tantum valuit humana benedictio, ut naturam converteret, quid dicemus de ipsa consecratione divina, ubi verba ipsa Domini Salvatoris operantur? Nam Sacramentum istud quod accipis, Christi sermone conficitur. - - Sermo Christi, qui potuit ex nihilo facere quod non erat, non potest ea quæ sunt, in id mutare quod non erant?*

Ostenditur id auctoritate Patrum.

141. Prob. II. Auctoritate Florentini in Decreto pro Armenis: *Forma hujus Sacramenti sunt verba Salvatoris, quibus hoc conficitur Sacramentum; Sacerdos enim in persona Christi loquens hoc conficit Sacramentum. Nam ipsorum verborum virtute substantia panis in corpus Christi, & substantia vini in sanguinem convertuntur.* At vero quænam alia sunt verba Salvatoris, nisi illa, *Hoc est corpus meum, Hic est sanguis meus?* Ergo verba illa

sunt

sunt adæquata & necessaria forma Eucharistiæ; quia Florentinum plenam Armenis doctrinam de Sacramentis tradere voluit, nec alicubi mentionem facit aliorum verborum aut precum, quæ requirantur ad validam Eucharistiæ consecrationem. Verum est equidem, oppositam sententiam a Florentino non fuisse proscriptam; eoquod Decretum illud non irrefragabile ac decisivum Ecclesiæ judicium contineat, sed doctrinam tantum & instructionem. At hac ratione tantum ostenditur, sententiam Catharini, & Græcorum quorumdam non esse hæreticam, quod libenter damus; falsam tamen & improbabilem, quia doctrinæ Florentini Concilii minime consentanea est.

Ex praxi Ecclesiæ Græcæ & Latinæ.

142. Prob. III. Ex praxi utriusque Ecclesiæ Orientalis & Occidentalis. Atque in Latina quidem Ecclesia, ut omnes norunt, quamprimum Sacerdos verba illa protulit, *Hoc est enim corpus*, hostiam primus adorat eamque elevat ac populo adorandam ostendit. Ergo Latina Ecclesia credit, quam primum prolata sunt a Sacerdote illa Christi verba, panem in corpus Christi & vinum in ejus sanguinem transmutari; alias nec hostiam, nec contentum in calice, adoranda populo statim proponeret. In Græca Ecclesia verba Christi, *Hoc est corpus meum &c.* alta voce proferuntur a Sacerdote, ac mox Eucharistiæ latriæ cultus exhibetur. Ut enim in Liturgia S. Chrysostomi præscribitur, Diaconus accedit ad Sacerdotem vicinius, & ambo ter adorant ante sanctam mensam, & orant intra se dicentes, *Deus propitius esto mihi peccatori*; populus vero assistens, Sacerdote Christi verba pronuntiante, respondet *Amen*, quasi dicat: vere ita est, ut dicis: certe corpus & sanguis Christi sunt munera ista proposita: ita credimus, ita confitemur. Ergo censet Ecclesia Græca, preces quæ consecrationem subsequuntur, non pertinere ad essentiam consecrationis; alias antequam illæ recitentur, non exhiberet Eucharistiæ cultum latriæ.

Et auctoritate Græcorum, qui Florentino interfuerunt.

143. Prob. IV. Auctoritate Patrum Græcorum, qui Florentino interfuerunt. Cum enim Græci in Florentino Latinis suspecti essent circa formam consecrationis Eucharistiæ, quasi eam non putarent perfici verbis Evangelicis, responderunt illi, ut refertur in Actis Florentini Concilii Sess. XXV. *Fateri nos diximus, per hæc verba* (Evangelica) *transsubstantiari sacrum panem, & fieri corpus Christi: sed postea quemadmodum & ipsi* (Latini) *dicitis: Jube hæc perferri per manus Sancti Angeli tui in sublime altare tuum &c. ita nos quoque oramus dicentes, ut Spiritus Sanctus descendat super nos, & efficiat in nobis panem hunc pretiosum corpus Christi tui, & quod in calice isto est, pretiosum sanguinem Christi tui, transmutetque ipsa Spiritu sancto suo, ut fiant communicantibus in purgationem animæ, in remissionem peccatorum, non vero fiant in judicium aut condemnationem nostram.* Et paulo post ajunt: *De Mysteriis autem fatemur, ea consecrari per Domini voces, licet nos postea invocando dicamus, Fiat corpus & sanguis Christi.* Bessario Nicænus Archiepiscopus, ut refert Joannes Mabillonius Musæi Italici Tomo I. pag. 243. qui ea descripsit ex autographo in thesauro Serenissimi Magni Ducis Hetruriæ asservari solito, die V. Julii A. 1438. nomine omnium Græcorum dixit, ad Eugenium IV. *Pater Beatissime! Quoniam ab omnibus Sanctis Doctoribus Ecclesiæ, præsertim ab illo Beatissimo Joanne Chrysostomo, qui nobis notissimus est, audimus verba Dominica esse illa, quæ mutant & transsubstantiant panem & vinum in corpus verum Christi & sanguinem; & quod illa verba divina Salvatoris omnem virtutem transsubstantiationis habent, nos ipsum Sanctissimum Doctorem & illius sententiam sequimur de necessitate. De hac quæstione breviter diximus, & sufficienter, & vestram Beatitudinem de nostra intentione certam reddimus.* Joannes Card. a Turrecremata, qui præsens erat in Florentino, testatur Eugenium IV. cum suis proposuisse, ut articulus ille qui consecrationem spectat, in definitione fidei reponeretur: Græcos autem obstitisse,

causatos, & id necesse non esse, & suæ Ecclesiæ præjudicio semper futurum, quasi diversam a nobis ea etiam in parte sententiam haberet; cum tamen sit eadem quæ apud Latinos. Itaque huic postulationi & declarationi annuisse Eugenium, & pacem ac unionem inter utramque Ecclesiam Græcam & Latinam sancivisse.

Verba illa, Novi & æterni testamenti &c. non sunt necessaria ad valorem consecrationis.

144. Quæres I. An sola illa verba, *Hoc est corpus meum*, *Hic est sanguis meus*, sint essentialia formæ consecratoriæ; vel an etiam ad validam Eucharistiæ confectionem requirantur illa, *Novi & æterni testamenti*, *mysterium fidei*, *qui pro vobis & pro multis effundetur in remissionem peccatorum?* Resp. priora verba essentialia esse, & sufficere; posteriora vero non requiri ad valorem consecrationis. Prob. assertio Imo. Credibile non est, quod Evangelistæ & S. Paulus formam consecrationis referendo aliquid ei essentiale prætermiserint. Atqui prætermisissent, si posteriora verba pertinerent ad substantiam consecrationis; siquidem illa apud B. Paulum omnino non leguntur, qui I. ad Cor. Cap. XI. ea tantum verba commemorat: *Hic calix novum testamentum est in meo sanguine;* vel saltem non omnia & singula apud aliquem ex quatuor Evangelistis. II. In Liturgiis S. Joannis Evangelistæ, Eustasii, Joannis Patriarchæ, S. Marci, S. Matthæi, quæ quamvis eorum non sint, quorum nomina præferunt, sunt tamen antiquissimæ: item in vetustissimo Missali Maronitarum non alia habentur verba quam hæc: *Hoc est corpus meum. Hic est sanguis meus.* III. Præcisis verbis aliis quibuscunque, verba illa, *Hoc est corpus meum. Hic est sanguis meus*, in persona Christi prolata, significant præsentiam corporis Christi sub speciebus panis, & præsentiam sanguinis Christi sub speciebus vini. Ergo sufficiunt ad ponendum corpus Christi sub speciebus panis, & sanguinem sub speciebus vini. Ergo sola illa verba sufficiunt & requiruntur ad validam Eucharistiæ confectionem.

145.

145. Dices I. Hæc sola verba, *Hoc est corpus meum &c.* si priora omittantur, *Qui pridie quam pateretur &c.* non significant corpus Christi, sed Sacerdotis. Ergo non sufficiunt ad validam consecrationem, quia eſsent falsa. II. S. Thomas III. Parte, Quæst. LXXVIII. Artic. III. docet, posteriora illa verba, *Novi & æterni Testamenti &c.* pertinere ad substantiam formæ. III. S. Pius V. juſsit ex Commentariis Card. Cajetani diſsertationem eam expungi, in qua propugnabatur, ea sola verba, *Hic est calix sanguinis mei*, formam consecrandi calicis constituere. IV. In Rubricis Miſsalis Romani præscribitur, ut si vel unam ex his vocibus, *Novi & æterni Testamenti &c.* contigerit prætermitti, Sacerdos formam ex integro repetat. Ergo Ecclesia judicat omnia illa verba pertinere ad substantiam consecrationis. Resp. ad I. N. A. Hæc verba ad significandum corpus Christi, non autem Sacerdotis illa proferentis determinantur sufficienter per hoc, quia Sacerdos ea profert ut agens personam Christi, cum intendat ea proferre ut gerens illius personam. Ad II. Multi ex ipsis etiam Thomistis respondent, verba illa posteriora juxta S. Thomam pertinere ad substantiam formæ, non in eo sensu, quod eſsentiam ejus constituant, sicut v. g. anima de substantia hominis eſse dicitur; sed quia dant ei integritatem & complementum, sicut manus & digiti de substantia hominis eſse affirmantur. Probant id ex eadem Quæst. citata, ubi posteaquam Artic. I. S. Thomas quæstionem hanc proposuit: *Utrum hæc sit forma hujus Sacramenti, Hoc est corpus meum, & Hic est calix sanguinis mei*, in responsione ad IV. ait: *Unde dicendum est, quod si Sacerdos sola verba prædicta proferret cum intentione conficiendi hoc Sacramentum, perficeretur hoc Sacramentum: quia intentio faceret, ut hæc verba intelligerentur quasi ex persona Christi prolata, etiamsi verbis præcedentibus hoc non recitaretur. Graviter tamen peccaret Sacerdos sic conficiens hoc Sacramentum, utpote ritum Ecclesiæ non servans.* Quod si etiam S. Thomas sen-

sensisset, posteriora illa verba ad essentiam formæ pertinere, cum communissima Authorum hac in re reverenter ab eo discedimus. Ad III. Resp. Dissertationem eam jussu Pii V. expunctam fuisse, quia Cajetanus ad reprehendendum paulo audacior, parum honorifice de S. Thoma ibi locutus fuerat. Ad IV. N. C. Ministri Sacramentorum tenentur tutiorem partem amplecti, ne Sacramentum periculo nullitatis exponatur. Cum igitur sententia opposita probabilitate non careat, merito jubetur talis Sacerdos formam ex integro repetere.

146. Quæres II. An verba Consecrationis pronuncientur historice tantum, an etiam assertive? Resp. utroque modo ea pronunciari: historice quidem & narrative; quia proferuntur ex intentione narrandi quid Christus in ultima Cœna dixerit, ut patet ex illis verbis ante consecrationem, *fregit deditque discipulis suis, dicens. Similiter & postquam cœnavit &c.* Assertive & significative; quia proferuntur a Sacerdote ex intentione loquendi in persona Christi, & significandi corporis ac sanguinis ejus præsentiam sub speciebus panis ac vini. Sacerdos enim, qui personam Christi exhibet, intendit per illa verba efficere id quod Christus effecit: atque idcirco verba hæc ad sui veritatem exigunt conversionem præsentis materiæ in corpus & sanguinem Christi, & non tantum conversionem præteritam materiæ illius, quam Christus in ultima cœna in suum corpus & sanguinem convertit; quia etiam assertive & significative pronunciantur.

Verba Consecrationis pronunciantur historice simul & assertive.

147. Quæres III. Pro quo instanti verificentur verba Consecrationis? Resp. pro eo instanti, quo complete proferuntur verba formæ essentialia; quia tunc primum corpus & sanguis Christi ponuntur sub speciebus panis & vini, quando essentialiter perfecta est verborum illorum significatio: quod primum in eo instanti contingit, quo verba formæ essentialia proferuntur.

Et pro eo instanti verificantur, quo tota forma essentialis absolvitur.

Pronomen HOC & HIC quid in forma Eucharistiæ significent?

148. Quæres IV. Quid pronomina *hoc*, & *hic* significent in forma Eucharistiæ? Resp. Pronomina illa significant & demonstrant corpus & sanguinem Christi sub implicita & confusa ratione rei contentæ sub speciebus panis & vini in fine prolationis formæ consecratoriæ, ita ut sensus sit: Hæc res, sive hoc quod in fine hujus propositionis continetur sub speciebus panis & vini, est corpus meum & sanguis meus. Dixi, *in fine prolationis;* quia forma consecratoria est practica & operativa ejus quod sub speciebus existit, dum absolvitur, nempe corporis & sanguinis Christi. Ergo pronomen in ea contentum non significat nec demonstrat id, quod adhuc existit initio prolationis formæ, & ea prolata desinit existere; sed id quod vi ejus incipit existere, nempe corpus & sanguinem Christi: nemo enim intendit demonstrare id quod desiit existere, sed quod existit.

149. Neque dicas I. Pronomen *hoc* demonstrat id quod præsens est, dum profertur. Atqui tunc præsens est panis, non autem corpus Christi. Ergo panem demonstrat. II. Quando Christus dixit, *Hoc est corpus meum*, loquebatur de eo quod in manibus habebat, frangebat, ac distribuebat. Atqui illud erat panis. Ergo. III. Forma consecratoria corporis significat conversionem panis in corpus Christi; adeoque verbum *est* in forma illa idem valet, ac *convertitur*. Ergo in forma illa demonstratur panis in corpus Christi convertendus. IV. Verisimilius dicitur, pronomine *hoc* & *hic* demonstrari species panis & vini. V. Quando Christus Matth. Cap. XXVI. dixit, *Manducate*, demonstrabat panem; & dicendo, *Bibite ex hoc omnes*, demonstrabat vinum. Ergo etiam panem & vinum demonstravit dicendo, *Hoc est corpus meum*, *Hic est sanguis meus*. Resp. ad I. N. M. In demonstrationibus practicis non demonstratur id quod præsens est, quando pronunciatur pronomen demonstrativum; sed id quod præsens est, cum propositio practica integre prolata est. Ad II. Resp. Christum loqui de eo quod in manibus habebat, non antequam

ultimam

ultimam propositionis syllabam proferret, sed in fine propositionis suæ. Tunc autem non panem, sed corpus suum in manibus habebat. Ad III. N. A. Forma consecratoria panis formaliter & proprie significat solam realem præsentiam corporis Christi sub speciebus panis; unde illam proxime & immediate efficit, quatenus determinat Deum ad reproducendum corpus Christi sub specie panis, & consequenter ad destruendam substantiam panis, cum duæ substantiæ non posſint eſse sub iisdem accidentibus. Itaque consecutive tantum & implicite significat conversionem panis in corpus Christi, seu destructionem panis tamquam natura, aut saltem ratione posteriorem ad reproductionem corporis Christi. Ad IV. N. A. Secus verba formæ eſsent falsa, quia nec species panis sunt corpus, nec species vini sunt sanguis Christi. Ad V. Resp. Christus demonstravit panem & vinum non permansura, sed convertenda in corpus suum & sanguinem vi consecrationis: & discipulos invitavit ad manducandum & bibendum, non id quod tunc erat panis & vinum, sed corpus suum ac sanguinem, in quæ mox panis & vinum convertenda erant.

Argumenta contraria refutantur.

Ambroſio Catharino non ſuffragantur Scripturæ.

150. Objicitur I. contra III. Conclusionem, Auctoritas Scripturarum. Matth. Cap. XXVI. Christus antequam proferret illa verba, *Hoc eſt corpus meum*, dicitur panem benedixiſse: *Cœnantibus autem eis, accepit Jeſus panem, & benedixit ac fregit, deditque diſcipulis ſuis, & ait: Accipite & comedite: hoc eſt corpus meum. Et accipiens calicem gratias egit: & dedit illis, dicens: Bibite ex hoc omnes. Hic eſt enim ſanguis meus novi teſtamenti, qui pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum.* Ergo per benedictionem illam panem consecravit, antequam Evangelica verba proferret. P. C. Benedictio illa Christi non minus efficax fuit, ut panis evaderet corpus Christi, quam cum multiplicavit quinque panes. Ergo Christus per benedictionem il-

lam panem consecravit. Resp. I^{mo}. Multi cum S. Thoma III. Parte, Quæst. LXXVIII. Art. I. ad I. per benedictionem intelligunt consecrationem ipsam verbis Evangelicis factam, ita ut hic rei gestæ ordo exprimatur: Accipiens panem benedixit, dicens, hoc est corpus meum: & deinde fregit, & dedit discipulis suis. Ajunt nimirum, Evangelistas non semper eumdem ordinem in narratione servaſse quo res sunt gestæ. Resp. II. Omiſso etiam Anteced. N. Conseq. Ad *probat.* D. A. Benedictio illa Christi non minus fuit efficax respectu effectus quem intendit, C. A. Aliter, N. A. & Conseq. Christus per benedictionem illam non intendit consecrare panem; sed omnipotentiam divinam invocando panem disponere ac præparare voluit ad consecrationem mox futuram, & per verba perficiendam. Quare benedictio illa Christi Domini fuit haud dubie efficax, non quidem immediate, se sola & sine verbis, sicuti sine illis in deserto multiplicati sunt panes; sed mediate, ac per verba, quibus vim & efficaciam impetravit. Exemplum hujus in Lazaro habemus. Quemadmodum enim hic oratione præmiſsa non surrexit nisi ad vocem qua Christus clamavit, *Lazare veni foras:* sic nec panis mutatus est in corpus Christi, nisi ad illa verba, *Hoc eſt corpus meum.*

151. Dices I. Consecratio calicis facta non fuit per illa verba, *Hic eſt ſanguis meus.* Ergo neque consecratio panis per illa, *Hoc eſt corpus meum.* P. A. Marci Cap. XIV. dicitur: *Accepto calice, gratias agens dedit eis: & biberunt ex illo omnes. Et ait illis: Hic eſt ſanguis meus novi teſtamenti, qui pro multis effundetur.* Ergo non per verba Evangelica, sed per benedictionem Christi consecratus fuit calix. P. C. Si per Evangelica verba consecratus fuiſset calix, factum id fuiſset postquam Apostoli calicem biberunt, quia S. Marcus narrat omnes ex eo bibiſse, deinde vero Christum dixiſse subjungit, *Hic eſt ſanguis meus.* Atqui hoc dici nequit. Ergo. Resp. N. A. Ad *probat.* C. A. N. C. Ad hujus *probat.* N. M. Verba illa, *Bi-*

berunt

berunt ex eo omnes, per anticipationem dicta sunt, non vero quasi præcesserit communio Apostolica, ac deinde secuta fuerit verborum prolatio; nisi velis Marcum a reliquis Evangelistis, atque etiam a S. Paulo dissentire, juxta quos Christus hæc verba, *Hic est sanguis meus novi testamenti*, prius protulit quam Apostoli de calice biberent. Nimirum Evangelistæ non eumdem semper ordinem in narratione servaverunt; sed multa vel anticipato narrarunt, vel narrare distulerunt, quod omnibus Historicis admodum familiare est. Exempla si quærat aliquis, S. Augustinum consulat Lib. II. de Consensu Evangelistarum, Cap. XXX. XXXI. & XLIV.

152. Dices II. Christus Lucæ Cap. XXIV. quando Eucharistiam porrexit Discipulis duobus in Emmaus, eam solo voluntatis imperio consecravit; dicitur enim: *Et factum est, dum recumberet cum eis, accepit panem, & benedixit, ac fregit, & porrigebat illis.* Ergo id etiam præstitit in ultima cœna. Resp. N. A. Quamvis S. Lucas diserte non asserat, Christum Evangelica verba adhibuisse, ex ejus tamen silentio male infertur ea non fuisse prolata. Adde valde probabile videri, quod benedictio illa nil aliud denotet quam Evangelicorum verborum prolationem, *Hoc est corpus meum;* hac enim ratione porrecti panis sanctitatem Discipulis manifestavit. Quod si etiam Adversariis daremus Antecedens, optimo jure negamus Consequentiam. Quamvis enim Christus potuerit mutare panem in corpus suum sine ullis verbis, in ultima tamen cœna noluit id facere: siquidem Evangelistæ clara & determinata ejus verba proferunt, quibus efficaciter significatur conversio illa, seu mutatio panis in corpus, & vini in sanguinem ejus.

153. Dices III. S. Gaudentius Brixiensis Tract. II. in Exodum ait de Christo: *Cum panem consecratum & vinum Discipulis suis porrigeret Dominus, sic ait: Hoc est corpus meum.* Ergo antequam Christus ea verba proferret, panis erat jam consecratus. Ergo benedictio Christi panem in corpus mutaverat. R.

C. A.

C. A. D. C. Panis jam erat consecratus dispositive & præparatorie, C. Formaliter & perfecte, N. C.

Nec Græcis Schismaticis auctoritas Patrum.

154. Objic. II. contra IV. Conclusionem, Auctoritas Patrum. Ac primo quidem communis est Patrum doctrina Eucharistiam perfici precibus Sacerdotum. S. Gregorius Nyssen. Orat. Catechet. Cap. XXXVII. ait: *Hic panis per verbum Dei & orationem sanctificatur.* S. Cyrillus Jerosolym. Catech. III. *Post Sancti Spiritus invocationem non est amplius panis communis, sed est corpus Christi.* S. Hieron. Epist. LXXXV. ad Evagrium de Sacerdotibus scribit: *Ad quorum preces Christi corpus sanguisque conficitur.* Ipse Berengarius jussu & auctoritate Concilii Romani A. 1079. sub S. Gregorio VII. subscripsit huic formulæ fidei: *Ego Berengarius corde credo, & ore confiteor, panem & vinum quæ ponuntur in altari, per mysterium sacræ orationis, & verba nostri Redemptoris substantialiter converti in veram carnem &c.* II. S. Basilius Lib. de Spiritu Sancto, Cap. XXVII. scribit: *Invocationis verba ad panem Eucharisticum & poculum benedictionis, quis Sanctorum nobis scripto reliquit? non enim his contenti sumus, quorum Apostolus aut Evangelium mentionem facit; sed & ante & post alia dicimus, veluti magnum robur ad mysterium habentia, quæ ex traditione accepimus.* Ergo juxta S. Basilium forma Eucharistiæ non sunt verba Christi, quæ Evangelistæ nobis scripta reliquerunt; sed preces Sacerdotis, quæ magnum habent robur. S. Gregorius M. Lib. VII. Epist. LXIII. ad Joannem Syracusanum refert, primis temporibus Apostolos sola Dominica Oratione præmissa Eucharistiam consecrasse, & Sacramenta distribuisse. Resp. ad I. D. A. Eucharistiam perfici precibus Sacerdotum, tamquam ritibus ex Apostolico & Ecclesiastico præscripto observari solitis, quibus fideles ad percipiendos Eucharistiæ fructus, & digne Sacrificium offerendum disponantur, C. A. Tamquam ritibus absolute necessariis, a quibus pendeat panis & vini in corpus & sanguinem Dominicum mutatio, N. A. Patres dicunt,

Eucha-

Eucharistiam per preces, invocationem Dei & orationem confici, tribus de causis. Imo. Quia Eucharistia non fit sine precibus & orationibus, licet istæ vim consecrandi non habeant. II. Quia per orationes illas invocatur divina virtus, ut dignetur verbis vim suam & efficaciam imprimere. III. Quia ipsa Christi verba, a Sacerdote tamquam Christi ministro prolata, continent semper implicitam divinæ virtutis invocationem, quam etiam implicite continent verba Baptismi. Accedit, quod Patres citatis locis non expendant per quid, sed quid fiat in Eucharistia, nec in mente habeant formam Sacramenti scrupulosius, more Scholasticorum, inquirere; atque adeo siquid obscurum in eorum verbis occurrit, debet ex aliis clarioribus locis explicari. Ad II. C. A. N. C. S. Basilii scopus est ostendere necessitatem traditionis, sine qua Liturgicas preces ignoraremus ad Sacrificium ex instituto Apostolico perficiendum; cum illæ non fuerint ab Apostolis litteris consignatæ, sed per traditionem ab illis ad nos pervenerint. Neque umquam S. Doctor affirmat, preces illas magnum habere robur ad Mysterium valide faciendum, sed ad illud licite & utiliter peragendum. Ad III. Resp. S. Gregorium hæc dicere non ad exclusionem verborum Evangelicorum, quasi ea Apostoli non protulerint; cum eorum necessitas ex Scripturæ ac Patrum auctoritate, atque ex antiquissimis Liturgiis tam certa sit, ut eam S. Gregorius ignorare non potuerit: sed ad exclusionem longioris Liturgiæ. Quare id unum innuere voluit, Apostolos quandoque vel angustia temporis, vel loci inopia, vel alia qualicunque necessitate compulsos, a prolixioribus inter sacrificandum orationibus abstinuisse, & verbis Evangelicis solam orationem Dominicam adjunxisse, quæ precum omnium quæcunque Deo fieri possunt, sacrum compendium est, ab ipso Domino datum.

Ac veterum Liturgiarum, S. Clemen-

155. Objic. III. Auctoritas veterum Liturgiarum. Imo in Liturgia, quæ habetur apud Auctorem Ecclesiasticæ Hierarchiæ, Parte III. Cap. III. dicitur con-

secra-

tis, S. Marci, S. Jacobi.

secrationem fieri post illa verba, *Hoc facite in meam commemorationem;* quæ tamen in Canone Missæ apud Græcos ponuntur post verba Christi, *Hoc est corpus meum.* II. In Liturgia, quæ S. Clementis nomine circumfertur, apud Authorem Constitutionum Apostolicarum, Lib. VIII. Cap. XII. prolatis jam verbis Evangelicis Sacerdos dicit: *Te precamur, ut in hæc munera coram te proposita benevole adspicias - - & mittas super hoc Sacrificium Sanctum tuum Spiritum. - - - Ut ostendas panem hunc corpus Christi tui, & calicem hunc sanguinem Christi tui: ut qui eum participarint, ad pietatem firmentur.* Similiter in Liturgia S. Jacobi post prolata verba Evangelica orat Deum Sacerdos: *Ipsum Spiritum tuum Sanctissimum demitte nunc quoque Domine in nos, & in hæc dona sancta proposita, ut superveniens sancta & bona & gloriosa sua præsentia sanctificet, & efficiat hunc panem corpus sanctum Christi tui, & calicem hunc pretiosum sanguinem Christi tui.* Respondet populus, *Amen.* Tum Sacerdos: *Ut sit omnibus ex his sumentibus in remissionem peccatorum, & in vitam æternam.* Et in Liturgia S. Marci. *Emitte præterea super nos, & super panes istos & calices istos Spiritum Sanctum tuum, ut eos sanctificet & consecret, tamquam Deus omnipotens, & faciat panem quidem corpus, calicem autem sanguinem novi testamenti ipsius Domini & Dei & Servatoris, & summi Regis nostri Jesu Christi, Ut fiant omnibus nobis, qui ex iis participamus, in fidem, in sobrietatem, in medelam, in temperantiam, in sanctificationem, in renovationem animæ.* Eadem ferme verba habentur in Liturgia Armenorum, S. Chrysostomi, S. Basilii, aliisque Orientalis Ecclesiæ. Ergo Orientalis Ecclesia semper existimavit, non per Evangelica verba, sed per preces Sacerdotis subsequentes, aut saltem non sine illis, fieri mirabilem illam conversionem panis & vini in corpus & sanguinem Dominicum; secus prolatis jam verbis Evangelicis, a Deo non postulasſent panem & vinum transmutari in corpus & sanguinem Christi.

156. Resp. ad I. Hæc verba, *Hoc facite in meam commemorationem*, quæ in omnibus aliis Græcorum Liturgiis posteriora sunt illis Christi verbis, *Hoc est corpus meum*, in Liturgia apud Authorem Hierarchiæ fuiſse priora; quia Sacerdos ea proferebat, purgans se apud Deum, quod munus offerendi Sacrificium aggredi auderet, allegabatque ipsius Christi præceptum verbis illis expreſsum *Hoc facite in meam commemorationem*, quibus jubet Sacrificium offerri a Sacerdotibus. Ad II. C. A. N. C. Ecclesia Orientalis per orationes quæ Evangelica verba subsequuntur, non petit simpliciter & absolute ut fiat corpus & sanguis Christi; sed ut fiat suscipientibus per effectum nutritionis spiritualis, id est, non physicam & realem donorum in corpus & sanguinem conversionem postulat, quam factam jam supponit; sed moralem dumtaxat respectu sumentium. Prob. id I^mo^ Græcorum testimonio in Concilio Florentino, & Beſsarionis. Vide dicta Num. 143. II^do^. Ex more Græcorum, qui quod jam factum & obtentum supponunt, adhuc postulant quasi non factum, aut potius id uberius explicant. Sic in Sacramento Ordinis post ordinatum jam Sacerdotem adhuc preces fundunt, quibus super eum invocant Spiritum Sanctum, quasi eum non supponerent adveniſse, quando perfectum fuit Ordinis Sacramentum. III. Ex ipsis verbis Liturgiarum SS. Clementis, Jacobi, & Marci, in objectione laudatis: *Ut qui eum participarint, ad pietatem firmentur. Ut sit omnibus in remiſsionem peccatorum &c.* IV. Ex Liturgiis SS. Chrysostomi & Basilii. Et in illa quidem S. Chrysostomi postquam Sacerdos dixit, *Fac quidem panem hunc pretioſum corpus &c:* statim subjungit: *Ut fiat accipientibus in ſobrietatem animæ ad remiſsionem peccatorum, in communicationem Sancti Spiritus, in regni cœlorum plenitudinem, in fiduciam erga te, non in delictum aut damnationem.* In altera vero S. Basilii post verba illa, *Panem quidem hunc fac pretioſum corpus Domini &c.* statim dicitur: *Nos autem omnes, qui de uno pane & calice participamus, junge ad invicem in unius Spiritus Sancti communio-*

nem: & fac, ut nemo nostrum ad judicium vel condemnationem sit particeps sancti corporis & sanguinis Christi tui.

S. Chrysostomi. 157. Dices I. In Liturgia S. Chrysostomi Sacerdos utrumque petit. Nam I. simpliciter & absolute transmutationem flagitat, tamquam per verba Evangelica nondum factam, panis & vini in corpus & sanguinem Domini; ait enim: *Et fac hunc panem pretiosum corpus Christi tui; quod autem in poculo, pretiosum sanguinem Christi tui, transmutans Spiritu Sancto tuo.* II^do^. Ut fiat corpus Christi ad remissionem peccatorum. Ergo data responsio non sufficit. Resp. N. A. Ut enim observat Petrus Arcudius Corcyræus Lib. III. de Concordia Ecclesiæ Orientalis & Occidentalis, Cap. XIII. Latinus interpres male reddidit Græca verba Chrysostomi per ista: *Transmutans Spiritu Sancto tuo;* sic enim reddi debent: *Fac, ut panis quem Spiritu Sancto tuo transmutasti in pretiosum corpus Christi tui, fiat suscipientibus &c.* Vel ut vult Goarius in notis ad Missam S. Chrysostomi: *Fac panem quidem istum, pretiosum corpus Christi tui; & quod est in calice, pretiosum sanguinem Christi (transmutasti enim ea Spiritu Sancto tuo) esse suscipientibus ad animæ sobrietatem.*

Ac S. Basilii. 158. Dices II. S. Basilius in sua Liturgia post prolationem verborum Evangelicorum, *Hoc est corpus meum*, a Sacerdote elata voce factam, panem & vinum vocat *Antitypa*, id est, figuras & imagines corporis & sanguinis Christi; ac tum demum Sacerdos orat, ut Spiritus Sanctus adveniat, oblata benedicat, & efficiat corpus & sanguinem Christi. Ergo supponit consecrationem non esse factam per verba Evangelica, sed fieri per preces subsequentes. P. C. S. Joannes Damascenus Lib. IV. de Fide Orthodoxa, Cap. XIV. diserte asserit, panem & vinum ante consecrationem, non vero post illam, dici figuram seu antitypa corporis & sanguinis Domini. Ergo cum S. Basilius panem & vinum vocet corporis & sanguinis Domini antitypa, etiam postquam prolata fuerunt verba Evangelica, censuit panem & vinum consecrari primum

mum per preces subsequentes. Resp. I. O. A. N. C. S. Basilius verbo utitur præteriti temporis: *Propositis antitypis*, vel ut Goarius vertit: *Confidentes appropinquamus sancto altari tuo; & nos qui proposuimus antitypa corporis & sanguinis tui, te rogamus &c.* Quod si etiam daretur, S. Basilium præsenti tempore dixisse, *Proponentes antitypa accedimus &c.* non tamen ad ipsum tempus subsequens verba Evangelica, sed ad præteritum & antecedens referri deberet vox ista *Antitypa*, pro usu & more Ecclesiæ, quæ tempore præsenti sæpe id exprimit, quod ad præteritum referri debet. Sic multo post obitum defunctorum, orat illa ut Deus velit eorum animas a pœnis inferni liberare; quam orationem haud dubie refert ad instans præcedens mortem, non vero ad tempus subsequens. Resp. II. N. A. S. Basilius antitypa corporis & sanguinis Domini vocat, non panem & vinum, sed ipsummet corpus & sanguinem Domini latentia sub speciebus panis & vini. Qua in re S. Doctor exemplum sequitur aliorum Patrum Græcorum & Latinorum, qui Eucharistiam vocant symbolum, imaginem, figuram, signum, non utique vacuum, corporis & sanguinis Christi. Cæterum hæc vox *antitypon*, non significat figuram qualemcunque, sed æqualem exemplari suo ac plane similem, quæ exemplar ita ad vivum repræsentat, ut cum illo de forma certare videatur. Ad *prob.* Resp. S. Damascenus loco cit. id unum asserit, panem & vinum post consecrationem vocari non posse *typum* ac figuram qualemcunque corporis & sanguinis Dominici, quæ rem significatam non adæquet: at vero minime negat, ea dici posse *antitypa*, sive figuram exemplari suo æqualem ac plane similem. Immo in fine ejusdem Capitis XIV. diserte ait: *Antitypa vero futurorum dicimus, non quod non sint vere corpus & sanguis, sed quia per ipsa* (dona consecrata) *Divinitatis Christi nunc sumus consortes; tunc autem intellectuali ratione per solam visionem percipiemus.*

159. Dices III. Manifeste repugnat, Eucharistiam ipsam esse figuram seu *antitypon* corporis & sanguinis

 Chri-

Christi. Ergo S. Basilius panem & vinum vocat antitypa. P. A. Non potest res aliqua esse sui ipsius figura. Ergo cum Eucharistia sit corpus & sanguis Christi sub speciebus panis & vini, non potest esse figura corporis & sanguinis Christi. Resp. N. A. Ad *prob.* D. A. Non potest res aliqua esse sui ipsius figura sub eadem ratione consideratæ. C. A. Sub alia ac diversa ratione consideratæ, N. A. & Conseq. Christus ipse dum nobiscum in terris versabatur, sub una ratione fuit figura sui ipsius sub alia ratione. Sic quando in monte Thabor coram tribus Apostolis transfiguratus est, figura fuit sui ipsius, ut in cœlesti gloria ab omnibus Sanctis videndi. Item cum duodennis tribus diebus latuit, & tandem die tertia inventus est in Templo, figura fuit sui ipsius ut triduo abscondendi in sepulcro, ac tandem tertia die resurrecturi, ut observat S. Ambrosius Comment. in Cap. II. Lucæ. Eucharistia itaque, sive corpus & sanguis Christi in Sacramento Eucharistiæ sub speciebus panis & vini, sunt figura & corporis & sanguinis Christi, ut fuerunt in passione. Quemadmodum enim in Cruce sanguis separatus fuit a corpore; ita in Sacramento Eucharistiæ, quantum est ex vi verborum consecrationis, & quantum ad species panis & vini, quæ remanent & separatim existunt, corpus Christi a sanguine illius est discretum. Eucharistia igitur est vere ac proprie figura Christi ut fuit in Cruce; non qualiscunque, sed perfecta atque exemplari æqualis, totum ipsum exemplar quoad substantiam continens: adeoque vere ac proprie dicta fuit a S. Basilio *Antitypon* corporis & sanguinis Christi, ut in passione fuerunt.

CON-

CONTROVERSIA VII.

AN CHRISTUS SIT VERE, REALITER AC SUBSTANTIALITER PRÆSENS IN SACRAMENTO EUCHARISTIÆ?

CONTRA SACRAMENTARIOS.

Iconomachi numquam negarunt realem Christi præsentiam in Eucharistia.

160. Qui realem Christi præsentiam in Eucharistia publice ac directe impugnare, erroremque suum latius spargere aggressus fuerit, neminem hæreticorum, quod sane permirum est, ad Sæculum usque XI. invenies. Simoniani equidem ac Menandriani, ut refert Theodoretus Dialogo III. ex Epistola S. Ignatii M. ad Smyrnenses, item Manichæi aliæque eorum propagines docebant, Eucharistiam esse tantum figuram corporis Christi: at is error necessario fluxu ex alio dimanabat; inficiabantur enim Verbum Divinum veram carnem assumpsisse, nec nisi umbratilem ei tribuebant, Phantasiastæ idcirco dicti. Calviniani contendunt, CPolitanam Pseudosynodum Iconoclastarum sub Constantino Copronymo celebratam A. 754. negasse realem corporis Christi in Sacramento Eucharistiæ præsentiam, eoquod Eucharistiam vocet imaginem vivifici corporis, & Christum præcepisse dicat offerri substantiam panis. At frustra sunt. Patres qui adversus Iconomachos scripsere, vel eorum hæresin damnavere, nusquam ipsis exprobrarunt, quod in dogmatibus Ecclesiæ circa divinam Eucharistiam aliquid innovassent: id procul dubio exprobraturi, si hæretici illi aliud eo de Sacramento sensissent ac docuissent, quam tunc sentiret ac doceret Ecclesia. Antistites illi Iconomachi Eucharistiam vocant substantiam panis, non post consecrationem, sed respective ad tempus consecrationem Sacerdotis præcedens, ut nempe designaretur materia ex qua sit Eucharistia. Eamdem appellant imaginem vivifici corporis, non vacuam & nudam, ac secundum popularem significationem in sensu exclusivo veritatis; sed imaginem junctam cum veritate, quam solam idcirco adoratione

dignam

dignam esse contendebant, reprobato cæterarum imaginum cultu. Eucharistiam itaque imaginem corporis Christi dumtaxat vocabant habita ratione Incarnationis, seu modi singulariter mirabilis, quo formatum fuit Christi corpus: quia sicut ex purissima Virginei sanguinis portione, nulla intercedente operatione hominis, sed sola Spiritus Sancti virtute, corpus Christi formatum fuit: ita in Eucharistia ex substantia panis, absque humana operatione, sed sola Sancti Spiritus super dona proposita descendentis virtute, fit corpus Christi. Quod tamen substantiam & proprietatem corporis Christi spectat, utrobique eamdem agnoscebant Iconomachi, in Incarnatione nimirum & in Eucharistia: adeoque Eucharistiam imaginem superficie tenus & accidentariam esse nolebant corporis & sanguinis Christi, sed consubstantialem, quæ ipsum quidem repræsentat, spectata secundum externam ac visibilem sui partem; ipsamet autem corporis Christi substantia est, cum spectatur secundum partem internam & invisibilem, prout non sensuum, sed fidei objectum est. Quod si dicas, si Iconomachi hoc sensu imaginis nomen usurpassent, eos a Patribus Nicænæ II. Synodi reprehendi non debuisse. Resp. N. illatum. Iconomachi jure a Nicænis Patribus reprehensi sunt, quia vix tunc imaginis aut figuræ nomine utebantur Ecclesiastici Tractatores ad Eucharistiam designandam, quod antiqui Patres aliquando fecerant, ne Infidelibus & Catechumenis, coram quibus loquebantur, Mysteria panderent, quæ a solis Fidelibus cognosci debebant. Vide Natalis Alexandri Dissertat. IV. in Hist. Eccles. Sæculi VIII.

Errores Joannis Erigenæ.

161. Sæculo IX. Joannes quidam gente Scotus aut Hibernus, Erigena etiam idcirco appellatus, vir pravæ alias doctrinæ, multisque aliis erroribus inquinatus, librum in Galliis, temporibus Caroli Calvi, de Eucharistia conscripsit, quo Berengatio cæterisque Sacramentariis prælusit. Docuit nimirum, quod Sacramentum Altaris non verum corpus verumque sanguinem Christi Domini contineat, sed tantum memo-

ria

ria sit veri corporis & sanguinis ejus, ut testatur Hincmarus Rhemensis Sæculi IX. Scriptor Lib. de Prædestinatione, Cap. XXXI. Verum nullos hsbuit Scotus eo sæculo erroris sui sectatores, & in cunis suffocata est sacrilega opinio, opera præcipue Adrevaldi Monachi Floriacensis, qui veterum Patrum sententias de corpore & sanguine Christi contra ineptias Joannis Scoti collegit, quæ eo collineant omnes, ut corpus Christi & sanguinem vere in Eucharistia contineri probetur.

Berengarii.

162. Sæculo XI. circa A. 1047. Berengarius patria Turonensis, Ecclesiæ Andegavensis Archidiaconus, hausto e Joannis Scoti libris veneno, ad impugnandam realem Christi in Eucharistia præsentiam vexillum palam extulit, Sacramentariorum idcirco Signifer ac Vexillarius merito nuncupatus. Docuit hic S. Fulberti Carnotensis degener discipulus, Eucharistiam non esse verum ac substantiale corpus Christi, sed ejus dumtaxat figuram & imaginem, adeoque panis & vini substantiam in consecratione non mutari. Dato veluti signo calamum illico in Berengarium acuerunt antiquissimæ & Apostolicæ doctrinæ vindices egregii ex Ordine Episcopali Adelmannus Brixiensis, Hugo Lingonensis, Guitmundus Aversanus, Deoduinus Leodiensis, Lantfrancus Beccensis Monasterii Prior, ac paulo post Cantuariensis Archiepiscopus, Durandus Abbas Troarnensis, atque aliquanto serius Algerus Leodiensis primum Scholasticus, dein Monachus Cluniacensis. Coactæ mox fuerunt Episcoporum Synodi, a quibus novitius error proscriptus ac protritus est, Romana, sub S. Leone IX. A. 1050. eodemque anno Vercellensis ac Parisiensis. Turonensis ac Florentina sub Victore II. A. 1055. Romana sub Nicolao II. A. 1059. Rothomagensis A. 1063. Pictaviensis A. 1075. Romana sub S. Gregorio VII. A. 1078. ac denique altera Romana A. 1079. in qua errorem abdicavit Berengarius, & oblatam sibi a Concilio fidei formulam publice legit, jurejurando confir-

firmavit, & subscripsit. *Ego Berengarius corde credo & ore confiteor, panem & vinum quæ ponuntur in altari, per mysterium sacræ orationis & verba nostri Redemptoris, substantialiter converti in veram & propriam ac vivificatricem carnem & sanguinem Jesu Christi Domini nostri; & post consecrationem esse verum Christi corpus quod natum est de Virgine, & quod pro salute mundi oblatum in Cruce pependit, & quod sedet ad dexteram Patris: Et verum Sanguinem Christi qui de latere ejus effusus est, non tantum per signum & virtutem Sacramenti, sed in proprietate naturæ & veritate substantiæ: sicut in hoc Brevi continetur, & ego legi, & vos intelligitis, sic credo, nec contra hanc fidem ulterius docebo.* Tum in Gallias reversus, post sinceram actam pœnitentiam, in sinu Ecclesiæ mortuus est Turonibus A. 1088. exemplo sane singulari; cum vix de aliquo erroris fabricatore constet, eum tandem aliquando ad frugem rediisse. De Berengarii pœnitentia testantur veteres Membranæ Laureacenses, Clarus Floriacensis Monachus in Chronico S. Petri Vivi, quod Monasterium est apud Senonas, ad annum 1083. Wilhelmus Malmesburiensis Lib. III. de Gestis Regum Anglorum. S. Antonius Chronici Parte II. Tit. XVI. Paragr. XX. Vincentius Bellovacensis in Speculo Historiali, Lib. XXV. Cap. XXX. Martinus Polonus in Henrico II. Imp. Philippus Bergomensis in Supplemento Chronicorum, Lib. XII. Denique Turonensis Ecclesiæ S. Martini Canonici, Berengario velut homini in fide Catholica & Ecclesiæ communione defuncto, jam inde ab ejus obitu justa persolvunt quot annis ad ejus tumulum, qui in Claustro S. Cosmæ visitur, Feria III. Paschæ convenientes, & Psalmum *De profundis* pro ejus requie canentes.

Petri de Bruis, & Henrici.

163. Sæculo XII. Petrus de Bruis, a quo Petrobruisiani dicti sunt, præter alios errores quos in Provincia Arelatensi disseminavit, veritatem corporis & sanguinis Domini in Eucharistia inficiatus est. Quamvis

vis enim panem in Christi corpus in ultima Cœna conversum esse fateretur; ab Apostolis tamen eorumque Successoribus idem fieri negabat, ut patet ex Epist. I. Ven. Petri Cluniacensis adversus Petrobruisianos. Eumdem errorem propagavit Henricus quidam, Monachus apostata, Petri de Bruis discipulus, quem S. Bernardus Epist. XXIV. & Serm. LXVIII. in Cantica confutavit. In eundem errorem lapsi sunt Albigenses seu Tolosani, Manichæorum surculus. Sæculo XIV. quid Wickleffus senserit de reali præsentia Christi in Eucharistia, non satis constat. Jllud certum est, laborasse eum magis in evertenda mirabili illa conversione panis & vini in corpus & sanguinem Domini, quam in neganda reali Christi præsentia in Sacramento Eucharistiæ. Quod si etiam ille Sacramentariorum partes fuisset amplexus; exploratum tamen est, Husum hac in re a Wickleffi opinione recessisse.

Carolostadii & Zwinglii.

164. Sæculo XVI. Andreas Carolostadius Archidiaconus Vittenbergensis A. 1524. realem Christi in Eucharistia præsentiam oppugnare aggressus est, asserens, Christum illis verbis, *Hoc est corpus meum*, sine alia intentione se ipsum mensæ assidentem demonstrare voluisse. Ulricus Zwinglius Tigurinus Pastor, homo corruptis moribus & desperata audacia, A. 1525. Carolostadio adhæsit, scripto contra realem Christi præsentiam libro, in quo contendit Eucharistiam meram esse & nudam corporis Christi figuram & imaginem, ita ut verba institutionis hunc habeant sensum: *Hoc significat carpus meum.* A quo hanc doctrinam hauserit, ipse indicat Zwinglius Lib. de Subsidio Eucharistiæ scribens, dormienti sibi nescio quem nocte adstitisse (*ater*, inquit, *an albus fuerit, nihil memini*) qui monuit, locum illum Exodi Cap. XII. arriperet: *Est enim Phase, id est, transitus Domini;* ubi verbum *est* accipi ajebat pro *significat.* Fecit id strenue Zwinglius. Hinc seposita omni simulatione in Helvetica sua Confessione ait, *Christi corpus ab Ascensione esse tantum in cœlo, nec alibi esse*

 posse;

posse; esse tamen præsens in Eucharistia per contemplationem fidei, non autem realiter, nec per essentiam. Et in Confessione ad Franciscum I. Galliarum Regem scripsit, *adesse in Eucharistia corpus mysticum, symbolicum, Sacramentale per denominationem & significationem: quemadmodum si Regina annulum suum nuptialem diceret suum Regem.*

Quos impugnat Lutherus.

165. Lutherus realem Christi præsentiam in Eucharistia tum in colloquio Marpurgensi, tum in libris suis strenue propugnavit, & Sacramentariorum objecta diluit. At cum destitueretur clave, qua religionis arcana reserantur, deseruissetque Ecclesiam Controversiarum fidei infallibilem judicem, suo innixus judicio, deflectebat a simplici & naturali sensu verborum Eucharisticæ institutionis, eoquod doceret in Eucharistia manere etiam substantiam panis ac vini. Qua in re Sacramentarii figuristici sensus defensores optimo jure Luthero adversabantur, ajebantque, si standum sit sensu reali ac naturali, necessario admittendam esse transubstantiationem.

Et Joannis Calvini.

166. Calvinus Zwinglii, Buceri, aliorumque Sacramentariorum vestigiis insistens, docuit panem & vinum tesseram esse corporis Christi, & secundum virtutem tantum & efficaciam, non autem secundum eorum substantialem præsentiam exhiberi nobis corpus & sanguinem Domini; eo nimirum modo, quo adsunt & exhibentur nobis in Baptismo & Pœnitentia: immo quandocunque Christi mors aliquem in nobis effectum operatur. Vult itaque Christi corpus in cœlo tantum esse, non in Sacramento, nisi figurative tantum & repræsentative: fide tantum illud manducari, nec substantiam ipsam carnis & sanguinis, sed virtutem duntaxat in nos derivari, quemadmodum in Baptismo & Pœnitentia. Verum, ut erat mirus fallendi artifex, ne Lutheranis displiceret quorum amicitiam avide captabat, a Zwinglio se recedere simulat quandoque, & cum Lutheranis agnoscere, Eucharistiam non nudam esse ac vacuam corporis Christi figuram, immo ipsam corporis substantiam cum sym-

symbolis in ea nobis porrigi. At fallit Calvinus; substantiam enim corporis & sanguinis Domini non intelligit realiter seu corporaliter præsentem, sed per fidem tantum, aut virtutem a Christo diffusam. Quapropter Tridentina Synodus ad præcavendam fraudem omnem, atque occludendam Sacramentariis quamcunque elabendi viam, docet Sefs. XIII. Can. I. Christum in Eucharistia præsentem adefse vere, realiter, ac substantialiter. Vere, id est, non per figuram tantum & imaginem: Realiter, non objective tantum & per fidem: Substantialiter, non tantum per efficaciam & virtutem a Christo diffusam.

Realis Christi præsentia in Eucharistia invicte ostenditur ex Cap. VI. S. Joan.

167. Conclusio. Vera, realis ac substantialis corporis & sanguinis Christi præsentia in Eucharistia invicte a Catholicis ostendi potest tum ex Scripturis, tum ex traditione. Prob. I^ma^ pars Conclusionis. Joan. Cap. VI. Christus promisit daturum se nobis veram suam carnem verumque sanguinem: *Panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita. Litigabant ergo Judæi ad invicem, dicentes: Quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum? Dixit ergo eis Jesus: Amen, amen dico vobis: nisi manducaveritis carnem Filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam: & ego resuscitabo eum in novissimo die. Caro enim mea vere est cibus, & sanguis meus vere est potus. Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in illo.* Ergo Christus, in exequendis promifsis suis fidelifsimus, veram suam carnem verumque sanguinem in Eucharistia nobis tradidit. Consequentia omnino legitima est; at vero Antecedens negant omnes Sacramentarii, ajuntque sermonem ibi non efse de Eucharistia, aut de manducatione orali ac reali corporis Christi, sed vel de Incarnatione tantum, vel de spirituali duntaxat carnis Christi manducatione per fidem: nihilominus tamen impugnant Catholicorum communionem sub una tantum

specie ex illo loco Joan. Cap. VI. *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, & biberitis ejus sanguinem &c.* Ex quo manifeste colliges horum hominum levitatem & inconstantiam.

In quo agitur de reali carnis Christi manducatione.

168. Sermonem itaque ibi esse de Eucharistia, ac de reali carnis Christi manducatione, probatur I^{mo} ex verbis Christi paulo ante citatis, quæ tam clara sunt, ut omnem dubitationem excludant, modo in sensu litterali intelligantur, quod semper faciendum est, nisi evidens & manifesta necessitas exigat verba Scripturæ in sensu metaphorico accipi, quæ certe hic ab adversariis assignari nequit. II^{do}. Christus solitus erat majora ac sublimiora Mysteria, quæ hominum universorum salutem spectabant, antequam re ipsa fierent, insinuare, ut ad ea, cum fierent, suscipienda & intelligenda discipulos præpararet & erudiret. Sic Baptismi institutionem, mortem suam, resurrectionem, ascensionem, adventum Spiritus Sancti Apostolis prædixit. Atqui nullus alius in toto Evangelio locus ostendi potest, quo Eucharistiæ institutionem promiserit, & discipulos suos quodammodo ad fidem tanti Mysterii præparaverit. III^{tio}. Capharnaitæ optime intellexerunt quod modo intelligere nolunt Sacramentarii, agi nempe ibi de reali carnis Christi manducatione. Si enim de sola fide in Christum ibi sermo fuisset, vel de sola manducatione carnis ejus per fidem, ortum non fuisset murmur inter Judæos. Joan. Cap. VI. v. 53. *Litigabant ergo Judæi ad invicem, dicentes: Quomodo potest hic nobis dare carnem suam ad manducandum?* Errabant quippe, existimantes Christum dilaniandum, & carnem ejus dentibus esse comminuendam: nec discipuli aliqui a Christo defecissent. v. 61. *Multi ergo audientes ex discipulis ejus, dixerunt: Durus est hic sermo, & quis potest eum audire?* Profecto si Christus de figurato duntaxat cibo ac mere spirituali sermonem habuisset, unico verbo omnes eorum dubitationes dissipasset, dicendo, panem se daturum ad repræsentandam carnem suam, & ad sui memoriam duntaxat excitandam:

dam: neque S. Joannes, qui eorum quæ a Christo sub aliquo tropo dicta sunt, sensum alias explicare solet, hic plane subticuisset. At vero Christus litigantibus Judæis confirmavit quæ prius dixerat, quasi interposito jure jurando asserens se daturum carnem suam: *Amen, amen dico vobis: nisi manducaveritis carnem Filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Et conversus ad Apostolos, optionem ipsis dat vel credendi vel abeundi. *Numquid & vos vultis abire?* IV^to^. Eodem Cap. VI. v. 59. ait Christus: *Hic est panis, qui de cœlo descendit. Non sicut manducaverunt patres vestri manna, & mortui sunt.* Quibus verbis significat Christus, se fidelibus aliquid eximium daturum, quod Veteribus datum non fuerat. At nisi promisisset veram ac substantialem suam carnem in Sacramento dandam, nihil promisisset quod Veteribus concessum non fuerit, quibus datum est fide & spiritu carnem Christi manducare, ut ait Apostolus I. ad Cor. Cap. X. v. 3. V^to^. Patres, a quibus accipienda est vera Scripturarum intelligentia, unanimi ferme consensu sentiunt agi loco citato de Eucharistia. Ita ex Græcis S. Irenæus Lib. IV. adv. Hær. Cap. IV. Origenes Hom. XVI. in Numeros. S. Basilius Lib. I. de Bapt. Cap. III. S. Cyrillus Jerosol. Catech. IV. S. Chrysostomus Hom. XLV. in Joan. S. Epiphanius Hær. LV. S. Cyrillus Alexandrin. Lib. IV. in Joan. Cap. II. S. Joan. Damascenus Lib. IV. de Orthodoxa Fide Cap. XIV. Ita ex Latinis S. Cyprianus Lib. de Orat. Dominica. S. Ambrosius Lib. de initiandis, Cap. VIII. & Lib. VI. de Sacram. Cap. I. S. Hilarius Lib. VIII. de Trinit. S. Augustinus Serm. II. de Verbis Apostoli, & Lib. III. de Consensu Evangelistarum, Cap. I. S. Hieronymus in Epist. ad Hedibiam, Quæst. II. & Comment. in Cap. I. Epist. ad Ephesios. S. Leo M. Serm. VI. de Jejunio VII. Mensis. Cassiodorus in Psal. CIX. S. Gregorius M. Lib. VII. Moral. Cap. IV. S. Isidorus Hispalensis Lib. I. de Officiis divin.

Cap.

Cap. XVIII. S. Bernardus Serm. I. in Vigil. Nativit. & Serm. I. de Paschate. VI^{to}. Tridentinis Patribus visum fuit ita certum, loco citato sermonem esse de manducatione orali corporis Christi in Eucharistia, ut teste Sfortia Card. Pallavicino, Lib. XVII. Hist. Conc. Tridentini, Cap. XI. multi postulaverint id definiri tamquam de fide; quibus tamen obstitit Episcopus Granatensis ob expositionem recentiorum quorumdam Doctorum Catholicorum, Gabrielis Biel, Nicolai Cusani, Card. Cajetani, Ruardi Tapperi, Joannis Hesselii, sive Joan. a Lovanio, & Jansenii Gandavensis, qui ut argumenta declinarent, quibus Hussitæ & Protestantes communionem sub utraque specie urgebant ex illo Joannis loco Cap. VI. *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, & biberitis ejus sanguinem &c.* optima quidem intentione, sed improvide admiserunt, verba illa non esse intelligenda de Sacramentali, sed spirituali tantum Eucharistiæ manducatione, quæ fit per fidem.

Quidquid Sacramentarii obganniant.

169. Excipiunt Sacramentarii I^{mo}. Christus Joan. Cap. VI. v. 29. ait: *Hoc est opus Dei ut credatis in eum, quem misit ille.* Ergo agitur ibi de sola fide, seu manducatione spirituali per fidem. II^{do}. Christus eum panem promisit se daturum, quem Capharnaitis obtulit ad manducandum. Atqui illis non obtulit veram carnem suam Sacramentaliter manducandam. Ergo illam non promisit. III^{tio}. Si Christus l. c. locutus fuisset de Eucharistia, sequeretur omnino eam absolute necessariam esse ad salutem. IV^{to}. Christus loquitur de illa manducatione, quæ illo tempore a Capharnaitis fieri poterat. Atqui Eucharistia, utpote tunc nondum instituta, ab iis manducari non poterat. Ergo non loquitur de manducatione Sacramentali Eucharistiæ. V^{to}. Christus eodem Cap. VI. v. 64. ait: *Spiritus est qui vivificat: caro non prodest quidquam.* Ergo ipse Christus profitetur loqui se de sola manducatione, quæ fit per fidem. VI^{to}. Sola manducatio spiritualis per fidem dat vitam. Ergo Christus de ea sola loquitur. VII^{mo}. Patres cit. caput

S. Joan-

S. Joannis de manducatione corporis & sanguinis Dominici spirituali per fidem exponunt. Clemens Alexandrinus Lib. I. Pædagogi per carnem & sanguinem Christi intelligit verbum Dei. S. Basilius Epist. CXLI. doctrinam Christi. S. Hieronymus in Psal. CXLVII. Scripturas sacras. VIII^vo^. S. Augustinus verba illa exponit de sola manducatione per fidem, credendo ejus Divinitatem & Incarnationem. Sic Tract. XXV. in Joan. scribit: *Ut quid paras dentes & ventrem? Crede, & manducasti.* Similiter Tract. XXVI. in Joan. *Credere in eum, hoc est manducare panem vivum. Qui credit, manducat.* Et Enarratione in Psal. XCVIII. sic Christum inducit loquentem de manducatione carnis suæ: *Spiritualiter intelligite quod locutus sum: non hoc corpus quod videtis, manducaturi estis, & bibituri illum sanguinem, quem fusuri sunt qui me crucifigent. Sacramentum aliquod vobis commendavi, spiritualiter intellectum vivificabit vos.* IX^no^. Idem S. Augustinus Lib. III. de Doctrina Christiana Cap. XVI. ait: *Si præceptiva locutio est aut flagitium aut facinus vetans, aut utilitatem aut beneficium jubens, non est figurata. Si autem flagitium aut facinus videtur jubere, aut utilitatem aut beneficentiam vetare, figurata est. Nisi manducaveritis, inquit, carnem Filii hominis, & sanguinem biberitis, non habebitis vitam in vobis. Facinus vel flagitium videtur jubere: figura est ergo, præcipiens passioni Dominicæ communicandum, & suaviter atque utiliter recondendum in memoria, quod pro nobis caro ejus crucifixa & vulnerata sit.* Ergo juxta Augustinum figura est in verbis *manducare* & *bibere*, quæ metaphorice hic usurpantur, & solam spiritualem manducationem significant.

Quorum exceptiones enervantur.

170. At Sacramentariorum exceptiones istæ facile enervantur. Resp. itaque ad I. C. A. N. C. Triplex in Cap. VI. S. Joannis pars est distinguenda. In prima ad versiculum usque 25. agitur de cibo materiali, nempe de multiplicatione panum, quibus in deserto quinquies mille homines saturati fuerunt. In

altera

altera usque ad versiculum 52. agitur de cibo mere spirituali, nempe de fide in Christum. In tertia denique a versiculo 52. usque ad finem capitis, agitur de manducatione reali & Sacramentali carnis Christi. Ad II. N. M. Christus Ecclesiæ suæ pinguiorem panem promisit se daturum, quam ille fuerit quem Capharnaitis obtulit, nimirum corpus suum & sanguinem in Eucharistia a se statuto tempore instituenda; cum tamen Capharnaitis non obtulerit manducationem realem & Sacramentalem, quod fieri non poterat utpote Eucharistia nondum instituta; sed tantum fidei gratiam, seu manducationem spiritualem per fidem. Ad III. N. illatum; quia laudata verba continent tantum necefsitatem præcepti obligantis eos duntaxat, qui talis præcepti sunt capaces, nempe solos adultos, quos Christus l. c. alloquebatur. Vide dicta Controversia II. Ad IV. N. M. Christus de utraque manducatione loquitur, nempe de spirituali, quæ sola tunc fieri poterat, fidem Dominicis verbis adhibendo, & de reali ac Sacramentali, adimplenda post institutam Eucharistiam. Christus enim non tantum tempore præsenti ait, *qui manducat;* sed etiam ad futurum respiciens; & in persona discipulorum ac multitudinis illius totam Ecclesiam verbis illis allocutus est: *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis &c,* Ad V. C. A. N. C. Nam I^mo ut sentiunt, Tertullianus, Origenes, S. Cyrillus Jerosol. S. Chrysostomus Hom. XLVI. in Joan. Christus verbis illis, *Caro non prodest quidquam*, non loquitur de carne sua, sed de hominibus carnalibus & carnaliter sentientibus. Quare hujus loci sensus est: Spiritus Dei est, qui excitat & dat fidem ac intelligentiam; homo autem carnalis non potest percipere divina mysteria: & quia vos non Spiritu Dei, sed sensu carnali vestro utimini, non potestis credere & intelligere. II^do. Si Christus de sua carne loquitur, ut sensiunt SS. Athanasius & Augustinus, arguit ibi Capharnaitas, qui stolide putabant, Christum præcisurum efse particulas quasdam de corpore suo, quas disci-

discipuli cæterarum carnium modo absumerent. Sensus itaque eorum verborum est: Caro præcisa a Spiritu vivificante, seu Divinitate, non habet vim spiritualiter vivificandi, sed hanc habet a Spiritu seu Divinitate sibi unita: at vero caro & sanguis meus, quæ vobis dabo, habent ratione Divinitatis sibi unitæ virtutem vivificandi animam. Augustinus iterum hac de re audiendus est Tract. XXVII. in Joan. *O Domine, Magister bone, quomodo caro non prodest quidquam, cum tu dixeris, Nisi quis manducaverit carnem meam, & biberit sanguinem meum, non habebit in se vitam? An vita non prodest quidquam? & propter quid sumus, quod sumus, nisi ut habeamus vitam æternam, quam tua carne promittis? Quid est ergo, non prodest quidquam caro? Non prodest quidquam, sed quomodo illi intellexerunt: carnem quippe sic intellexerunt, quomodo in cadavere dilaniatur, aut in macello venditur, non quomodo spiritu vegetatur. Proinde sic dictum est, Caro non prodest quidquam: quomodo dictum est, Scientia inflat. Jam ergo debemus odisse scientiam? Absit. Et quid est, Scientia inflat? sola, sine charitate. Ideo adjunxit, Charitas vero ædificat. Adde ergo scientiæ charitatem, & utilis erit scientia: non per se, sed per charitatem. Sic etiam nunc, caro non prodest quidquam, sed sola caro: accedat Spiritus ad carnem, quomodo accedit charitas ad scientiam, & prodest plurimum. Nam si caro nihil prodesset, Verbum caro non fieret, ut inhabitaret in nobis.* Ad VI. N. A. Sacramentalis manducatio, quantum est ex se, dat vitam efficienter & instrumentaliter, licet fidem exigat tamquam dispositionem ad dandam vitam æternam, quam Christus promisit digne manducanti. Ad VII. Resp. Quamvis citati Patres locum illum in sensu mystico exponant de manducatione spirituali per fidem, de verbo Dei, doctrina Ecclesiæ & Scripturis; nullibi tamen sensum litteralem, seu veram & Sacramentalem manducationem excludunt aut rejiciunt. Ad VIII. Resp. ut prius, Sacramentalem manducationem ab Augustino nullibi excludi, quam alibi tradit,

& semper supponit. Tractatu XXV. in Joan. verbis illis, *Ut quid ergo paras dentes &c.* non exponit verba illius capitis quæ ad Eucharistiam pertinent, sed illa: *Hoc est opus Dei, ut credatis in eum quem misit ille*, quæ agunt de cibo mere spirituali, nempe de fide in Christum. Tractatu XXVI. in Joan. paulo post citata verba subjungit S. Doctor: *Hoc est ergo manducare illam escam, & bibere illum potum, in Christo manere, & illum manentem in se habere. Ac per hoc qui non manet in Christo, & in quo non manet Christus, procul dubio non manducat spiritualiter carnem ejus, nec bibit ejus sanguinem, licet carnaliter & visibiliter premat dentibus Sacramentum corporis & sanguinis Christi; sed magis tantæ rei Sacramentum ad judicium sibi manducat & bibit, quia immundus præsumpsit ad Christi accedere Sacramenta, quæ aliquis non digne sumit, nisi qui mundus est,* Ubi vides, Augustinum conceptis verbis admisisse non tantum spiritualem, sed Sacramentalem etiam carnis Christi manducationem, quam, si sola sit, & ab animæ bene præparatæ sanctitate sejuncta, obesse magis dicit quam prodesse. Enarratione in Psal. XCVIII. Christum ita Capharnaitas & discipulos alloquentem inducit: *Non hoc corpus quod videtis, manducaturi estis &c.* Id est, hoc corpus quoad substantiam manducaturi estis, non hoc corpus in forma visibili & humana: neque illud eritis dilaniaturi, ut falso vobis persuadetis. Nam præterquam quod caro sic mortua & concisa nihil prosit, hic modus manducandi grande esset flagitium. Ad IX. C. A. N. C. Juxta S. Augustinum verba illa, *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis &c.* in sensu Capharnaitico intellecta de comestione facta modo vulgari, per carnis scilicet occisæ & coctæ divisionem & masticationem, maximum utique continerent flagitium, atque ideo non sunt intelligenda de comestione carnali. At vero intellecta in sensu Christi & Ecclesiæ de manducatione Sacramentali, per quam corpus & sanguis Christi viva & integra, sub speciebus panis & vini ex ore in stomachum trajiciuntur, nullum flagitium

gitium præcipiunt; ideoque juxta Augustinum in sensu proprio ac litterali sunt accipienda.

Idem ostenditur ex verbis institutionis Eucharistiæ, Matth. Cap. XXVI.

171. Alterum argumentum suppeditat nobis Scriptura Matthæi Cap. XXVI. ubi de ipsa Sacramenti hujus institutione agitur. *Accepit Jesus panem, & benedixit ac fregit, deditque discipulis suis, & ait: Accipite & comedite: hoc est corpus meum. Et accipiens calicem gratias egit: & dedit illis, dicens: Bibite ex hoc omnes. Hic est enim sanguis meus novi testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum.* Hæc verba in sensu obvio, naturali ac litterali accipienda sunt, non in sensu figurato, improprio ac metaphorico. Atqui si accipiantur in sensu proprio, naturali ac litterali, efficaciter probant substantialem ac realem Christi præsentiam in Eucharistia. Ergo. P. M. I^mo^. Verba Scripturæ in sensu proprio, obvio, ac naturali accipienda sunt, quando nihil continent aut bonis moribus repugnans, aut fidei, aliisque Scripturæ divinæ verbis clarioribus contrarium. Atqui hæc verba, *hoc est corpus meum*, nihil continent aut bonis moribus, aut fidei, aut aliis Scripturæ verbis clarioribus contrarium. Ergo. Prob. II. ex circumstantiis hujus institutionis. Christus alloquitur non exteros, sed Apostolos amicos suos, quibus æternum amoris pignus dare constituerat; & quidem eo tempore, quo ipsi Apostoli profitentur Joan. Cap. XVI. *Ecce nunc palam loqueris, & proverbium nullum dicis,* Novum condidit testamentum, cujus verba debent esse clara & perspicua, ab omnibus tropis, figuris, ambiguitatibus remotissima, ne unde lites extingui deberent, inde potius pullulent. Profecto si Calvinistæ cuipiam ab amico testante relinquatur domus vel ager, is amici voluntatem completam non asseret, si tradatur ei tabella domum vel agrum repræsentans. Christus Sacramentum novæ Legis tunc instituit: de ratione autem novæ institutionis est, ut efferatur verbis simplicissimis & clarissimis, per quæ res significata ita exprimatur, ut ii pro quibus instituitur signum, clare intelligant quid instituatur.

Nullibi certe in Scripturis divinis exemplum invenitur, in quo rei institutæ nomen in prima sui institutione tribuatur signo, nisi prius instituentis mens prævie fuerit manifestata. Prob. III. ex conformi narratione Evangelistarum, qui quod ab uno vel obscure vel figurate exprefsum est, magis proprie & plenius solent explicare; hic tamen omnes iisdem utuntur verbis, & ne vel levifsimum dant indicium, Christum in institutione Eucharistiæ figurate locutum efse: quod certe, si vera foret sacrilega Sacramentariorum opinio, in re tanti momenti, ex qua tot difsensiones aliquando orituras prævidebat Spiritus Sanctus, monere non neglexifsent Evangelistæ. Prob. IV. ex sequelis. Si enim Christus figurate locutus fuifset, gravifsimi erroris occasionem Apostolis dedifset, verbis utendo in sensu improprio, ac contra receptas sermonis leges; panis enim neque ex natura sua, neque ex institutione hominum significabat corpus Christi. Ergo Christus præmonere debuifset Apostolos, se panis nomine usurum ad significandum corpus suum, novamque pani a se inditam fuifse significationem. Atqui de hoc Christus nullibi Apostolos monuit. Ergo locutus fuifset contra proprium & naturalem verborum sensum, quod manifeste repugnat infinitæ ejus sapientiæ & æquitati. Quamvis enim Christus non teneretur verbis uti tam perspicuis, ut nullus omnino superefse potuerit dubio vel errori locus; tenebatur tamen iis verbis uti, quæ in proprio, naturali ac recepto sensu accepta, in fraudem & errorem auditores ex se non inducerent. Ergo verba institutionis Eucharistiæ accipienda sunt in sensu obvio & litterali. Profecto si omnia, quæ captum nostrum excedunt, ad tropos & metaphoras transferre liceat, actum erit de præcipuis fidei nostræ Mysteriis, nempe de Trinitate personarum, Incarnatione ac Divinitate Verbi Divini; facile enim reponent Sociniani, illud Joan. Cap. I. *Verbum caro factum est*, metaphoram efse, nec aliud

deno-

denotare, quam Deum ab adventu Christi specialem curam rerum humanarum gerere.

Et replicæ Sacramentariorum.

172. Replicant Sacramentarii I^mo^. In Scripturis *Est* sumitur pro *significat*. Sic Exodi Cap. XII. dicitur: *Est enim Phase, id est, transitus Domini*. II. Joan. Cap. X. Christus dicitur ostium, & vitis vera Joan. Cap. XV. Apostolus I. ad Cor. Cap. X. ait: *Petra autem erat Christus*. III. Genesis Cap. XVII. Circumcisio vocatur pactum, id est, signum pacti vel fœderis. Et Genes. Cap. XLI. ait Joseph ad Pharaonem: *Septem boves pulchræ, & septem spicæ plenæ, septem ubertatis anni sunt*. IV. Verum Christi corpus non frangitur. Sed quod in Eucharistia distribuitur, juxta Apostolum I. ad Cor. Cap. XI. frangitur. Ergo quod in Eucharistia, distribuitur, non est verum Christi corpus, sed illius tantum figura. V. In verbis, quibus Christus usus est calicem consecrando, duplex occurrit figurata locutio Lucæ Cap. XXII. *Hic est calix*, continens pro contento. *Novum Testamentum*, id est, signum supremæ voluntatis Christi. Ergo etiam *Est* sumitur figurate, pro *significat*. VI. Id quod datur in calice, funditur; nam Lucæ Cap. XXII. in Græco textu dicitur: *Hic calix est novum testamentum in meo sanguine, qui pro vobis funditur*. At sanguis Christi non funditur realiter in Eucharistia, cum venis inclusus maneat. Ergo quod datur in calice, non est sanguis Christi. VII. Omne Sacramentum est signum ac figura. Ergo verba illa, *Hoc est corpus meum*, debent intelligi sensu Sacramentali, id est, tropico & figurato. VIII. Christus Apostolis dixit Lucæ Cap. XII. *Hoc facite in meam commemorationem*. Atqui commemoratio non est rei præsentis, sed absentis. IX. Apostoli comederunt, quod ipsis a Christo est traditum. Atqui comederunt solummodo panem figuram corporis, non ipsum substantiale Christi corpus, quod dentibus teri non potest. Ergo. X. Christus quando dixit, *Hoc est corpus meum*, loquebatur de eo quod in manibus habebat. Sed panem tunc in manibus habe-

habebat. Erge de pane loquebatur. XI. Pronomen *Hoc* demonstrat panem ipsum, quem Christus tenebat. Atqui panis non potest dici corpus Christi nisi per figuram. P. M. Si pronomen *Hoc* demonstraret corpus Christi, propositio illa esset identica & nugatoria, quia hunc sensum haberet: *Hoc corpus meum est corpus meum.*

Invictæ eliduntur. 173. Adversariorum hæ replicæ facili negotio a nobis eliduntur. Resp. itaque ad I. Quandoque in Scriptura verbum *Est* usurpatur pro *significat*, at non semper; tunc nimirum quando figuratus sensus in Scripturis diserte exprimitur, aut ex subjecta materia variisque ejus circumstantiis tam aperte elicitur, ut nullus esse possit fraudi & errori locus. Exodi Cap. XII. quod de Agno dicitur: *Est enim Phase, id est, transitus Domini*, non denotat, Agnum esse signum, sed esse victimam transitus Domini, prout illa verba Deus ipse ore Moysis explicat Exodi Cap. XII. v. 26. *Et cum dixerint vobis filii vestri, quæ est hæc religio? dicetis eis: Victima transitus Domini est.* Ergo in verbo *Est* nulla hic invenitur figura; ideoque spiritus qui Zwinglium decepit, certe non fuit albus, sed ater. Quod si etiam daretur, verbum *Est* figuram hic continere, usurparique pro *significat*; hæc tamen figura tam facilis est ac conspicua, loci, rei, & personarum circumstantiis adeo accommodata, ut cœcus sit oportet, qui eam non deprehenderit. Ad II. Resp. figuram illam esse obviam, claram & apertam ex circumstantiis sacri textus, ex qua nullum omnino fraudis & erroris periculum timeri potest; designatur enim ibi aliqua virtus Christi, quæ analogiam habet cum ostio, vite, pane, ac petra. Ostium dicitur Christus, quia per illum aditus nobis aperitur ad vitam æternam: vitis, quia occulta gratiæ suæ subministratione animæ vitam tribuit, sicut vitis palmitibus: panis, quia animas nostras doctrinæ & gratiæ pabulo reficit, sicut panis corpora nostra: petra, quia quemadmodum ex illa fluxerunt aquæ ad

potan-

potandos Israelitas in deserto; ita quidquid illis supernaturalis auxilii fuit concessum, intuitu meritorum Christi concessum est. Ad III. Resp. Antequam Dominus diceret Gen. Cap. XVII. v. 13. *Eritque pactum meum in carne vestra*, jam prævie dixerat v. 11. *Et circumcidetis carnem præputii vestri, ut sit in signum fœderis inter me & vos.* Ergo signum institutum erat, antequam ei daretur nomen rei significatæ: & ex verbis præviæ institutionis luculenter intelligebant Abraham ejusque posteri, quid per pactum v. 13. intelligi voluerit Dominus. Unde si voluisset Christus in institutione Eucharistiæ per corpus intelligi figuram corporis sui, prævie præmisisset ea, ex quibus satis colligere potuissent Apostoli, ipsum loqui de figura corporis sui, ne ipsi imparati, & de Mysterio cogitantes, audiendo ea Christi verba, *Hoc est corpus meum*, fallerentur. Alterum exemplum quod attinet, verba Josephi figurata esse, & Pharaonis somnium & Josephi interpretatio manifeste ostendunt; Pharao enim non de phantasmatum illorum natura, sed solum de somnii significatione sollicitus erat: quare Joseph apte ad illius mentem respondit: per septem spicas & septem boves crassas significari septem annos fertilitatis. Ad IV. Resp. Christi corpus frangi in Sacramento, non ratione sui, quasi pars a parte divellatur; sed ratione specierum quæ franguntur, quarum singulis fragmentis subest totus Christus, & a quibus fractis corpus Christi extrinsece denominatur fractum. Dein verbum *frangitur* apud Apostolum idem significat ac *datur;* frangere enim panem juxta Scripturas idem est ac dare & distribuere, ut Isaiæ Cap. LVIII. *Frange esurienti panem tuum.* Ad V. C. A. N. C. Calix & testamentum voces sunt equidem hic figuratæ; sed tam aperta & popularis est figura, ut nullus sit de plebe tam simplex ac stupidus, qui eam non statim percipiat. Quis enim nesciat calicem sumi pro re in ipso contenta, & testamentum pro signo ultimæ voluntatis? Neque dicas, etiam verbum *Est* in illa propositione sumi

figu-

figurate; alias tota etiam hæc propositio figurata erit: *Verbum caro factum est*, quia caro figurate ac synecdochice sumitur pro homine. Ad VI. Resp. Verbum *funditur* significat hic effusionem sanguinis in Cruce faciendam, quæ in Græco quidem textu per tempus præsens exprimitur, quia proxime futura erat, & moraliter jam præsens. Quare horum verborum sensus est: Hoc corpus, quod vobis trado in Sacramento, est ipsummet corpus, quod brevi pro vobis in veritate cum effusione sanguinis cruentæ morti tradetur. Atque ideo Latinus interpres in Vulgata nostra usus est tempore futuro, *fundetur*. Ad VII. D. A. Sacramentum est signum vacuum, rem absentem significans, N. A. Signum efficax rei præsentis, C. A. N. C. Sicut linguæ igneæ repræsentabant die Pentecostes Spiritum Sanctum præsentem; ita pariter Sacramentum Eucharistiæ signum est Christi præsentis, quem vere & realiter continet. Ad VIII. C. M. D. m. Commemoratio non est rei præsentis tum menti tum sensibus, C. m. Menti tantum præsentis, N, m. Licet Deus sit ubique præsens, justi tamen illius dicuntur esse memores. Tobiæ Cap. I. *Memor fuit Domini in toto corde suo.* Eucharistia itaque est memoria rei absentis & præteritæ, scilicet mortis & passionis Christi, simulque rei præsentis menti, sensibus tamen non subjectæ, nimirum corporis & sanguinis Dominici. Ad IX. C. M. N. m. Verum ac substantiale corpus Christi vere ac realiter manducatur: non quidem in se ipso immediate, sed in Sacramento, quo continetur, quo mediante dentibus ac lingua teritur, atque in stomachum trajicitur. Ad X. Resp. I^{mo}. Ergo Eucharistia est panis ordinarius, nulla gratia, nulla efficacia præditus, quod nec ipsi Sacramentarii dicunt. Resp. II^{do}. D. m. Christus tunc habebat panem in manibus, sed finita illa propositione jam immutatum & conversum in corpus Christi, C. m. Non immutatum, neque conversum, N. m. Propositio illa; *Hoc est corpus meum*, non est speculativa, quæ objectum suum supponit, non facit;

sed

sed practica est, operativa, quæ facit id quod significat, habetque hunc sensum: Hoc quod in fine propositionis adest, est corpus meum. Ad XI. N. M. Pronomen *Hoc* non demonstrat panem, neque species panis: quia neque ipse panis, neque illius species sunt corpus Christi: sed si spectetur in eo instanti, quo propositio nondum completa est, confuse ac generatim denotat substantiam aliquam præsentem: si vero spectetur in eo instanti, quo propositio perficitur ac completur, pronomen *Hoc* determinate Christi corpus demonstrat, quia cum illo connectitur; sicque demonstratio individui in confuso, per adjectionem nominis evadit determitata. Ad *probat.* N. A. quia non est idem significandi modus, & quod per pronomen *Hoc* confuse significatur, distinctius exprimitur per voces sequentes; alias identica etiam & nugatoria foret hæc propositio: *Homo est animal rationale.*

Realis Christi præsentia in Eucharistia ostenditur auctoritate Patrum, qui diserte asserunt, Eucharistiam non esse panem, sed corpus Christi.

174. Altera Conclusionis pars invicte a nobis ostenditur auctoritate Patrum, qui traditionum divinarum depositarii ac fidelissimi sunt custodes, ex quorum scriptis antiquæ Ecclesiæ fides & doctrina perspicue dignoscitur. Ac I^mo^ quidem Patres asserunt, panem Eucharisticum non esse communem, sed esse corpus Christi, quod verbis Dominicis præsens sistitur in Eucharistia. S. Ignatius M. in Epist. ad Smyrnæos de Simonianis & Menandrianis scribit: *Ab Eucharistia & oratione abstinent, eoquod non confiteantur Eucharistiam carnem esse Salvatoris nostri Jesu Christi, quæ pro peccatis nostris passa est, quamque Pater benignitate sua excitavit.* S. Justinus M. in Apologia Antonino Pio Imp. oblata describens ritum celebrandi Eucharistiam ait: *Porro alimentum hoc apud nos appellatur Eucharistia; quod nulli alii participare licitum est, quam veram esse doctrinam nostram credenti, & lavacro propter remissionem peccatorum & regenerationem abluto, & ita ut Christus tradidit viventi. Non enim ut communem panem, neque ut communem potum ista sumimus; sed*

quemadmodum per Verbum Dei caro factus Jesus Christus Servator noster & carnem & sanguinem salutis nostræ causa habuit: ad eumdem modum etiam eam, in qua per preces verbi ejus ab ipso profecti gratiæ sunt actæ, alimoniam, unde sanguis & carnes nostræ per immutationem aluntur, Incarnati illius Jesu carnem & sanguinem esse edocti sumus. S. Irenæus Lib. IV. adv. Hær. Cap. XVIII. alias XXXIV. *Quomodo autem rursus dicunt* (Valentiniani) *carnem in corruptionem devenire, & non percipere vitam, quæ a corpore Domini & sanguine alitur? - - Quemadmodum enim qui est a terra panis percipiens invocationem Dei, jam non communis panis est, sed Eucharistia ex duabus rebus constans, terrena & cœlesti: sic & corpora nostra percipientia Eucharistiam jam non sunt corruptibilia, spem resurrectionis habentia.* Tertullianus Lib. IV. contra Marcionem, Cap. XL. *Acceptum panem & distributum discipulis, corpus illud suum fecit, hoc est corpus meum dicendo.* S. Ambrosius Lib. IV. de Sacram. Cap. IV. *Tu forte dicis: meus panis est usitatus. Sed panis iste, panis est ante verba Sacramentorum: ubi accesserit consecratio, de pane fit caro Christi - - ante consecrationem non erat corpus Christi, sed post consecrationem dico tibi, quod jam est corpus Christi.* S. Gregorius Nyssenus in Orat. Catechet. Cap. XXXVII. *Recte Dei verbo sanctificatum panem in Dei Verbi corpus transmutari credo.*

Atque illud ipsum, quod e Virgine natum est, passum, ac pro nobis mortuum.

175. II^do^ Patres asserunt, Eucharistiam verum esse ac proprium Christi corpus, atque illud ipsum, quod ex B. V. Maria natum est, passum, mortuum pro nobis, & a morte suscitatum. Ergo verba institutionis Patres non intellexerunt in sensu figurato. P. A. S. Hilarius Lib. VIII. de Trinit. Num. XIII. ait: *Si vere Verbum caro factum est, & nos vere Verbum carnem cibo Dominico sumimus, quomodo non naturaliter manere in nobis existimandus est?* S. Ambrosius Lib. VI. de Sacram. Cap. I. *Sicut verus est Dei Filius, Dominus noster Jesus Christus, non quemadmodum homines per gratiam, sed quasi Filius ex substan-*

tia

tia Patris; ita vera caro, ſicut ipſe dixit, quam accipimus. S. Chrysostomus Hom. LXXXIII. in Matth. *Quis paſtor umquam membris ſuis oves nutrivit? Multæ matres poſt partum aliis mulieribus infantes dederunt; quod ipſe facere noluit, ſed proprio corpore nos alit.* S. Cyrillus Alexandrinus in Explicatione XII. Anathematismorum, ita XI^{mum} exponit: *Sanctum ac vivificum incruentumque in Eccleſiis Sacrificium peragimus: corpus quod proponitur, ſimiliter & pretioſum ſanguinem, non communis nobisque ſimilis hominis cujuſpiam eſſe credentes; ſed potius tamquam proprium corpus effectum, & ſanguinem etiam Verbi, quod omnia vivificat, accipientes. Siquidem communis caro vivificare non poteſt.* S. Ambr. Lib. de initiandis, Cap. IX. *Hoc, quod conficimus, corpus ex Virgine eſt -- Vera utique caro Chriſti quæ crucifixa eſt, quæ ſepulta.* S. Chrysostomus Hom. XXIV. in I. ad Cor. *Id quod eſt in calice, eſt id quod fluxit e latere, & illius ſumus participes.* S. Petrus Chrysologus Serm. LXVII. *Ipſe eſt panis, qui ſatus in Virgine, fermentatus in carne, in Cruce confectus, in fornace coctus ſepulcri, in Eccleſiis conditus, illatus altaribus, cœleſtem cibum quotidie fidelibus ſubminiſtrat.*

Ita ut negent, Euchariſtiam eſſe tantum figuram & imaginem corporis Chriſti.

176. III^{tio} Patres aſserunt, Eucharistiam ita eſse verum & proprium Christi corpus, ut negent eam eſse tantum figuram & imaginem illius. S. Chrysostomus Hom. LXXXIII. in Matthæum scribit: *Quot modo dicunt, vellem ejus videre formam, & ſpeciem, & veſtimenta & calceamenta. Ecce ipſum vides, ipſum tangis, ipſum comedis. Et tu quidem veſtimenta videre cupis; ipſe autem tibi dat non tantum videre, ſed & tangere, & edere, & intus ſumere.* Ubi pronomen *ipſe* opponitur figuræ & imagini. S. Anastasius Sinaita in Tractatu, quem circa A. 635. inscripsit *Viæ dux*, sic respondentem Gajanitam Eutychianum inducit Cap. XXIII. *Abſit, ut dicamus, Sacram Communionem eſſe tantum figuram corporis Chriſti, aut nudum panem; ſed ipſum corpus & ſanguinem Chriſti Filii Dei incarnati.* Orthodoxus reponit: *Sic credimus, & ſic*

confitemur juxta dictum Christi ad Discipulos in Cœna mystica dantis illis vivificum panem, Accipite, comedite, hoc est corpus meum, - - - Hic est sanguis meus. Non dixit, hoc est figura, seu quid vices gerens corporis & sanguinis mei. S. Hieronymus Comment. in Caput I. Epist. ad Titum: *Tantum interest inter propositionis panes & corpus Christi, quantum inter umbram & corpora, inter imaginem & veritatem, inter exemplaria futurorum, & ea ipsa quæ per exemplaria præfigurabantur.* S. Leo M. Serm. VI. de Jejunio VII^{mi} Mensis: *Sic Sacræ Mensæ communicare debetis, ut nihil prorsus de veritate corporis Christi & sanguinis ambigatis. Hoc enim ore sumitur, quod fide creditur: & frustra ab illis Amen respondetur, a quibus contra id quod accipitur, disputatur.* S. Joannes Damascenus Lib. IV. de Orthodoxa Fide, Cap. XIV. *Nec vero panis & vinum Christi corporis & sanguinis figura sunt, absit, sed ipsum Domini corpus Deitate dotatum.*

Asserantque Eucharistiæ mysterium inaccessum esse sensibus, ac sola fide credendum.

177. IV^{to} Patres asserunt, Mysterium Eucharistiæ stupendum esse, inaccessum sensibus, sola fide credendum; & Fidelium circa illud dubia non alio argumento dissolvunt, quam proponendo summam Dei virtutem ac potentiam. Atqui si Eucharistia foret tantum figura corporis Christi, excludens veram, realem ac substantialem ejus præsentiam, non esset captu difficile aut stupendum miraculum: neque confugissent Patres ad infinitam Dei potentiam, ut Fidelium dubia eliderent. Ergo. P. m. Facile contingere potest, ut Fideles, si a sensuum judicio non recedant, de veritate corporis & sanguinis Christi in Eucharistia dubitent; difficile autem excitantur dubia de vi & efficacia Eucharistiæ: quemadmodum enim non dubitant de vi & efficacia Baptismi, ita minime pronum est eos dubitare de vi & efficacia Eucharistiæ. II. Vis illa & efficacia juxta Calvinianos tota oritur a fide, quam externum symbolum movet dumtaxat atque excitat. III. Patres, siquidem vera foret Sacramentariorum doctrina, ad dubia illa quæ

Fide-

Fidelibus exoriri poterant, reponere debuissent, Eucharistiam non continere verum Christi corpus, sed nudam dumtaxat esse illius figuram. At longe aliam viam Patres iniverunt. S. Cyrillus Jerosolym. Catech. IV. Mystagogica ait: *Cum igitur Christus ipse sic affirmet, atque dicat de pane, Hoc est corpus meum, quis deinceps audeat dubitare? Ac eodem quoque confirmante & dicente, Hic est sanguis meus, quis, inquam, dubitet, & dicat non esse illius sanguinem? Aquam aliquando mutavit in vinum, quod est sanguini propinquum, in Cana Galilææ sola voluntate; & non erit dignus cui credamus, quod vinum in sanguinem suum transmutarit? - - Ne ergo consideres tamquam panem nudum, & vinum nudum; corpus enim est & sanguis Christi, secundum ipsius Domini verba. Quamvis enim sensus hoc tibi suggerit, tamen fides te confirmet, ne ex gustu rem judices; quin potius habeas ex fide pro certissimo, ita ut nulla subeat dubitatio, esse tibi donata corpus & sanguinem.* S. Hilarius Lib. VIII. de Trinitate, Num. XIV. *Non est humano aut sæculi sensu in Dei rebus loquendum. Quæ scripta sunt, legamus, & quæ legerimus, intelligamus, & tunc perfectæ fidei officio fungemur. De naturali enim in nobis Christi veritate quæ dicimus, nisi ab eo discimus, stulte atque impie dicimus. Ipse enim ait: Caro mea vere est esca, & sanguis meus vere est potus. De veritate carnis & sanguinis non relictus est ambigendi locus: nunc enim & ipsius Domini professione, & fide nostra, vere caro est, & vere sanguis est. Et hæc accepta atque hausta id efficiunt, ut & nos in Christo, & Christus in nobis sit. Anne hoc veritas non est? Contingat plane his verum non esse, qui Christum Jesum verum esse Deum denegant.* S. Chrysostomus Hom. LXXXIII. in Matth. *Credamus ubique Deo, nec repugnemus, etiamsi sensui & cogitationi nostræ absurdum esse videatur quod dicit; superet & sensum & rationem nostram sermo ipsius, quod in omnibus & præcipue in mysteriis faciamus, non illa quæ ante nos jacent solummodo aspicientes, sed verba quoque ejus tenentes. Nam verbis ejus defraudari non*

possu-

possumus, sensus vero noster deceptu facillimus est: illa falsa esse non possunt, hic sæpius atque sæpius fallitur. Quoniam ergo ille dixit, Hoc est corpus meum, nulla teneamur ambiguitate; sed credamus, & oculis intellectus id perspiciamus. S. Joannes Damascenus Lib. IV. de Orthodoxa fide, Cap. XIV. *Quæsivit Virgo, quomodo fiet istud? Respondit Gabriel Archangelus: Spiritus Sanctus superveniet in te. Tu quoque nunc quæris, quomodo panis nunc fiat corpus Christi, & vinum aqua mixtum fiat sanguis Christi? Tibi quoque respondeo, Spiritus Sanctus supervenit, eaque efficit quæ orationis facultatem & mentis intelligentiam excedunt. - - - Quod si quæras quo pacto id fiat, satis tibi sit audire, quod per Spiritum Sanctum id fiat. Quemadmodum ex Sancta Dei Matre per Spiritum Sanctum Dominus sibi ipsi carnem condidit: nec quidquam amplius verbis perspectum & exploratum est, quam quod Verbum Dei est verum & efficax, atque omnipotens, ut ea efficiat quæ nulla ratio humana queat indagare. Quin ne hoc quoque alienum fuerit dicere, quod quemadmodum naturaliter panis per manducationem, & vinum & aqua in bibentis & comedentis corpus & sanguinem immutantur: sic panis & vinum quæ proponuntur in altari, per Sancti Spiritus invocationem & adventum, mirabili modo in Christi corpus & sanguinem vertuntur.*

Ac tamquam rem obstupescendam deprædicent, quod Christus hoc Sacramentum instituens, semet ipsum propriis manibus portaverit.

178. V. Patres tamquam rem insolitam & obstupescendam deprædicant, quod Christus, quando hoc Sacramentum instituit, semet ipsum propriis manibus portaverit. S. Augustinus Enarratione I. in Psal. XXXIII. scribit: *Hoc quomodo posset fieri in homine quis intelligat? Quis enim portatur in manibus suis? Manibus aliorum potest portari homo, manibus suis nemo portatur. Quomodo intelligatur in ipso David secundum litteram non invenimus, in Christo autem invenimus. Ferebatur enim Christus in manibus suis, quando commendans ipsum corpus suum, ait, Hoc est corpus meum. Ferebat enim illud corpus in manibus suis.* Id ipsum repetit S. Doctor Enarratione II. in eumdem Psalmum: *Quomo-*

do ferebatur in manibus suis? Quia cum commendaret ipsum corpus suum, & sanguinem suum, accepit in manus suas quod norunt fideles, & ipse se portabat quodam modo, cum diceret, Hoc est corpus meum. At si Christus figuram tantum sui corporis manibus suis portasset, inepte sane Augustinus diceret, captum hoc nostrum superare, cum istud frequentissime contingere videamus. Sic quando Princeps monetam suam in sacculo portat, se ipsum portat in signo, cum in ea moneta imago ipsius inveniatur impressa. Calvinus Lib. IV. Institut. Cap. XII. ait, quod Christus juxta Augustinum se ipsum manibus suis figurate tantum portaverit, quia S. Doctor loco cit. asserit: *Ipse se portabat quodam modo.* At vox hæc *quodam modo* nullam metaphoram aut figuram indicat, sed verum quemdam modum, nempe Sacramentalem, quem Augustinus pluribus explicare noluit. Plura, eaque invicta, quæ ex Patribus instrui possunt, argumenta brevitatis causa omittimus. Qui plura desiderat, Card. Bellarminum consulat Lib. II. de Eucharistia. Gregorium de Valentia Theolog. Commentar. Tomo IV. Disput. VI. Quæst. III. Puncto I. Natalem Alexandrum in Dissert. XII. Hist. Eccles. Sæculi XI. & XII. Tournely in Prælect. Theol. de Eucharistia Quæst. II. Artic. IV.

Idem ostenditur ex consensu Ecclesiæ Latinæ & Græcæ.

179. Accedit huic Patrum doctrinæ concors Ecclesiæ Latinæ atque Orientalis sensus, ut manifeste colligitur ex Conciliis tum in Occidente contra Berengarium Sæculo XI., tum priori Sæculo, nempe XVII. contra Cyrillum Lucarim Jerosolymis & CPoli celebratis, atque ex Confessionibus fidei non Catholicorum modo, verum etiam illorum, qui a Catholica Ecclesia diuturno schismate divisi, Orientis provincias incolunt, adeo ut vix ulla sit Christianorum qualiumcunque societas, quæ Domini verba illa, *Hoc est corpus meum*, in litterali ac proprio sensu non intelligat, aut aliquando non ita intelligenda esse existimaverit. Jam vero ex antiquissimo illo populorum omnium temporum atque ætatum consensu hoc instru-

struimus argumentum decretorium. Illud dogma est verum atque a Deo revelatum, quod semper creditum fuit in Ecclesia, quæ est columna & firmamentum veritatis: quod enim in Ecclesia semper creditum est, id certe ab Apostolis traditum est, adeoque a Deo revelatum fuit. Atqui Christum in Eucharistia eſse vere, realiter, ac substantialiter præsentem, semper in Ecclesia Dei est creditum. Ergo. Merito itaque Tridentina Synodus sacrilegam Sacramentariorum opinionem, Verbo Dei scripto ac tradito adeo adversantem, proscripsit Seſs. XIII. Can. I. *Siquis negaverit, in Sanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento contineri vere, realiter, & ſubſtantialiter corpus & ſanguinem una cum anima & Divinitate Domini noſtri Jeſu Chriſti, ac proinde totum Chriſtum; ſed dixerit tantummodo eſſe in eo, ut in ſigno, vel figura, aut virtute; anathema ſit.*

Argumenta contraria refutantur.

Fruſtra nobis a Sacramentariis objicitur auctoritas Scripturarum.

180. Objicitur I. Auctoritas Scripturarum. Eucharistia sæpe in Scripturis vocatur panis, ut v. g. Act. Cap. II. *Erant autem perſeverantes in doctrina Apoſtolorum, & communicatione fractionis panis.* Atqui panis non potest eſse corpus Christi, nisi significative. II. Apostolus de Patribus veteris Testamenti scribit I. ad Cor. Cap. X. *Omnes eamdem eſcam ſpiritalem manducaverunt, & omnes eumdem potum ſpiritalem biberunt.* Ergo Judæi eamdem escam manducarunt quam nos manducamus. Atqui illi manducarunt corpus Christi tantum in figura. Ergo. III. Christus post consecrationem calicis dixit, Matth. Cap. XXVI. *Non bibam a modo de hoc genimine vitis, uſque in diem illum, cum illud bibam vobiſcum novum in regno Patris mei.* Ergo post consecrationem fuit vinum in calice; adeoque non fuit sanguis Christi, nisi tantum figurate. IV. Christus ipse ait Matth. Cap. XXVI. *ſemper pauperes habetis vobiſcum, me autem non ſemper habetis.* Atqui si Christus vere, realiter, ac substantiali-

tialiter præsens foret in Eucharistia, falsa foret hæc Christi propositio. V. Marci Cap. XVI. de Christo dicitur: *Assumptus est in cœlum, & sedet a dextris Dei.* Et Act. Cap. III. *Quem oportet quidem cœlum suscipere usque in tempora restitutionis omnium.* Ergo realis Christi præsentia pugnat cum dogmate Ascensus Christi in cœlum. VI. Act. Cap. VII. dicitur: *Sed non excelsus in manufactis habitat, sicut propheta dicit: Cœlum mihi sedes est; terra autem scabellum pedum meorum.* Ergo cum Christus sit Deus, non est inclusus in singulis templis, in quibus Hostia consecrata asservatur. VII. Matth. Cap. XXIV. Christus monet Apostolos: *Siquis vobis dixerit: Ecce hic est Christus, aut illic: nolite credere.* Ergo Catholicis affirmantibus, Christum esse in hoc vel in illo altari, non est credendum. VIII. Joan. Cap. XII. ait Christus: *Ubi sum ego, illic & minister meus erit.* At ministri Christi non sunt in Eucharistia. Ergo neque Christus. IX. Veritas carnis probatur aspectu & contactu, ut ipse Christus insinuat Lucæ Cap. XXIV. *Palpate & videte; quia spiritus carnem & ossa non habet, sicut me videtis habere.* Atqui in Eucharistia nihil videtur aut palpatur nisi panis. X. Ad Coloss. Cap. III. scribit Apostolus: *Quæ sursum sunt quærite, ubi Christus est in dextera Dei sedens.* Ergo Christus non est quærendus in Eucharistia, sed in cœlis.

181. Resp. ad I. Eucharistiam in Scripturis sæpe vocari panem his de causis. I. Quia panis nomine in Scripturis venit quicunque cibus. II. Quia Eucharistia est spiritualis animarum nostrarum refectio. Sicut enim Christus doctrina sua pascens ac sustentans animas nostras, de se ipso dicit Joan. Cap. VI. *Ego sum panis vitæ:* ita de Christo Eucharistico animas nostras corpore & sanguine suo reficiente dici potest, quod sit panis vitæ. III. Quia Eucharistia ex pane facta est: solet autem Scriptura etiam post factam mutationem rei alicujus, nomen quod prius habebat, retinere. Sic Exodi Cap. VII. Virga Aaronis, licet jam versa in serpentem, vocatur virga: &

Marci Cap. XIV. Simon vocatur leprosus, quia talis antea fuerat. IV. Quia Eucharistia retinet accidentia, seu species panis & vini. Sicut igitur Angeli in specie virorum apparentes vocantur in Scripturis viri, ut Danielis Cap. IX. *Ecce vir Gabriel*; sic corpus Christi vocatur panis, & sanguis vinum. Ad II. C. A. N. C. Apostolus non dicit, Judæos manducaſse nobiscum eamdem escam, sed ipsos inter se eamdem manducaſse; vult enim ostendere, tametsi omnes tam boni quam mali perceperint eadem Dei beneficia, non tamen omnes placuiſse Deo. Ad III. Resp. I^mo^ cum S. Fulgentio Quæst. V. ad Ferrandum Diaconum, multisque aliis Scripturarum Interpretibus, hæc a Christo dicta fuiſse ante Eucharistiæ institutionem, quando Judaico ritu Paschalem calicem sumpsit, ut patet ex Cap. XXII. S. Lucæ, qui solus rem narrat eo ordine, quo contigit: Christus enim in cœlo neque vere neque metaphorice sanguinem suum bibiturus erat; vinum autem tantum metaphorice, juxta illud Lucæ Cap. XXII. *Ego diſpono vobis, ſicut diſpoſuit mihi Pater meus regnum, ut edatis & bibatis ſuper menſam meam in regno meo.* Resp. II. O. A. N. C. Si Christus post consecrationem hæc verba protulit, calix Eucharisticus dicitur *genimen vitis*, vel quia ex vino est in sanguinem Christi converso, vel quia sanguis Christi sub speciebus vini continetur. Ad IV. Resp. Christum loco cit. loqui de præsentia sua corporali & visibili, & secundum eum statum, in quo aliquid utilitatis corporalis ab hominibus percipere potest. Ad V. C. A N. C. Nam I^mo^ quando Christus verbis Evangelicis præsens sistitur in Eucharistia, non opus est ut humana Christi natura cœlos deserat, & motu locali in terras descendat: utrobique enim eodem tempore existit vero quidem modo, sed omnem naturæ ordinem superante. II. Humanitas Christi in cœlo tantum existit modo sensibili, extenso & naturali; in Eucharistia vero modo insensibili, inextenso, & Sacramentali præsens est. Ad VI. Resp. verba illa intelligenda eſse

de

de Divinitate, quæ licet sit ubique, & peculiari modo in templis; vere tamen dicitur in templis manufactis non habitare, quia habitare in loco significat indigentiam loci, & conclusionem in loco. Refellit nimirum loco cit. S. Stephanus Judæos, qui Deum templo suo Jerosolymitano delectari, eique quasi affixum esse putabant. Ad VII. N. C. Manifestum est loco cit. Apostolos & Fideles præmuniri a Christo adversus fraudes Pseudoprophetarum & Pseudochristorum, qui novissimis temporibus excitabuntur, & falsis prodigiis oculis hominum illudent. Ad VIII. Christus non ait ministros suos in omni loco futuros, ubi ipse est; sed tantum in aliquo loco, nimirum in cœlis, ut ibi regnent cum Christo. Ad IX. N. M. Valet quidem hæc illatio: Hoc palpatur & videtur: ergo est aliquod corpus; hacque usus est argumentatione Christus Dominus Lucæ Cap. XXIV., ut evinceret, se non esse inane spectrum, umbram, & phantasma: at vero Sacramentariorum illatio spuria est & illegitima: In Eucharistia nihil palpatur & videtur nisi panis: ergo in Eucharistia non est corpus Domini, sed solus panis. Fieri enim potest, ut verum aliquod corpus sit præsens, nec tamen videatur aut palpetur; vel quia alio corpore involutum est, vel quia Deus impedit ne videatur, vel denique quia non est in loco præsens modo sensibili & extenso, ut contingit in Eucharistia. Ad X. N. C. Apostolus nos hortatur, ut a rebus terrenis & curis hujus vitæ animum elevemus ad Deum & res æternas; quod exacte faciunt qui in Eucharistia Christum quærunt, existentem in cœlo atque in Sacramento, modo interim de ipso Christo, non de negotiis hujus vitæ cogitent.

Ac Patrum generatim.

182. Objic. II. Auctoritas Patrum generatim. Patres Eucharistiam frequenter vocant imaginem, signum, figuram corporis & sanguinis Domini. Ergo Eucharistia non continet vere ac realiter corpus & sanguinem Domini, cum nihil possit esse figura sui ipsius. II. Sæpe dicunt, nos nutriri corpore & san-

guine Domini. Atqui de vero corpore ac sanguine Domini id dici nequit, recte autem de pane ac vino, figuris corporis & sanguinis Dominici. III. Negant quandoque a peccatoribus & infidelibus manducari corpus Christi. IV. Ajunt in Eucharistia repræsentari nobis corpus & sanguinem Domini. Resp. ad I. C. A. N. C. Patres Eucharistiam vocant imaginem, signum, figuram, non vacuam, sed quæ continet rem ipsam significatam. Nimirum signa aliqua instituta sunt ad hoc ut suppleant rei significatæ præsentiam, ut v. g. Agnus Pascalis, manna, serpens æneus: & hæc res significatas excludunt. Alia sunt signa instituta, ut rem de se invisibilem reddant visibilem, & apparere faciant: Atque hæc res significatas non excludunt, sed potius illas includunt & connotant. Sic columba, quæ super Christum a Joanne baptizatum visibiliter descendit, supplebat Spiritus Sancti de se invisibilis apparentiam; neque tamen excludebat ejus præsentiam, quia signum erat Spiritus Sancti tunc præsentis, ac in ipsum Christum illapsi. Idem dic de linguis igneis die Pentecostes, de forma humana sub qua Angeli apparuerunt, de verbis quibus mentis nostræ conceptus de se invisibiles explicamus &c. Atque de horum signorum numero est Eucharistia, quæ continent rei figuratæ substantiam. II^do^. Patres Eucharistiam vocant signum, figuram, typum, symbolum corporis & sanguinis Christi ut immolati in Cruce. Nam corpus & sanguis Christi in Eucharistia, utpote posita sub alienis speciebus panis & vini seorsim existentibus, exhibent se ipsa, ut in Cruce immolata fuerunt & separata: eadem enim res uno modo considerata, potest esse signum ac figura sui ipsius alio modo consideratæ. Vide dicta paulo ante Num. 159. Ad II. Resp. Patres loqui vel de nutritione spirituali, vel etiam de corporali; non transeunte illa quidem quæ ex vulgaribus cibis fit, sed permanente, qua scilicet justorum corpora ex conjunctione reali cum Christi corpore in Eucharistia manducato, incorruptionis

&

& gloriosæ immortalitatis semina recipiunt. Quod si de nutritione corporali transitoria sermo sit, certum est eam a Patribus Eucharistiæ non tribui, nisi ratione specierum quæ retinent vim nutriendi, qualem habebat ante consecrationem panis & vini substantia; Deo, quæ panis ac vini substantiæ propria est, conservante vim nutriendi in speciebus Eucharisticis, ut totus in hoc mysterio lateat, & fidem nostram exerceat. Quod si quæras, qua ratione id fiat? an corruptis speciebus in stomacho Deus novam panis ac vini substantiam producat, an priorem reproducat, aut quo modo illius defectum suppleat? fatemur nos ignorare. Ad III. D. A. Patres negant a peccatoribus & infidelibus manducari corpus Christi digne, utiliter, atque ad salutem, C. A. Negant simpliciter ab illis manducari substantialiter in Sacramento, N. A. Contrarium, ut alios silentio prætercam, patet ex Augustino, qui Tract. XXVII. in Joan. scribit: *Carnem Christi & sanguinem Christi non edamus tantum in Sacramento, quod & faciunt multi mali; sed usque ad spiritus participationem manducemus & bibamus.* Et Lib. V. de Bapt. contra Donatistas, Cap. VIII. *Indigne quisque sumens Dominicum Sacramentum, non efficit, ut quia ipse malus est, malum sit, aut quia non ad salutem accipit, nihil acceperit. Corpus enim Domini, & sanguis Domini nihilominus erat etiam illis, quibus Apostolus dicebat: Qui manducat & bibit indigne, judicium sibi manducat & bibit.* Ad IV. N. C. *Repræsentare* apud Auctores tum profanos tum Ecclesiasticos usurpatur quandoque pro nuda & simplici rei alicujus imagine & figura; sæpius autem significat rem præsentem sistere, atque exhibere. Sic apud Jurisconsultos repræsentare pecuniam idem est ac præsentem numerare: repræsentare se ad pœnam idem est ac se præsentem sistere ad pœnam: atque hoc sensu dicunt Patres, Tertullianus, Hieronymus &c. in Eucharistia repræsentari nobis corpus & sanguinem Domini.

383. Et

Ad quos rite intelligendos, cautiones quædam necessariæ sunt.

183. Et quoniam hic de Patrum auctoritate circa realem Christi præsentiam in Eucharistia generatim agimus, quædam generatim observanda esse monemus. Imo. Quandocunque Patres videntur aliquid ipso modo dicendi detrahere de veritate & proprietate præsentiæ, aut etiam sumptionis corporis & sanguinis Christi in Sacramento, id totum non ad ipsam præsentiam aut sumptionem referri debet, sed ad modum præsentiæ vel sumptionis: nempe ut intelligamus, non esse hic, & non manducari corpus & sanguinem Christi naturali & ordinario modo, quem alioquin verbum *est*, *manducatur*, aut *bibitur* significat; sed alio plane modo, extraordinario ac prodigioso, qui sane si ad usitatum significandi modum istorum verborum, *esse*, *manducare*, *bibere*, spectetur, non nisi metaphorice & improprie per ista verba significatur. II. Patres cum verba Sacramentalia transferunt ad spiritualem doctrinæ divinæ manducationem per fidem, faciunt hoc illi non secundum sensum verborum Christi litteralem, sed mysticum, qui secundum Patrum sententiam minime pugnat cum litterali de reali manducatione, sed eo potius tamquam fundamento nititur. III. Patres quando dicunt, in ipso etiam usu Sacramenti manducari oportere spiritualiter corpus Christi per fidem, minime idcirco volunt, non debere ibi etiam ipsum corpus Christi manducari realiter ore corporis in Sacramento; sed docent tantum realem manducationem tunc demum esse proficuam, quando cum ea spiritualis quoque manducatio conjungitur. IV. Quando Patres ajunt, corpus Christi esse cibum spiritualem, non corporalem, significare volunt, non esse cibum quo nutriatur corpus nostrum more consueto, sed quo spiritualiter anima reficitur. Nihilominus hic ipse cibus spiritualis, ex Patrum sententia, ore etiam corporali sumitur in Sacramento, ut ita sumptus reficiat animam spiritualiter.

Item S. Augustini.

184. Objic. III. Auctoritas S. Augustini singillatim. S. Doctor Serm. ad recens baptizatos, quem inte-

integrum refert S. Fulgentius Epist. XII. ad Ferrandum Diaconum, Cap. ult. proponit sibi hanc quæstionem: *Quomodo est panis corpus ejus, & calix, vel quod habet calix, quomodo est sanguis ejus?* Cui respondet: *Ista, Fratres, ideo dicuntur Sacramenta, quia in eis aliud videtur, aliud intelligitur. Quod videtur, speciem habet corporalem; quod intelligitur, fructum habet spiritualem.* Moxque explicans, quid per corpus Christi intelligendum sit, recurrit ad corpus Christi mysticum, quod in unione membrorum cum capite, id est, Fidelium cum Christo est positum. Ergo Augustinus non credidit, panem & vinum per consecrationem fieri proprie ac realiter corpus & sanguinem Christi; alias ad propositam quæstionem distincte respondisset, mutationem illam panis & vini in corpus & sanguinem Domini insigni & luculento miraculo contingere. II. Epist. XCVIII. alias XXIII. ad Bonifacium scribit: *Sicut ergo secundum quemdam modum Sacramentum corporis Christi corpus Christi est, Sacramentum sanguinis Christi sanguis Christi est, ita Sacramentum fidei* (Baptismus) *fides est.* Ergo Eucharistia non continet vere ac substantialiter ipsum Christum, sed tantum secundum quemdam modum, id est, figurate. III. Epist. CCV. alias CXLVI. ad Consentium S. Doctor aut negat, aut saltem dubitat, an corpus Domini in cœlis habeat sanguinem. Ergo multo magis dubitavit, an Eucharistia verum Christi sanguinem contineat. Resp. N. C. Cum Sermonem illum habuerit ad recens baptizatos, a quibus exigebatur tantum fides in Christum præsentem in Eucharistia, sed plenior explicatio modi quo panis fit corpus Christi, in aliud tempus reservabatur, S. Doctor ad propositam quæstionem distincte respondere noluit: utque documentum aliquod morale ipsis traderet, a corpore naturali Christi ad mysticum transivit, tum quia recens baptizatotos abstrusiorum mysteriorum nondum esse capaces existimabat: tum quia veteres solebant in publicis ad populum concinionibus involutis ac subobscuris verbis de Eucha-

charistia loqui, ne si forte adeſset Paganus aliquis, mysteria nostra male sanus irrideret. Ad II. Resp. N. C. Sacramentum corporis Domini vocatur ab Augustino *quodam modo* corpus Domini, quia ut observant Paschasius Ratbertus in Epist. ad Frudegardum, & Lantfrancus in Lib. contra Berengarium de Corpore & Sanguine Domini, Cap. XIV. licet in Sacramento Eucharistiæ sit verum corpus Domini quoad substantiam, non tamen est ibi eo modo quo fuit in Cruce, nisi per similitudinem: loquitur enim ibi Augustinus de paſsione & morte Christi quæ in Sacrificio Altaris repræsentatur; idemque est ac si dixiſset: celebratio Mysteriorum altaris est quodam modo paſsio Christi: non enim est vere, sed repræsentative tantum paſsio Christi. Algerus Lib. I. de Corpore & sanguine Domini, Cap. VI. paulo aliter hunc locum exponit. Vult nimirum Augustinum loqui de speciebus panis & vini, quæ sunt proprie Sacramentum corporis & sanguinis Domini, id est, signa sensibilia, repræsentantia corpus & sanguinem Domini; ac de iis rectiſsime dictum eſse, quod Sacramentum corporis Christi sit *quodam modo* corpus Christi; neque enim species illæ sunt corpus Christi, nisi quodam modo, id est, repræsentative. Sicut igitur Augustinus Baptismum, quod est Sacramentum sive signum fidei, vocat fidem, tribuendo ipsi signo nomen rei significatæ: sic Sacramentum corporis Christi, id est, symbolum & signum exterius, seu species Eucharisticas vocat corpus Christi, licet illæ non sint revera corpus Christi, sed illud tantum significent, ac sub se contineant. Ad III. Resp. Neque Consentius dubitavit, an Christi corpus gloriosum oſsa & sanguinem habeat secundum substantiam: neque id in dubio reliquit Augustinus; sed utrum in cœlo habeat sanguinem iisdem qualitatibus seu humoribus permixtum, quibus in hac vita mortali permiscebatur. Augustinus libertatem hac de re ut libuerit sentiendi permittit, modo inde quis non inferat, sanguinem Christi in cœlo regnantis eſse corruptio-

ruptioni obnoxium, quod unum ea in Epistola probandum susceperat.

185. Objic. IV. Auctoritas aliorum Patrum. S. Irenæus Lib. IV. adv. Hær. Cap. XVIII. alias XXXIV. ait, Eucharistiam constare ex duabus rebus, terrena & cœlesti. Sed res illa terrena est panis vinique substantia: cœlestis res est efficacia huic substantiæ impressa. Ergo. II. Tertullianus Lib. contra Judæos ait; *De hoc ligno Deus per Jeremiam insinuat, quod essetis dicturi: Venite, mittamus lignum in panem ejus. Utique in corpus ejus lignum missum est; sic enim Christus revelavit, panem corpus suum appellans, cujus retro corpus in panem Prophetes nunciavit.* Similia habet Lib. III. contra Marcionem, Cap. XIX. Ergo Tertullianus vult, panem Eucharisticum esse figuram absentis corporis Christi. III. Origenes Comment. in Cap. XV. S. Matthæi ait, Eucharistiam ex se non sanctificare comedentem, sed totam sanctificationem ex pura & munda conscientia oriri. *Quemadmodum*, inquit, *inquinato & incredulo nihil purum est, non quidem per se, sed propter illius contaminationem & incredulitatem: ita id quod sanctificatum est per verbum Dei & orationem, non ex se utentem sanctificat.* Atqui falsa esset hæc propositio, si Eucharistia vere & substantialiter contineret Christi corpus. Idem Hom. VII. in Leviticum ait: *Si litteram sequaris, hoc ipsum quod dictum est, Nisi manducaveritis carnem meam, & biberitis sanguinem meum, occidit hæc littera.* Ergo non credidit Origenes Christi carnem & sanguinem vere ac realiter manducari & bibi. IV. Facundus Hermianensis Lib. IX. pro Defensione trium Capitulorum, Cap. ult. ait: *Sacramentum adoptionis suscipere dignatus est Christus, & quando circumcisus est, & quando baptizatus est; & potest Sacramentum adoptionis adoptio nuncupari, sicut Sacramentum corporis & sanguinis ejus, quod est in pane & poculo consecrato, corpus ejus & sanguinem dicimus: non quod proprie corpus ejus sit panis, & poculum sanguis, sed quod in se mysterium cor-*

Aliorumque Patrum.

poris ejus sanguinisque contineat. Hinc & ipse Dominus benedictum panem & calicem, quem Discipulis tradidit, corpus & sanguinem suum vocavit. Quocirca sicut Christi fideles Sacramentum corporis & sanguinis ejus accipientes, corpus & sanguinem Christi recte dicuntur accipere; sic & ipse Christus Sacramentum adoptionis filiorum cum suscepisset, potuit recte dici adoptionem filiorum suscepisse. Ex quo tria juxta Facundum consequuntur. Imo. Eucharistiam appellari corpus & sanguinem, sicuti Baptismus adoptio nuncupatur. Atqui Baptismus proprie non est adoptio, sed tantum signum illius. Ergo. II. Expressis verbis affirmari, Sacramentum corporis & sanguinis in pane & vino consecratis, non esse proprie corpus & sanguinem Christi, sed tantum mysterium, id est, signum ac symbolum. III. Non alia ratione Fideles accipientes Eucharistiam, corpus & sanguinem Christi accipere, quam Christus accipiendo Sacramentum adoptionis adoptionem ipsam receperit. Atqui adoptionem ipsam proprie non recepit, cum etiam qua homo sit Filius Dei naturalis. Ergo neque Fideles proprie corpus Christi recipiunt in Eucharistia.

186. Verum hæc Patrum Auctoritas causæ Catholicæ non officit. Itaque ad I. Resp. C. M. N. min. Res terrena est id juxta S. Irenæum, quod sensu percipitur, nempe accidentium congeries; res vero cœlestis, est corpus Christi, quod per modum spiritus inextense continetur sub speciebus. Card. Perronius per rem terrenam putat ab Irenæo intelligi substantiam corporis Christi, quod terrestre vocat S. Doctor, ut Directe explodat Valentinianorum figmentum de corpore Christi cœlesti; per rem vero cœlestem intelligi Spiritum Christi. Ad II. N. C. Tertulliani mens loco cit. est, vinum quod in veteri Lege figura fuit sanguinis Christi, in nova Lege fieri re vera seu consecrari sanguinem Christi: & panem qui in veteri Lege figura fuit corporis Christi, in nova Lege fieri revera corpus illius, ut umbra in corpus, & figura in veritatem transeat. Panem

nem igitur figuram corporis Christi appellat Tertullianus, non Evangelicam, sed legalem; non Christi instituentis Eucharistiam, sed Jeremiæ illam præfigurantis: figuram appellat respiciens ad tempus veteris, non autem novi Testamenti. Ad III. Resp. Eucharistia, juxta Origenem, comedentem ex se non sanctificat, si ille peccati mortalis reus sit; ait enim loco cit. *Quod sanctificatum est per verbum Dei & orationem, non ex se utentem sanctificat. Nam si ita esset, sanctificaret & illum qui indigne comedit, nec ullus propter cibum hunc infirmus factus fuisset, aut imbecillis, aut mortuus. - - Ac proinde in pane Domini utilitas est ei qui utitur, cum intemerata mente & pura conscientia panis fit particeps.* In altero textu, nempe Hom. VII. in Leviticum loquitur Origenes de sensu Capharnaitarum, qui dicebant Joan. Cap. VI. *Quomodo dabit nobis hic carnem suam ad manducandum?* Atque ideo occidit hæc littera sensu carnali Capharnaitarum intellecta; at non occidit in sensu Orthodoxo realis præsentiæ. Ad IV. Resp. Schismaticus cum fuerit Facundus, & in schismate scripserit, atque obierit, nulla est ipsius in Ecclesia auctoritas. Verum hoc etiam transmisso, ajo Facundum hac in re Orthodoxe scripsisse ac sensisse. Ad I^mam itaque consecutionem Resp. N. min. Baptismus non tantum significative dicitur adoptio, quia illius signum est, sed etiam vere ac proprie: tum quia est signum efficax & practicum, per quod adoptamur in filios Dei; tum quia continet & producit ipsam gratiam, per quam formaliter adoptamur. Pariter Eucharistia dicitur corpus & sanguis Christi, quia vere & realiter continet corpus & sanguinem Christi. Ad II. Resp. Facundus expressis verbis id unum affirmat, quod Sacramentum, id est, signum exterius & visibile, sive species Sacramentales non sint proprie corpus Christi, sicut signum exterius adoptionis non est proprie ac formaliter adoptio. At vero sicut Sacramentum adoptionis, quod est Baptismus, continet vere ac realiter gratiam adoptionis quam producit: ita quoque Sacramentum,

seu signum corporis & sanguinis Domini vere ac realiter continet illud corpus & sanguinem. Ad III. N. M. Christus, utpote etiam qua homo Filius Dei naturalis, signum seu Sacramentum adoptionis accepit, non vero ipsam adoptionem: Fideles autem in Sacramento Eucharistiæ non tantum signum corporis Christi, sed & corpus sub signo accipiunt. Præterea dist. etiam min. Christus in rei veritate non accepit adoptionem, C. m. Juxta mentem Facundi, qui perperam putabat, Christum suscepiſse adoptionem Filiorum Dei, adeoque immerito damnatum fuiſse Theodorum Mopsuestenum, qui hanc in Christo adoptionem admiserat, N. m. Sicut igitur in sententia Facundi Christus veram accepit adoptionem, ita etiam juxta illum Fideles accedentes ad sacram mensam, vere accipiunt corpus Christi.

Silentium Gentilium.

187. Objic. V. Silentium Gentilium. Apud veteres Gentiles, Fidei nostræ obtrectatores, altum est de Eucharistia silentium: neque Julianus Apostata, Christianorum Mysteriorum olim particeps, in suis adversus Christianam Religionem libris in hoc Mysterium invehitur. Atqui si hæc fuiſset antiquæ Ecclesiæ fides, Christum in Eucharistia substantialiter præsentem eſse, id certe Gentiles objeciſsent Christianis tamquam absonum, sensibus ac rationi contrarium; facile enim poterant vel furtive per se ipsos, vel per desertores & apostatas religionis nostræ ea detegere quæ agebantur & credebantur. Ergo. Resp. N. M. Famosa & pervulgata fuit Gentilium in Christianos criminis inſanticidii accusatio, cujus mentionem faciunt, quotquot pro Christiana Religione Apologias ex Veteribus adornarunt, Justinus, Athenagoras, Tertullianus, Minutius Felix, Arnobius. Audiverant scilicet Gentiles ex rumore quodam, Christianos solitos in Mysteriis suis corpus Dei sui comedere; ritum autem illius manducationis, & modum quo Christus est in Eucharistia, cum abstrusior eſset & maxime reconditus, plane ignorabant. Quare ut in ejusmodi rebus fieri solet, quæ

fama

fama tantum & confuso rumore cognoscuntur, veritatem pluribus fabulis permiscebant, ajebantque, vivum infantis corpus a Christianis in conventibus suis mactari ac discerpi, membraque occisi infantis farre contecta cruento modo absumi mentiebantur. Auxerunt in animis Gentilium suspicionem criminis, de quo postulabantur Christiani, nefanda Gnosticorum aliorumque hæreticorum flagitia, qui se Christianos esse gloriabantur. Solebant enim illi, ut Christianorum Eucharistiam horrenda imitatione repræsentarent, infantem in mortario pistillo tundere & manducare, ut referunt S. Epiphanius Hær. XXVI. Eusebius Lib. IV. Hist. Eccles. Cap. VII. Origenes Lib. II. contra Celsum &c. Cæterum quod subobscure tantum de Venerabili Eucharistiæ Sacramento aliqua veteres Gentiles intellexerint, pleniorque notitia ad eos numquam dimanarit, id ex eo profectum est, quod Christiani inviolatam strictissimi silentii legem in occultandis Fidei nostræ Mysteriis observarint. Julianum Apostatam quod attinet, respondeo, incertissimum esse an nihil contra hoc Mysterium objecerit, cum ex tribus libris Juliani contra Christianam Religionem scriptis, unum dumtaxat, nec illum quidem integrum, habeamus apud S. Cyrillum Alexandrinum, qui illum confutavit. Præterea etiamsi Julianus aliquid contra Eucharistiam objecisset, verisimile est S. Cyrillum, qui ex ipso primo libro Juliani multa se resecuisse testatur, illud silentio præteriturum fuisse, ne Ethnicis tantum Mysterium prodere cogeretur.

Novitas doctrinæ.

188. Objic. IV. Novitas doctrinæ. Opinio realis præsentiæ Christi in Eucharistia Sæculo VII. primum exorta est auctore Anastasio Sinaita, aut omnino Sæculo IX. primum inventa est a Paschasio Ratberto Corbejensi Abbate, ac tradita in Lib. de Corpore & Sanguine Domini, quem circa A. 831. conscripsit: favente autem Sæculi X. ignorantia ac barbarie tam late fuit novitia hæc doctrina diffusa, ut paulo post Berengarius primævæ fidei restaurator ab

omni-

omnibus pro hæretico fuerit habitus. Resp. hanc Joannis Claudii Ministelli Carentonici exceptionem putidissimum esse commentum, omni prorsus probabilitate ac verisimilitudine destitutum. Ut enim de veterum Patrum doctrina nihil dicam, qua realis Christi præsentia in Eucharistia invictis argumentis evincitur, neutiquam verisimile est, quod Paschasius Ratbertus neque Principum potentia munitus, neque exercitu succinctus, nullis ad comprobandam assertionis suæ veritatem editis miraculis, doctrinam novam ac creditu difficillimam, tam brevi tempore persuaserit non Occidentis tantum Episcopis, quorum multi numerabantur sanctitate ac doctrina conspicui; verum etiam Græcis in omne Latinum nomen odio succensis, quin gravissimæ inter Fideles & Episcopos, antiquæ doctrinæ retinendæ in rebus etiam levioris momenti alias perquam studiosos, exortæ sint lites ac simultates: idque tam felici successu peregerit, ut Berengarius, ducentis circiter post obitum Paschasii annis, dum novam hanc opinionem convellere nititur, publico totius orbis judicio pro hæretico habitus fuerit: Græcique Latinis infensissimi, etiam post schisma Photii, illudque tunc recentissimum Michaelis Cerularii, Romanæ Ecclesiæ hac in re palam suffragarentur. Jllud certum est, Lantfrancum in suo Dialogo adversus Berengarium fidenter provocasse ad omnes, quæ Christiano nomine veniunt, nationes. *Interroga*, inquit, *Græcos*, *Armenos*, *denique omnes Christianos cujuscunque sint nationis*, & *respondebunt se esse ejusdem fidei nobiscum*. Profecto prodigium hoc, superat captum atque imaginationem nostram: neque huic simile Apostolicis etiam temporibus contigit, aut aliquando continget.

Et lites ob Paschasii Ratberti librum exortæ.

189. Dices. Liber ille Paschasii de Corpore & Sanguine Domini multas excitavit lites & contentiones; siquidem ipse Paschasius in Epist. ad Frudegardum fatetur, nonnullos sibi adversatos fuisse. Constat etiam Rabanum Maurum Moguntinum Archiepiscopum, Florum Diaconum Lugdunensem, Herige-

rum

rum Abbatem Lobiensem, & Ratramnum Corbejensem monachum adversus Ratbertum strinxiſse calamum. Ergo Ratberti doctrina erat nova. Resp. Qui Ratberto adversabantur circa realem Christi præsentiam, fuere pauci, iique non celebris ac noti nominis, sed rudes ac imperiti, quorum reprehensionem ex rumore quodam dumtaxat noverat Ratbertus, ut ipse scribit in Epistola ad Frudegardum: *Quamvis quidam de ignorantia errent, nemo tamen est adhuc in aperto, qui hoc ita esse contradicat, quod totus orbis credit & confitetur.* Equidem Rabanus, Herigerus, Amalarius, Ratramnus, aliique in Galliis Ratbertum editis libris impugnarunt; sed lis illa non ipsam Sacramenti substantiam, id est, realem Christi in Eucharistia præsentiam spectabat, sed circa modum loquendi, aliasque Eucharistiæ circumstantias versabatur. Tria potiſsimum capita iis temporibus in controversiam veniebant, tamquam consectaria doctrinæ, quam Ratbertus in Libro de Corpore & Sanguine Domini tradiderat. I^mo^. An idem omnino eſset corpus Christi in Eucharistia, quod e Maria Virgine natum est ac Cruci affixum. II. An sit in Eucharistia velum aliquod, signum, figura, qua Christi corpus obtegitur; an vero ipsæ species externæ sint ipsummet corpus Christi, quod idcirco dicitur videri, tangi, dentibus atteri. III. An corpus Christi Eucharisticum, cæterorum alimentorum more, corruptioni ac seceſsui sit obnoxium. Primum illud propugnabat Ratbertus auctoritate Patrum suffultus: negabant id Rabanus, Ratramnus, aliique; quia corpus Christi in Eucharistia mole caret & extensione, quam tamen habuit corpus e Virgine natum. Verum disputatio hæc in quæstione de nomine hærebat; corpus enim Christi in Eucharistia idem omnino est cum corpore quod natum est ex Virgine, si spectetur quoad substantiam & naturam, non idem quoad modum existendi, molem, quantitatem, circumscriptionem. Secundum & tertium nullibi Ratbertus aſseruit, nisi male ac perperam intellectus ab adversariis. Cæterum

rum Rabanum, Ratramnum, Amalarium, aliosque illius ævi Scriptores Catholice omnino sensiſse de reali Christi præsentia in Eucharistia, late ostendunt Tournely Tomo VIII. Prælectionum Theologicarum de Eucharistia, Quæst. II. Artic. VII. Et Natalis Alexander Diſsertat. XI. XII. XIII. in Hist. Eccles. Sæc. IX. & X.

Inutilitas realis præsentiæ.

190. Objic. VII. Inutilitas realis præsentiæ. Realis ac substantialis Christi præsentia in Eucharistia est omnino inutilis. Imo. Quia per nuda signa a Deo instituta potest ea utilitas haberi, quæ ex reali præsentia Christi in homines derivatur. II. Qui sola fide in symbolo panis Christum recipiunt, ii fructum Dominicæ paſsionis consequuntur: at vero qui Christum reipsa in Eucharistia sine fide percipiunt, nullum inde fructum referunt. Ergo nihil prodest realis Christi præsentia in Eucharistia. Resp. N. A. Ad I. Resp. Imo. Ergo ipsa quoque Incarnatio Verbi divini inutilis fuit, quia Deus sine tot ambagibus poterat nos salvare, culpam nobis condonando? Resp. II. Christus potuiſset equidem per nuda symbola eosdem in nobis operari effectus, quos per realem sui præsentiam operatur; non tamen ita voluit qui solus novit arcanas Mysteriorum rationes. Plures easque eximias causas, ob quas voluit Christus se ipsum substantialiter præsentem nobis dare in Eucharistiæ Sacramento, aſsignant Patres, ut nimirum ardentiſsimi sui erga nos amoris certiſsimum daret pignus, utque arctius cum illo conjungeremur, a quo sejuncti eramus per peccatum: ut sigillum beatæ immortalitatis corporibus nostris imprimeret &c. Ad II. N. C. Etiamsi fides in Christum prosit absque sumptione reali corporis Christi, hæc vero sumptio non prosit sine fide; fatendum tamen est, fidem simul ac sumptionem realem corporis Christi plus emolumenti spiritualis afferre suscipienti: sicuti plus profuit Deiparæ fide & corpore Christum concipere, quam si sola mente Christum concepiſset per fidem.

191.

Judicium sensuum.

191. Objic. VIII. Judicium sensuum. Nec sensibus, nec mente comprehendi potest, quod sub speciebus panis & vini lateat verum ac substantiale Christi corpus. Ergo realis Christi præsentia in Eucharistia est omnino incredibilis. P. A. Omnium hominum sensus, quamtumvis optime dispositi, dignoscunt in Eucharistia eſse panem & vinum. Ergo si Christus foret substantialiter præsens in hoc Sacramento, fallerentur sensus, qui si fallantur, nihil umquam habebimus certi. Resp. I^{mo}. Trinitas personarum in Deo, Incarnatio Verbi divini, aliaque sacratiſsima fidei nostræ Mysteria nec sensibus nec mente comprehendi poſsunt. Ergo tamquam incredibilia a Calvino & Zwinglio rejicienda erunt? Resp. II. C. A. N. C. Regula credendorum non sunt testimonium sensuum, tenue humanæ rationis lumen, aut humana philosophia, sed sola revelatio divina, quæ nobis per Ecclesiam innotescit. *De Deo loquimur*, inquit S. Joan. Chrysost. Hom. VI. in Joannem, *& quonam pacto interrogas? Nonne times, nonne exhorrescis? Quod si abs te quispiam quærat, quomodo immortalem vitam & corpora & nostræ habituræ sint animæ, nonne ridicula eſset quæstio? Quia non humani est ingenii ejusmodi inquirere, sed credere tantum oportet: Neque curiosius est investigandum quod sufficientem habet sui demonstrationem, immensam promittentis potestatem. - - Audisti: Erat lux vera. Quid stulte & temere æternam hanc vitam humana ratione conjectari atque invenire contendis? Haud fieri potest. Quid scrutaris imperscrutabilia? Quid circa incomprehensibilio inanem subis laborem? Quid investigas, quæ nulla ratione poſsunt deprehendi? Inquiras quanta potes diligentia solarium radiorum originem; non sane poteris: neque indignaris, neque tuam iniquo fers animo imbecillitatem. Quid igitur in majoribus tam audax es & temerarius? Tonitrui filius Joannes tuba personans spirituali, nihil aliud quam quod audierat a Spiritu investigavit: Tu autem illius gratiæ expers & penitus vacuus, manifestis humanæ naturæ rationibus illius*

cognitionis terminum superare contendis? Ad *prob.* D. A. Sensus dignoscunt esse in Eucharistia ipsam substantiam panis & vini, N. A. Accidentia, seu apparentiam exteriorem panis & vini, C. A. N. C. Sensus non falluntur, dum ab objectis sibi proportionatis, speciebus nimirum sensibilibus trahuntur, & dignoscunt secundum apparentiam exteriorem in Eucharistia esse panem & vinum; falleretur autem intellectus, cujus est judicare de rei natura, si judicaret in Eucharistia esse substantiam panis & vini: nam in Fidei Mysteriis non a sensibus, sed a verbo Dei debet dirigi intellectus, ut judicet de rei veritate. Audiendus est hac de re S. Augustinus Lib. de vera Religione, Cap. XXXIII. *Sed ne ipsi quidem oculi fallunt, non enim renuntiare possunt animo nisi affectionem suam. Quod si non solum ipsi, sed etiam omnes corporis sensus ita renuntiant ut afficiuntur, quid ab eis amplius exigere debeamus ignoro. - - Siquis remum frangi in aqua opinatur, & cum inde aufertur integrari, non malum habet internuntium, sed malus est judex. Nam ille pro sua natura non potuit aliter in aqua sentiri, nec aliter debuit: si enim aliud est aër, aliud aqua, justum est ut aliter in aëre, aliter in aqua sentiatur. Quare oculus recte, ad hoc enim factus est ut tantum videat; sed animus perverse,* (judicat) *cui ad contemplandam summam pulchritudinem mens, non oculus factus est. Ille autem vult mentem convertere ad corpora, oculos ad Deum. Quærit enim intelligere carnalia, & videre spiritalia, quod fieri non potest.*

Sequelæ. 192. Objic. IX. Sequela. Si Christus vere ac realiter præsens foret in Eucharistia, multa sequerentur absona, & Deo indigna. Ac I^{mo} quidem: Christum in pyxide concludi, manducari, conculcari, corrumpi, a muribus corrodi, igne absumi, aliquando in terram cadere &c. II. Corpus Christi, ut Stercoranistæ hæretici Sæc. IX. contendebant, esse obnoxium secessui. Prob. Matth. XV. Christus ait: *Omne quod in os intrat, in ventrem vadit, & in secessum*

sum

sum emittitur. Atqui verum Christi corpus juxta nos in os intrat, & in ventrem vadit. Ergo juxta nos verum Christi corpus in secessum emittitur. Atque hujus opinionis videtur esse Romana Ecclesia, quæ in Missa a Sacerdotibus proferri jubet hæc verba: *Corpus tuum, Domine, quod sumpsi, & calix quem potavi, adhæreat visceribus meis &c.* III. Panem a Sacerdote converti in Deum: convertitur enim in Christum, qui est Deus. IV. Quotidie a Sacerdote fieri Deum hominem, & quotidie corpus Christi generari per consecrationem. Resp. I^mo^. Similia ab Arianis & Socinianis objiciuntur contra Mysterium Incarnationis, atque a Gentilibus & Judæis contra mortem Christi Filii Dei vivi, ut v. g. indignum est utero mulieris Deum includi: per varios ætatis gradus Deum transire, atque in Cruce tamquam sceleratum interfici &c. Sed eorum cachinnos spreverunt Patres, nominatim Tertullianus Lib. II. contra Marcionem Cap. XXVII. *Assumpsit Deus quædam indigna, nobis autem necessaria, & ideo jam Deo digna; quia nihil tam Deo dignum est, quam salus hominis.* Resp. II. N. A. Ad *probat.* Resp. Hæc omnia dici possunt de speciebus Sacramentalibus tantum, non de ipso corpore & sanguine Christi, quæ in Eucharistia continentur. Quemadmodum enim Deus non inficitur, nec inquinatur sordibus, quibus per immensitatem suam est præsens; ita corpus gloriosum Christi, in Eucharistia modo spirituali & impassibili existens, immediate in se non comeditur, non frangitur, non corrumpitur, non curroditur, non consumitur, nec proprie loquendo in terram cadit, quamvis illud, cadente hostia, locum mutet. Ratio est, quia illud tantum proprie cadere dicitur, quod corpus est, & corporaliter existit ac movetur: atque ideo, cadente homine, corpus cadere dicitur, non item anima. Ad II. N. A. Ad *prob.* Resp. locum illum intelligendum esse de omni cibo communi, ordinario ac materiali, cujus conditio est, ut quidquid crassum superest & impurum, post factam corporis nutritionem in secessum

sum mittatur: At vero Eucharistia non est cibus communis, neque ad corporis, sed ad animæ nutrimentum destinatus. Igitur obnoxia non est cæterorum ciborum legi & conditioni; & siquid corruptionis accidat, totum id in species recidit, non in ipsum Christum: qui sicut post consecrationem ibi incipit eſse sub speciebus, ita desinit sub illis eſse post earum corruptionem, sine ulla ex parte sui læsione aut detrimento. Ecclesiam Catholicam quod attinet, non viscera carnalia ab ea intelligi quibus adhæreat corpus Christi, facile desumitur ex effectu hujus adhæsionis, quem Sacerdos impetrare conatur verbis illico subsequentibus: *Et præſta, ut in me non remaneat ſcelerum macula, quem pura & ſancta refecerunt Sacramenta.* Cæterum Stercoranistarum hæresis, ex qua Protestantes contra realem Christi præsentiam in Eucharistia, & transubstantiationem, fœtidum ac grave olens argumentum depromunt, Eruditis nostri ævi omnino commentitia videtur, nullosque olim habuiſse propugnatores. Ad III. Resp. Panis in confectione Eucharistiæ convertitur in Deum, conversione non immediata & formali, sed mediata tantum, & ratione concomitantiæ naturalis. Panis nimirum immediate & vi verborum Christi formaliter convertitur in corpus Christi: quia vero corpus Christi est hypostatice unitum Verbo divino, consequenter, per concomitantiam, ac mediate tantum panis convertitur in Verbum, adeoque in Deum. Ad IV. N. A. Christus Deus-homo non fit a Sacerdote simpliciter & absolute; quod enim jam existit, non potest absolute fieri: sed tantum fit secundum quid, quatenus nempe corpus Christi secundum statum suum naturalem existens in cœlo, a Sacerdote per verba consecrationis ponitur in novo loco in quo antea non erat, nempe sub speciebus panis & vini; & quidem moraliter tantum, quatenus Sacerdos per verba consecrationis determinat Deum ad reproducendum corpus Christi sub speciebus panis & vini. Quod ultimo loco additum est, corpus Christi per consecrationem

quoti-

quotidie generari, id omnino falsum est; non enim corpus Christi fit ex pane tamquam materia præexistente & componente, sed ut termino a quo.

Impossibilitas præsentiæ realis in pluribus locis.

193. Objic. X. Imposibilitas præsentiæ realis in pluribus locis. Non potest unum idemque corpus eodem tempore esse in pluribus locis. Atqui corpus Christi foret in pluribus locis, in cœlo nempe & in terris, ubicunque datur hostia aliqua consecrata. Resp. I. Si ejusmodi argumenta quid probarent, evincerent etiam contra Calvinianos, unam eamdemque naturam indivisam non dari in tribus distinctis personis: æque enim Trinitatis mysterium superat captum nostrum, ac realis præsentia Christi in pluribus locis. Quare valeat apud omnes monitum Hugonis Lingonensis in Tractatu brevi de Corpore & Sanguine Domini adversus Berengarium: *Ne ultra, quæso, argumenteris de omnipotentia divina; sicut enim non capis, quomodo Verbum caro factum sit, sic non potes capere quomodo panis iste mutetur in carnem, & vinum in sanguinem transformetur, nisi te docuerit omnipotentiæ fides. -- Desiste impugnare cœleste Mysterium. Perpende, quod Dei voluntas & verbum omni naturæ supereminet: & qui in facturis potens est, potentem transformare credas, sicut scriptum est: Mutabis ea, & mutabuntur. Dei enim velle pro facto est.* R. II. D. M. Unum idemque corpus eodem tempore naturaliter esse nequit in pluribus locis, C. M. Divinitus, sive per vires divinæ omnipotentiæ, N. M. Et sic dist. minore, N. C. Patres tamquam summum atque obstupescendum miraculum deprædicarunt realem unius & ejusdem corporis Christi præsentiam in cœlo simul & in terra, atque in omnibus hostiis consecratis. S. Chrysostomus Lib. III. de Sacerdotio exclamat: *O miraculum! O Dei benignitatem! Qui cum Patre sursum sedet, illa hora omnium manibus tenetur, seseque volentibus dat complectendum & accipiendum.* S. Greg. Nyssen. in Orat. Catechet. Cap. XXXVII. scribit: *Cum autem solum illud corpus quod Deum suscepit, hanc gratiam acce-*

cepe-

ceperit, - - oportet considerare quomodo fieri potuerit, ut unum illud corpus, quod tam multis fidelium millibus in universo orbe terrarum semper distribuitur, totum per partem sit in unoquoque, & ipsum in se totum maneat.

194. Dices I. Si replicatio, quamtumvis per solas divinæ omnipotentiæ vires foret posſibilis, infirma fuiſset argumentatio Angeli, quando Matth. Cap. ult. piis mulieribus dixit: *Non est hic, ſurrexit enim.* Atqui id dici nequit. P. M. Quamvis Christus vere resurrexit; si tamen replicatio, sive exisentia unius ejusdemque corporis in pluribus locis simul per miraculum foret posſibilis, corpus Christi potuiſset eodem tempore simul eſse in sepulcro, atque etiam alibi. Ergo infirmum fuiſset argumentum Angeli. Resp. N. M. Ad *probat.* C. A. N. C. Angelus ex eo quod Christus a mortuis surrexerit, ad mentem piarum mulierum optime intulit, eum non eſse amplius in sepulcro: quærebant enim illæ corpus Domini mortuum in sepulcro, ut illud ungerent; ideoque verba Angeli hunc sensum habent: Christus non jacet mortuus in sepulcro, ut vos creditis; vere enim surrexit a mortuis.

195. Dices II. S. Augustinus Lib. de cura pro mortuis, Cap. XVI. proponit quæstionem, utrum cum in diversis locis simul ad memoriam alicujus Martyris fiunt miracula, ipse Martyr eodem tempore tam diversis locis sit præsens; vel an ista fiant ministerio Angelorum: tandem quæstionem hanc eſse respondet supra ingenii vires. Ergo juxta S. Augustinum replicatio contradictionem involvit. Resp. C. A. N. C. Augustinus si hoc impoſsibile eſse existimaſset, profecto non dubitaſset, sed aperte dixiſset, rem hanc non vires naturæ dumtaxat, verum etiam Dei potentiam superare. Præterea postquam eodem libro Cap. XVII. retulit, Joannem Monachum dum adhuc viveret, cuidam longe posito in somnis apparuiſse, dubitat, an spiritus ejus revera fuerit in utroque loco, an id alio modo factum fuerit, aitque: *Si enim ipſe interfuit ſomnianti, mirabili gratia utique id potuit,*

potuit, non natura; & Dei munere, non propria facultate.

196. Dices III. Patres adversus Macedonianos probant Spiritum Sanctum esse Deum, quia est ubique: & contra Eutychianos humanam Christi naturam non esse confusam ac permixtam cum divina, quia hæc ubique est, non autem illa. Ergo corpus Christi non potest esse simul in pluribus locis; alias corpus Christi esset Deus, & humana natura absorpta fuisset a divina. Resp. C. A. N. C. Spiritus Sanctus, & natura divina Christi necessario sunt ubique, vi immensitatis suæ, ita ut a nullo loco abesse possint: At vero corpus Christi non vi immensitatis suæ, aut essentialiter & necessario, sed per divinam virtutem, in statu supernaturali ac plane divino, simul est in omnibus consecratis hostiis. Incipit autem corpus Christi esse in altari, ubi antea non erat, non per generationem aut motum localem, sed per conversionem panis in ipsum: sicuti ferme anima rationalis, quando corpus augetur, incipit esse in materia illa addita, ubi antea non erat, quin localiter moveatur, aut alia anima producatur.

197. Dices IV. Saltem realis Christi præsentia ostium pandit ubiquitati Lutheranorum, qui docent vi unionis hypostaticæ competere humanitati Christi immensitatem seu ubiquepræsentiam. Ergo est rejicienda. Resp. N. A. Monstrosa hæc ubiquitas Sacramentum Eucharistiæ ejusque necessitatem destruit. Si enim corpus & sanguis Christi ubique sunt, nihil peculiare habet Eucharistia, nullaque urgeret necessitas illius sumendæ; cum corpus & sanguinem Domini ubique nobiscum circumferamus, facileque excitari possit a quolibet fides justificans, qua quis credit remissa esse sibi peccata; sicque omnem effectum consequatur, quem Eucharistia juxta Lutheranos conferre potest. Ut quid ergo necesse est in Ecclesiam se conferre pro recipiendo a ministris corpore & sanguine Domini? Vide dicta Tomo I. Artic. III. Controv. XI. Rejecto itaque ubiquitatis figmen-

figmento, dicimus cum Tridentinis Patribus Sess. XIII. Cap. I. *Nec enim hæc inter se pugnant, ut ipse Salvator noster semper ad dexteram Patris in cælis assideat, juxta modum existendi naturalem; & ut multis nihilominus aliis in locis Sacramentaliter præsens sua substantia nobis adsit, ea existendi ratione, quam etsi verbis exprimere vix possumus, possibilem tamen esse Deo, cogitatione per fidem illustrata, assequi possumus, & constantissime credere debemus.*

198. Dices V. Si idem corpus esset simul in pluribus locis, multæ sequerentur contradictiones. Ergo replicatio non est possibilis. P. A. Idem corpus Christi v. g. Ratisbonæ & Romæ existens esset separatum a se ipso, ac distaret a se ipso. II. Eidem corpori Christi in diversis locis simul existenti convenirent prædicata opposita; de illo enim dici posset, quod v. g. manducetur in uno loco, in alio non manducetur: quod in uno loco existat, in alio in quo species corrumpuntur, desinat existere. Ergo. Resp. N. A. Ad *probat.* N. A. Duo esse separata quoad locum, dicit unum esse in hoc loco, & alterum non esse in hoc loco; quod de Christo in Eucharistia numquam verificatur, cum idem corpus Christi existat v. g. Romæ & Ratisbonæ simul, nimirum per replicationem. Similiter corpus Christi Romæ simul & Ratisbonæ existens, nec a se nec a loco alterutro distare dici potest: non a se; quia distare dicuntur ea, quorum unum est in loco in quo ipso alterum non est: non a loco; quia idem corpus Christi in utroque loco est: loca igitur v. g. Roma & Ratisbona, in quibus est corpus Christi, a se distant, non vero ipsum corpus Christi. Ad II. Resp. Eidem corpori Christi in diversis locis simul existenti conveniunt prædicata opposita, siquidem oppositio unice fundetur in loco seu spatio: aut si prædicata opposita afficiant corpus per ordinem ad locum, ut v. g. in hoc loco manducari, in alio loco idem corpus non manducari &c. Ratio est, quia hujusmodi prædicata, cum referantur ad diversa loca

seu ubicationes, non involvunt contradictionem, eo quod non detur affirmatio & absoluta negatio ejusdem de eodem, sed solum cum limitatione, in hoc vel in illo loco. At vero prædicata, quæ non ratione loci, sed ratione subjecti sunt opposita, convenire nequeunt eidem corpori Christi in pluribus locis simul existenti; manifestum est enim, quod ea quæ ratione subjecti se mutuo excludunt, in eodem subjecto nequeant simul existere.

199. Dices IV. Idem corpus non potest simul esse in diversis temporibus. Ergo neque in diversis locis. Resp. C. A. N. C. Tempus essentialiter & ex natura sua est aliquid successivum: unde pugnat cum ejus natura, rem eamdem esse simul in diversis temporibus; præsens enim, præteritum, & futurum simul esse nequeunt. At vero duo loca, cum sint aliquid permanens, possunt esse simul.

Natura & essentia corporis.

200. Objic. XI. Natura & essentia corporis. In Eucharistia corpus Christi careret debita extensione, essetque compenetratum. Atqui id fieri nequit, cum essentia corporis reponenda sit in actuali extensione & impenetrabilitate. Ergo. Resp. C. M. N. m. cum ratione addita, & inverto argumentum. Scriptura & Traditio aperte docent, in Eucharistia contineri verum Christi corpus: sensus nostri & ratio ostendunt, illud carere debita extensione, esseque compenetratum. Ergo actualis extensio & impenetrabilitas non sunt de essentia corporis. In Eucharistia itaque, sola datur extensio corporis in ordine ad se, cum ibidem maneant omnes partes corporis inter se coordinatæ; caput enim est immediate unitum collo, & non pectori: collum humeris, & non pedibus &c. Atque hæc est corporis quantitativi proprietas ab eo inseparabilis, quamquam ibi non sit extensio partium in ordine ad locum, quæ est proprietas secundaria corporis quantitativi, ab eo divina virtute separabilis. Neque obstat, quod S. Augustinus Epist. CLXXXVII. alias LVII. ad Dardanum, Cap. VI. generatim pronuntiet: *Tolle corporibus spatia locorum,*

nusquam erunt corpora. Loquitur enim ibi S. Doctor de ordine naturali, juxta quem certum est, corpus extensive & per partes esse in loco: interrogatus quippe fuerat de modo, quo corpus Christi est in cœlo. Pari modo actualis impenetratio & resistentia, qua fit ut unum corpus alteri non cedat, sed resistat, non est de essentia corporis; alias quomodo illæso Virginitatis claustro in lucem ex utero Matris prodire, quomodo immoto sepulcri lapide e sepulcro egredi, quomodo januis clausis in cœnaculum penetrare potuisset Christus? Sufficit itaque ad essencorporis proxima aptitudo ad impenetrationem & resistentiam actualem, sive exigentia, ne ab alia substantia sibi simili naturaliter penetrari queat. Verum quidquid hac de re sentire Philosophis lubeat, Augustini sententia Epist. CXXXVII. alias III. ad Volusianum, apud æquos rerum arbitros obtinebit: *Demus Deum aliquid posse, quod nos fateamur investigare non posse. In talibus rebus tota ratio facti est potentia facientis.* Humanam rationem & inanem Philosophiam adversus fidei Mysteria obstrepentem, silere jubet S. Hilarius Lib. I. de Trinitate: *Respuit captiosas & inutiles Philosophiæ quæstiones fides constans, neque humanarum ineptiarum fallaciis succumbens, spolium se præbet veritas falsitati: non secundum sensum communis intelligentiæ Deum retinens, neque de Christo secundum mundi elementa decernens.*

Quæsita. 201. Quæres I. An corpus Christi in Eucharistia vere ac realiter moveatur ab eo, qui movet species? II. An corpus Christi in Eucharistia pati possit ab agentibus corporeis? III. An Christus, prout est in Eucharistia, possit exercere actus vitales a sensibus dependentes? IV. An possit exercere actus immanentes, qui ab organis non dependent, ut sunt intellectiones & volitiones? Resp. ad I. affirmative. Prob. Corpus Christi circumfertur in supplicationibus, defertur ad ægrotos, ex ore trajicitur in stomachum. Ergo vere ac realiter movetur cum speciebus, a quibus donec integræ sunt & non corru-

ptæ,

ptæ, est inseparabile; vere enim moveri nihil aliud dicit, quam transire de loco in locum per fluxum continuum. Ad II. Resp. negative, quia corpus Christi in Eucharistia non est actualiter impenetrabile: agentia autem corporea non pofsunt extra se agere, nisi tangendo & impellendo corpora actu impenetrabilia. Ad III. Resp. negative. Prob. Actus sensuum externorum requirunt in externis organis justam extensionem cum actuali impenetrabilitate. Ergo cum externa organa Christi, prout est in Eucharistia, neque justam extensionem, neque actualem impenetrabilitatem habeant, Christus in Eucharistia existens, non potest exercere actus sensuum externorum, v. g. videre, audire, olfacere gustare, tangere. Ad IV. Resp. affirmative, quia ad actus illos exercendos nulla dispositio prærequiritur ex parte organorum corporis; adeoque nihil est, quod ab illis actibus exercendis prohibere pofsit animam Christi, etiam prout est in Eucharistia.

CONTROVERSIA VIII.

AN SUBSTANTIA PANIS ET VINI REMANEAT IN EUCHARISTIA POST CONSECRATIONEM?

CONTRA LUTHERANOS.

Transubstantiatio quid fit, & quid ad eam requiratur?

202. Transubstantiationis nomine intelligunt Catholici conversionem totius substantiæ panis & vini in corpus & sanguinem Domini, remanentibus dumtaxat panis & vini speciebus seu accidentibus; ita ut post verba consecrationis non amplius adsit substantia panis & vini, sed illa conversa sit in substantiam corporis & sanguinis Christi: sicut ferme substantia aquæ in nuptiis Canæ Galilææ conversa est in substantiam vini. Porro ad veram & perfectam conversionem sive transubstantiationem quatuor requiruntur conditiones. I. Ut tota aliqua substantia desinat efse: nam una substantia converti non potest in aliam, nisi desinat efse quod antea fuit. II. Ut

alia substantia succedat substantiæ pereunti: alioquin si una desinente altera non inciperet eſse, foret corruptio magis vel annihilatio, quam conversio. Unde conversio duos terminos positivos habet, quorum unus desinit, & alter incipit. III. Ut sit aliqua connexio & dependentia inter desitionem substantiæ pereuntis, & alterius supervenientis succeſsionem; ita ut prior substantia desinat ut altera succedat, & vi inceptionis unius fiat desitio alterius. Alioquin non erit una actio quæ dici poſsit conversio, sed erunt duæ actiones totales, quæ per accidens se concomitarentur, & quarum una annihilatio & altera creatio diceretur. IV. Ut remaneat aliquid commune utrique termino, nempe substantiæ pereunti & succedenti; nam si nihil tale remaneret, desitio termini a quo non exigeret succeſsionem termini ad quem.

Conditiones veræ conversionis requiruntur in Eucharistia.

203. Quatuor hæ conditiones juxta Catholicos reperiuntur in Eucharistia. Nam Imo. Substantia panis & vini desinit eſse. II. Corpus Christi de novo incipit eſse sub speciebus panis & ejus sanguis vi verborum, sub speciebus vini. III. Datur vera connexio & dependentia inter positionem corporis Christi & desitionem substantiæ panis: ideo enim substantia panis desinit eſse, quia corpus Christi reproducitur sub speciebus panis, & reproductio corporis Christi sub speciebus panis exigit desitionem substantiæ panis, eoquod duæ substantiæ non poſsint naturaliter subeeſse iisdem accidentibus. IV. Corpus Christi ponitur sub iisdem accidentibus, vel sub iisdem apparentiis, quibus suberat substantia panis.

Conversio Eucharistica in quibus differat ab aliis conversionibus?

204. Hæc tamen transubstantiatio seu conversio Eucharistica merito vocatur a Tridentina Synodo Seſs. XIII. Can. II. *mirabilis ac singularis.* Quamvis enim naturaliter quoque substantia una in alteram non raro convertatur, uti fit in manducatione, ubi alimentum transit in substantiam aliti; atque etiam conversionis instantaneæ virtute divina factæ exempla in Scripturis extent, ut v. g. Gen. Cap. XIX. conversio uxoris Loth in statuam salis, Exodi Cap.

VII.

VII. virgæ in serpentem, Joan. Cap. II. aquæ in vinum; differt tamen aliquo modo ab illis conversionibus transubstantiatio. Et a conversionibus quidem naturalibus in eo, tum quod ibidem maneat materia, & solum nova forma succedat v. g. carnis vel sanguinis in locum formæ cibi, incipiatque informari ab anima hominis; ut adeo non sit conversio totius substantiæ, sed solius formæ: tum quod illa conversio alimenti non fiat in momento, sed succeſsive. A conversionibus supernaturalibus conversio Eucharistica præcipue differt in eo, quod mutationes illæ factæ fuerint etiam quoad accidentia & externam apparentiam, ita ut v. g. aqua in vinum conversa jam non aqua apparuerit, sed vinum: in conversione autem Eucharistica exterior apparentia panis & vini conservetur.

Catholicorum quorumdam errores circa hanc materiam.

205. E Catholicis pauci quidam circa præsentem materiam in errorem prolapsi sunt, absque pertinacia tamen. Card. Bellarminus Lib. III. de Eucharistia, Cap. XI. censet, Rupertum Abbatem Tuitiensem impanationem defendiſse. Est autem *impanatio* unio hypostatica Verbi cum pane, vi cujus sicut Verbum divinum caro factum est uniendo sibi unione personali humanitatem, non eam mutando aut destruendo: ita quoque Christus per consecrationem; veluti per novam quamdam incarnationem, panem aſsumpsit, & cum eo intime conjunctus est in Eucharistia. Rupertum ab hoc errore edita Apologia vindicare conatus est Gabriel Gerberonius, cui adhæret Natalis Alexander in Hist. Eccles. Sæc. XI. & XII. Cap. VI. Artic. VIII. Joannes Parisiensis O. P. circa A. 1306. hanc panis cum Verbo hypostaticam unionem impugnans, ne admittere cogeretur Deum eſse panem, aliam viam inivit. Docuit is nimirum, Christum aſsumpsiſse panem mediante corpore, quatenus corpus accipitur pro parte hominis, non pro toto homine; ita ut panis proxime uniatur corpori Christi, & illo mediante ipsi Verbo. Verum cæteris Theologis Joanni merito contradicentibus,

tibus, Wilhelmus Parisiensis Episcopus, de consilio quorumdam Episcoporum & Doctorum, silentium illi imposuit. Durandus Episcopus Aniciensis in IV. Setent. Dist. XI. Quæst. III. aſserit, virtute consecrationis formam quidem panis converti in corpus Christi, materiam vero ipsam panis manere, utpote quæ subito, & virtute divina cum anima & Divinitate Christi unita, fit materia corporis ipsius: eo ipso modo, quo in nutritione corporali non mutatur panis materia, sed quæ ante nutritionem erat materia panis, post nutritionem sit materia carnis hominis; non quidem recedente priori materia, sed nova dumtaxat forma accedente. Quare Durandus Consubstantiatoribus accensendus est, sive illis qui utramque panis & corporis Christi substantiam in Eucharistia conjungunt, quin aliqua tamen unio realis inter ipsas substantias habeatur. Extinctam hanc neglectamque Durandi opinionem non sine gravi temeritate e tenebris in lucem protrahere ac propugnare ausus est Petrus Cally Cadomensis Pastor edito libello, cui titulum hunc præfixit: *Durandus illuſtratus.* Sed liber hic A. 1701. gravi censura a Bajocensi Episcopo merito fuit perstrictus.

Scholaſticorum diſcordia, non circa dogma, ſed circa naturam actionis verſatur.

206. Cæteri Doctores Catholici de dogmate inter se consentiunt, circa naturam actionis autem, per quam panis & vinum in corpus & sanguinem Christi convertuntur: an scilicet actio illa sit annihilatio panis & nova reproductio corporis Christi; an tantum simplex adductio rei jam productæ, & novus dumtaxat conservationis illius modus: tum circa terminum illius actionis; an nempe sit ipsum corpus Christi, an aliquis ab eo distinctus &c. maxime inter se discrepant. Verum de Philosophicis his quæstionibus, facere non poſsum, quin magni illius Theologi Gabrielis Vasquii judicium ratum habeam, qui in III. Partem, Disput. CLXXXI. Cap. I. sapienter pronunciat, *recentiores ſcholaſticos, quo magis ab iis ſe extricare conati ſunt, eo majoribus difficultatibus ſe implicaſſe. Ex quo etiam*, inquit, *effectum eſt, ut Myſterium fi-*

dei nostræ non modo difficilius ad explicandum, sed etiam adversariorum nostrorum argutiis & cavillationibus magis expositum fuerit. Quare satius esse existimo ad ejusmodi quæstiones cum Magistro Sententiarum Lib. IV. Dist. XI. respondere: *Siquis modum quo id fieri possit, quærit, breviter respondeo: Mysterium fidei credi salubriter potest, investigari salubriter non potest.* Neque Protestantes jure Catholicis objicere possunt incertitudinem opinionum; certum enim apud illos est dogma, quamvis incertus sit modus illud explicandi. Sic apud Catholicos æque ac Protestantes certum est, quod secunda persona SSmæ Trititatis sit vere Filius, procedatque a Patre per generationem; quamvis Theologi varie opinentur, ubi assignanda est ratio, cur hæc processio sit generatio.

Errores Berengarii ejusque discipulorum.

207. Inter novatores primi fuere aliqui Berengarii discipuli, teste Guitmundo Aversano Lib. I. de veritate Corporis & Sanguinis Domini, qui confessi tandem realem Christi in Eucharistia præsentiam dicerent Christum in Sacramento præsentem sisti per impanationem, hoc est, per unionem hypostaticam Verbi divini cum pane & vino: Adeo ut quemadmodum propter unionem Verbi divini cum humanitate recte dicimus de Christo homine, *Hic homo est Deus;* ita liceat dicere de pane Eucharistico, *Hic panis est Christus.* Quin ipsum hæresis Sacramentariæ conditorem Berengarium ejusdem sententiæ fuisse, aut eam aliquando simulasse, patet ex Guitmundo, qui Lib. III. de Veritate Corporis & Sanguinis Domini ita scribit: *Diligenter sane, si daretur locus, cum ipso Berengario discutere vellem, cum aliquos doceat, nihil in cibo Altaris Domini corporis & sanguinis Christi nisi umbram tantum & figuram haberi; aliquibus vero tamquam subtilius quærentibus satisfaciens, ipsum ibi corpus Christi, sed impanatum latere: quid sibi in priori sententia displiceat, ut satisfacturus quærentibus transmigret in alteram; aut quid in posteriore abhorreat, ut redeat ad priorem? migrando enim ad secundam, priorem*

rem reprobat; redeundo ad priorem, alteram damnat: ex quo fit, ut utramque defendendo, neutram teneat.

Lutheri inconstantia. 208. Lutherus Lib. de Captivit. Babylon. Cap. de Eucharistia, liberam reliquit transubstantiationis fidem. *Permitto itaque*, inquit, *qui volet utramque opinionem tenere; hoc solum nunc ago, ut scrupulos conscientiarum de medio tollam; nequis se reum hæreseos metuat, si in altari verum panem verumque vinum eſse crediderit, sed liberum eſse sibi sciat, citra periculum salutis alterutrum imaginari, opinari & credere, cum sit hic nulla necessitas fidei.* At Papa hic Saxonicus, & quintus Evangelista A. 1522. consueta sibi mobilitate hanc opinandi libertatem omnino sustulit; ait enim in Lib. adversus Henricum Angliæ Regem: *Nunc transubstantiare volo sententiam meam, & dico: antea posui nihil referre sive sic sive sic sentias de transubstantiatione; nunc autem decerno impium & blasphemum eſſe, siquis dixerit panem transubstantiari.* In Libro quem ad Waldenses scribit, mutationis hujus causam declarat, se nimirum in Papistarum odium nunc statuere, quod in Eucharistia maneat panis & vini substantia. At homo omnium temporum, & qualibet aura mobilior, transubstantiatam sententiam suam iterum transubstantiavit; in Libro enim A. 1528. contra Zwinglium & Oecolompadium scripto, cui titulus: *Confessio magna de Cœna Domini*, ait, se hactenus docuiſse, & adhuc docere, parum referre, nec magni momenti quæstionem eſse, sive quis panem in Eucharistia manere, sive non manere, & transubstantiari credat. Hospinianus apud Illustriſsimum Bossuetum Hist. Variationum, Lib. II. Epistolam Melanchtonis producit A. 1543. scriptam, in qua ille Magistrum suum Lutherum increpat, quod transubstantiationem permiserit quibusdam Italiæ Ecclesiis, quam tamen in scriptis suis impugnaret.

Lutheri, ejusque sectatorum doctrina. 209. Lutherus ejusque sectatores aſserunt in Eucharistia manere substantiam panis & vini cum substantia corporis & sanguinis Domini: Quis autem ille modus sit, quo Christus substantialiter præsens sit in Eucharistia, a se ipsis diſsident. Lutherus,

Bren-

Brentius, Illyricus, Schmidelinus, & plerique alii Lutherani dicunt, Christum fieri in Eucharistia præsentem per ubiquitatem. Sed apage monstrum hoc, Scripturæ, Patribus, ac sanæ rationi contrarium, quod Eucharistiam evertit, illiusque sumendæ necessitatem. Alii cum Osiandro contendunt id fieri per unionem hypostaticam Verbi cum pane, dicuntque panem in Eucharistia fieri corpus Domini, & vinum ejus sanguinem, quemadmodum Verbum factum est caro; ita quidem ut in Eucharistia vera fiat impanatio & invinatio, sicut facta fuit Incarnatio in utero Deiparæ: atque ita salvari veritatem harum propositionum, *Hic panis est corpus meum*, *Hic panis est Deus.* Verum ad retundendam hanc insaniam ex Berengarii discipulis haustam, sufficiat responsio Guitmundi Aversani Lib. III. de Verit. Corp. & sanguinis Domini: *Quæ insania est, ut Christum sua auctoritate, ut ita dixerim, impanent & invinent? Et quidem Christum incarnari humanæ naturæ redemptionis ratio exposcebat, quod futurum Prophetæ prædixerunt, factum Christus ostendit, Apostoli prædicaverunt, mundus credidit: at impanari vel invinari Christum nulla expetit ratio, nec Prophetæ prædixerunt, nec Christus ostendit, nec Apostoli prædicaverunt, nec mundus exceptis his paucissimis hæreticis, credidit. Unde igitur eos malus iste error pervasit? Totus mundus concinit: Sicut anima rationalis & caro unus est homo; ita Deus & homo unus est Christus. Nemo dicere audet: ita Deus & homo, panis & vinum unus est Christus.*

Lutherus videtur admittere unionem hypostaticam inter panem & corpus Christi.

210. Equidem Lutherus id deserte & conceptis verbis non asserit; iis tamen loquendi formulis utitur, quæ unionem hypostaticam, non ipsius quidem Verbi, in quo ab Osiandro differt, sed corporis Dominici cum substantia panis & vini indicant. Libro enim de Captivit. Babylon. Cap. de Eucharistia ait: *Credo firmiter, non modo corpus Christi esse in Cœna, sed panem esse corpus Christi* docetque ibidem eo modo de Eucharistia sentiendum esse, quo de Christo:

nempe sicut in Christo manent duæ naturæ, divina & humana, nec altera in alteram convertitur; ita in Eucharistia manere duas substantias, nimirum substantiam panis & vini & substantiam corporis ac sanguinis Christi, nec priorem in posteriorem transmutari. Rursum sicut de Christo recte dicitur, *Hic homo est Deus*, *Hic Deus est homo;* ita de Eucharistia recte dici, *Hic panis est corpus Christi*, *Hoc corpus Christi est panis*. Ubi satis insinuat, sicut prior propositio vera est propter unionem hypostaticam personæ Verbi cum humanitate: ita posteriorem veram eſse propter unionem corporis Christi cum pane, & sanguinis cum vino. Verum opinio hæc absona prorsus & perfatua est. Unio enim hypostatica seu personalis non fit in natura, sed in persona seu hypostasi: At in Christo nulla alia datur persona, nisi Verbi; cum natura humana Christi non subsistat subsistentia propria, sed subsistentia Verbi divini. Ergo si Christus præsens in Eucharistia sistitur per unionem hypostaticam cum pane & vino: unio illa non erit cum natura humana Christi, sed cum persona Verbi: sicque in Berengarianorum atque Osiandri errorem prolabitur Lutherus; aut si unio illa detur inter panem & corpus Christi, hypostatica non erit.

Lutherani admittunt ſimplicem & intimam conjunctionem Christi cum ſubſtantia panis & vini.

211. Lutherani etiamnum Magistri sui vocibus utuntur, corpus Christi eſse in pane sub pane, & cum pane: dimiſsa tamen hypostatica unione, aliud unionis genus agnoscunt, nimirum simplicem conjunctionem eamque intimam Christi cum substantia panis & vini, quam unionem Sacramentalem vocant: atque ideo veram eſse contendunt hanc propositionem, *Hic panis est proprie corpus Christi*. At vehementer in hoc falluntur; quando enim duæ substantiæ sunt in suo genere disparatæ, neque illarum coexistentia, neque unio, neque intima penetratio efficere potest, ut una de alia substantialiter prædicetur. Quid enim intimius est animæ nostræ aliisque rebus creatis quam Deus? neque tamen animam nostram Deum eſse dicimus: Anima nostra unitur corpori, pictura inhæret parieti,

parieti, Christus uterum matris, clausas januas ac sepulcralem lapidem penetravit: Quis autem adeo desipuit, ut animæ appellationem corpori tribueret, picturam parietem vocaret, aut Christum uterum Matris diceret vel sepulcralem lapidem? Ergo neque coexistentia, neque unio aut conjunctio qualiscunque substantiæ panis cum corpore Christi efficere potest, ut de pane affirmari queat, quod sit corpus Christi.

In Eucharistia totam substantiam panis & vini converti in corpus & sanguinem Christi, invicte ostenditur ex verbis institutionis.

212. Conclusio. In Sacramento Eucharistiæ non remanet substantia panis & vini, sed tota convertitur per verba Consecrationis in corpus & sanguinem Christi: adeoque Christus per veram transubstantiationem fit præsens in Eucharistia. Prob. Conclusio hæc dogmatica I^mo^ ex verbis institutionis, *Hoc est corpus meum.* Verba illa Christi cum sint efficaciter operatoria, significant & efficiunt mutationem aliquam in pane, vi cujus posit de eo dici quod sit corpus Christi; alias hæc Christi propositio fuisset falsa. Atqui hæc mutatio non fuit metaphorica, ut ipsi Lutherani nobiscum sentiunt contra Sacramentarios. Ergo fuit mutatio realis: sed realis mutatio panis & vini non habetur per unionem hypostaticam, neque per unionem Sacramentalem atque intimam præsentiam, ut paulo ante ostendimus, atque ex eo patet, quia juxta Lutheranos manent subsistentia, substantia, & accidentia panis & vini. Ergo mutatio illa realis fit per veram transubstantiationem, vi cujus tota substantia panis & vini convertitur in verum corpus & sanguinem Christi. Ergo transubstantiatio Eucharistica ex verbis institutionis evincitur. Præterea Christus contestatur, totum id quod præ manibus gerebat, corpus suum esse & sanguinem; neque adverbium *Hic* usurpavit, dicendo. *Hic est corpus meum*, aut, *Sub pane, in pane, cum pane est corpus meum*; sed pronomine demonstrativo usus est, *Hoc est corpus meum.* Ergo propositio illa Christi Domini alium habere sensum nequit quam hunc: *Hoc quod absoluta propositione existit, non est amplius substantia panis & vini, sed verum meum corpus meusque sanguis.*

guis. Profecto dogmata de reali præsentia Christi in Eucharistia, & de transubstantiatione panis & vini in corpus & sanguinem Christi ita sibi cohærent, ut qui primum admittit, etiam alterum admittere teneatur ob consequentiam doctrinæ, ut contra Lutherum agnoverunt Zwinglius, Beza, & Calvinus.

Ex Patribus.

213. Prob. II. Auctoritate Patrum. Patres dicunt Imo Eucharisticum panem non esse panem communem, sed esse verum, proprium, naturale Christi corpus, quale natum est ex Deipara, Cruci affixum & pro nobis mortuum. II. Afserunt Christum de pane fecisse suum corpus. III. Profitentur post verba Christi non superesse naturam seu substantiam panis; tametsi sensus aliter judicent, quorum judicium hac in re sit contemnendum. IV. Affirmant, panem & vinum in Eucharistia virtute divina transelementari, transmutari, converti in corpus & sanguinem Domini; & prodigium hoc aliis potentiæ divinæ miraculis confirmant, quæ tum a Prophetis, tum a Christo Jesu patrata sunt, in quibus mutatio reperitur non accidentalis modo, sed etiam substantialis. Aliqua Patrum loca exhibebimus. S. Cyrillus Jerosol. Catechesi Mystagogica IV. ait: *Aquam olim* (Christus) *in Cana Galilææ transmutavit in vinum, quod sanguini est affine, & eum parum dignum existimabimus cui credamus, cum vinum in sanguinem transmutavit?* Et paulo infra ante finem: *Quamobrem ne tamquam nudis & communibus elementis pani & vino attende: sunt enim corpus & sanguis Christi secundum Domini asseverationem. Nam etiamsi illud tibi suggerat sensus, fides tamen te certum & firmum efficiat. Ne judices rem ex gustu; sed ex fide citra ullam dubitationem certus esto, te corporis & sanguinis Christi dono dignatum esse.* S. Greg. Nyss. Orat. Catechetica, Cap. XXXVII. *Panis statim per verbum transmutatur, sicut dictum est a Verbo, Hoc est corpus meum.* S. Gaudentius Brixiensis Tract. II. in Exodum. *Ipse igitur naturarum Creator & Dominus, qui producit de terra panem, de pane rursus, quia potest*

&

& promisit, efficit proprium corpus, & qui de aqua vinum fecit, & de vino sanguinem suum. - - - Ne terrenum putes, quod cœleste effectum est per eum, qui transit in illum, & fecit illud corpus & sanguinem. S. Ambros. Lib. de Initiandis, Cap. IX. *Forte dicas: Aliud video, quomodo tu mihi asseris quod Christi corpus accipiam? Et hoc nobis adhuc superest ut probemus. Quantis igitur utimur exemplis? Probemus non hoc esse quod natura formavit, sed quod benedictio consecravit: majoremque vim esse benedictionis quam naturæ; quia benedictione etiam natura ipsa mutatur. - - - Quod si tantum valuit humana benedictio, ut naturam converteret; quid dicimus de ipsa consecratione divina, ubi verba ipsa Domini Salvatoris operantur? Nam Sacramentum istud quod accipis, Christi sermone conficitur. Quod si tantum valuit sermo Eliæ, ut ignem de cœlo deponeret: non valebit Christi sermo, ut species mutet elementorum? De totius mundi operibus legisti: Quia ipse dixit, & facta sunt: ipse mandavit, & creata sunt. Sermo ergo Christi qui potuit ex nihilo facere quod non erat, non potest ea quæ sunt in id mutare quod non erant? Non enim minus est novas rebus dare, quam mutare naturas.* S. Joan. Chrysost Hom. LXXXIII. in Matth. *Qui hæc dona sanctificat & transmutat, ipse est*, nempe Christus. Et Serm. de proditione Judæ: *Non homo est, qui facit ut in mensa* (Eucharistica) *propositæ res fiant corpus & sanguis Christi; sed verbum Christi transmutat res in mensa propositas.* S. Cyrill. Alexandrinus Epist. ad Calosyrium: *Ne horreremus carnem & sanguinem apposita sacris altaribus, condescendens Deus nostris fragilitatibus, influit oblatis vim vitæ, convertens ea in veritatem propriæ carnis, ut corpus vitæ quasi quoddam semen inveniatur in nobis.* S. Joannes Damascenus Lib. IV. de Fide Orthodoxa, Cap. XIV. *Panis ipse & vinum in corpus & sanguinem Domini transmutantur. Si requiras, quonam pacto istud fiat, sat tibi sit audire, hoc fieri per Spiritum Sanctum.*

214. Prob. III. Auctoritate Conciliorum. Lateranense IV. A. 1215. Cap. *Firmiter*, ait: *Credimus*

Conciliis.

ac

ac confitemur, & corpus & sanguinem Christi sub speciebus panis & vini veraciter contineri, transsubstantiatis pane in corpus & vino in sanguinem, potestate divina. Constantiense Sess. VIII. A. 1415. proscripsit articulos Joannis Wiklefi tamquam hæreticos, quorum Imus erat: *Substantia panis materialis, & similiter substantia vini materialis remanent in Sacramento Altaris.* II. *Accidentia panis non remanent sine subjecto in eodem Sacramento.* Florentinum A. 1439. in Decreto pro Armenis ait: *Nam ipsorum verborum* (Christi) *virtute substantia panis in corpus Christi, & substantia vini in sanguinem convertuntur.* Tridentinum Sess. XIII. Can. II. *Siquis dixerit, in Sacrosancto Eucharistiæ Sacramento remanere substantiam panis & vini, una cum corpore & sanguine Domini nostri Jesu Christi; negaveritque mirabilem illam & singularem conversionem totius substantiæ panis in corpus, & totius substantiæ vini in sanguinem manentibus dumtaxat speciebus panis & vini; quam quidem conversionem Catholica Ecclesia aptissime Transsubstantiationem appellat; anathema sit.*

Atque authoritate Ecclesiæ Orientalis.

215. Prob. IV. Authoritate Ecclesiæ Orientalis, quæ ab Apostolorum ævo ad nostra usque tempora semper credidit panem & vinum mutari per transubstantiationem in verum corpus & sanguinem Christi. Hanc fuisse Græcorum fidem primis VIII. sæculis patet tum ex Patribus, quos paulo ante laudavimus, tum ex Græcorum Liturgiis. Idem eos Sæculo IX. & subsequentibus sensisse aperte colligitur tum ex eo, quod in Conciliis Lugdunensi II. & Florentino, in quibus concordia est inita cum Græcis, transubstantiatio numquam fuerit in controversiam adducta: tum ex silentio Græcorum, qui eo etiam tempore quo Photius & Cerularius incredibili erga Latinos omnes fervebant odio, & ea undique corradere studebant quibus Romanam Ecclesiam erroris arguere possent, nullo unquam verbo transubstantiationem vellicarunt. Immo ipse Photius Epist. ad Nicolaum I. scribit, ut refert Emmanuel Schelstra-

te

te in Actis Orient. Ecclesiæ, pag. 729. *Et quidem in illis* (Mifsis) *o miraculum! communis panis in corpus Christi mutatur, & commune vinum sanguis ejus fit, quem in redemptionem pro nobis de proprio latere cum aqua effudit.* Et sane quæ Græcorum fides fuerit circa transubstantiationem Sæculo IX. & subsequentibus, luculentifsime ex eorum Scriptoribus cognoscitur, qui claris verbis eam diserte propugnant, vel certe absque controversia admittunt, nempe Theodorus Abucara, Petrus Antiochenus, Nicetas Pectoratus, Michael Psellus, Samonas Gazensis, Nicolaus Methonensis, Theophilactus Bulgarorum Archiepiscopus, Euthymius Zigabenus, Michael Glycas, Michael Choniata, Germanus II. CPolitanus, Georgius Pachymeres, Matthæus Hieromonachus, Nicolaus Cabasilas, Simeon Thefsalonicensis, Marcus Ephesinus, Gennadius Scholarius CPolitanus, Gabriel Severus Philadelphiensis, Meletius Pega Alexandrinus, Agapius Athensis, Meletius Syrigus, aliique, quorum textus exhibent Eusebius Amort in Demonstratione Critica Religionis Catholicæ, Parte II. Cap. VI., & Hermannus Scholliner in Concordia Ecclesiæ Orientalis & Occidentalis circa Transubstantiationem.

Ut patet ex responsione Jeremiæ CPolitani, & Conciliis in Oriente habitis contra Cyrillum Lucarim.

216. Facere tamen non pofsum, quin de Jeremia Patriarcha CPolitano, & Conciliis contra Cyrillum Lucarin in Oriente habitis aliqua cemmemorem. Jeremias Patriarcha in Responsione ad replicam Theologorum Würtembergensium scribit: *Hic panis fit corpus Jesu Christi, & vinum aqua mixtum fit ejus sanguis per adventum Sancti Spiritus facientis hanc rerum mutationem modo intellectum nostrum & omnes cogitationes nostras transcendente. Hic panis, inquam, positus in altari, & vinum aqua mixtum mutantur supernaturaliter per invocationem & adventum Sancti Spiritus in corpus Jesu Christi & in ejus sanguinem, ita ut non sint amplius duo corpora, sed unum solum ac idem corpus.* Cyrillus Berrhocensis A. 1688. CPoli Synodum convocavit, in qua dictum est: *Anathema Cyrillo* (Lucari) *dogmatizanti & credenti, non transmutari panem propositionis,*

tionis, & insuper vinum per Sacerdotis benedictionem, & Spiritus Sancti adventum in verum corpus & sanguinem Christi. A. 1642. in CPolitano altero Concilio, cui præside Parthenio tres alii Patriarchæ, pluresque Metropplitæ ac Episcopi intererant, approbata fuit Confessio fidei Orthodoxæ a Petro Mogila Russiæ Metropolita conscripta, tanquam conformis doctrinæ Ecclesiæ Orientalis. Porro in hac Confessione Parte I. in Responsione ad interrogationem CVII. dicitur: *Sacerdos credat, quod tempore quo consecrat sancta dona, substantia panis & substantia vini mutetur in substantiam veri corporis & veri sanguinis Jesu Christi, operatione Sancti Spiritus quem invocat. - - Post hæc verba transubstantiatio fit eodem instanti, & panis mutatur in verum corpus Jesu Christi, & vinum in ejus sanguinem, apparentiis panis & vini remanentibus, ex divina œconomia.* In Concilio Jerosolymitano, quod Dositheus Patriarcha A. 1672. convocavit, dicitur, Christum in hoc Sacramento præsentem esse *vere ac realiter, quatenus panis & vini substantia, facta consecratione, transmutatur, transubstantiatur, convertitur, transit, panis quidem in ipsum corpus Domini verum, quod natum est in Bethlehem ex Maria semper Virgine &c. vinum vero in ipsum Domini sanguinem verum convertitur ac transubstantiatur, qui ex illo in Cruce pendente pro Mundi vita defluxit. Item facta panis & vini consecratione, nec panis nec vini manere amplius substantiam credimus, sed ipsum corpus & sanguinem Domini sub panis & vini speciebus, id est, sub panis accidentibus.*

Atque ex responsione Marci Doni Cretensis ad Claudium.

217. Nullus post has Synodos supererat dubitandi locus, quin Græcæ Ecclesiæ fides Protestantium erroribus adversetur: eo tamen audaciæ processit Claudius, Carentonicus Minister e secta Calvini, ut jactaret Orientem Sacramentariis consentire. Fecit hujus rei ipsemet periculum, & datis ad Marcum Donum Cretensem litteris, interrogavit quid Ecclesia Orientalis sentiat de transubstantiatione, aliisque articulis: cui Græcus ille in hunc modum rescripsit apud Schelstate

state in Actis Orient. Ecclesiæ, Tomo II. pag. 641. *Notum ſit tibi præſtantiſſime vir, quod totus Oriens, conſentientem habens & Occidentem, credidit ſemper a primis Eccleſiæ incunabilis, panem & vinum vere ac phyſice tranſubſtantiari in corpus & ſanguinem Chriſti, depoſita prima ſubſtantia. Et hanc tranſubſtantiationem eſſe inter articulos fidei neceſſarios, adeo ut nemini liceat eam ignorare, aut in dubium revocare, aut penitus rejicere. Hanc autem fidem habuit a Chriſto, & poſt ſucceſſionem ab Apoſtolis, & a Patribus primitivæ Eccleſiæ ‥‥ Talis eſt natura hujus mutationis, ut deſinat res eſſe quod erat, & incipiat eſſe quod non erat, vel quod amittat proprium eſſe, & in alterius tranſeat.* Ex quibus manifeste dignoscitur, quam inanis atque a veritate penitus aliena sit Lutheranorum gloriatio, Orientalem Ecclesiam in rejicienda transubstantiatione cum ipsis facere.

Argumenta contraria refutantur.

Lutherani fruſtra infirmitatem argumenti noſtri oſtendunt.

218. Objicitur I. Infirmitas argumenti ex verbis institutionis petiti. Verba Christi, *Hoc eſt corpus meum*, verissima sunt, quamvis panis non mutetur in corpus Christi. Ergo. P. A. variis paritatibus. Ac I^mo quidem. Sicut Christus Matth. Cap. XXVI. dixit: *Hoc eſt corpus meum*, ita dixit Joan. Cap. VI. *Ego ſum panis.* Atqui dicendo, *Ego ſum panis*, non mutavit se ipsum in panem. Ergo neque panem in corpus suum mutavit dicendo, *Hoc eſt corpus meum.* II. Hæc propositio de Christo facta, *Hic homo eſt Deus*, vera est absque mutatione hominis in Deum, vel Dei in hominem. Ergo etiam hæc propositio, *Hic panis eſt corpus meum*, vera est, quamvis panis non mutetur in corpus Christi. III. De Angelo apparente in forma humana recte dici potest, *Hic eſt Angelus:* & de columba quæ apparuit in Baptismo Christi, *Hic eſt Spiritus Sanctus.* Ergo etiam vere dici poterit, *Hoc eſt corpus meum*, etiamsi remaneat panis; eoquod de signo rem significatam continente proprie

affirmetur ipsa res significata. IV. De ferro candente recte dicitur, *Hoc est ignis*, quamvis ferrum non mutetur in ignem. Ergo a pari. V. Ad veritatem harum propositionum, *Hoc est vinum*, *Hoc est aurum*, sufficit si in dolio sit vinum, & aurum in crumena. Ergo etiam ad veritatem hujus propositionis, *Hoc est corpus meum*, non requiritur ut panis mutetur in corpus Christi, sed sufficit illud in pane contineri. Ita Lutherus & Kemnitius. Resp. N. A. Ad I. *prob.* N. M. Christus Joan. Cap. VI. ait: *Ego sum panis vitæ*, *Ego sum panis vivus*. Quibus verbis satis indicatur, panem non sumi in sensu proprio pro pane corporali; sed in metaphorico, pro ipso Christo ut manducando per fidem & charitatem: ideoque nulla mutatio hic exigitur ad veritatem illius propositionis. At vero Matth. Cap. XXVI. verba illa sumenda sunt in sensu proprio & litterali, fatentibus id ipsis Lutheranis. Ergo ut vera sit illa propositio, *Hoc est corpus meum*, necefse est, ut panis vere convertatur in corpus Christi. Evidens est enim, panem non immutatum, efse non pofse, nec proprie vocari corpus Christi. Ad II. N. C. Propter solam unionem hypostaticam Verbi cum natura humana, absque omni conversione, vera est hæc propositio, *Hic homo est Deus;* quia subjectum & prædicatum supponunt pro eodem in recto; habet enim hunc sensum: subsistentia terminans naturam humanam, est subsistentia terminans naturam divinam. At vero cum inter panem & Verbum, aut etiam corpus Christi, nulla detur unio hypostatica, ut superius ostendimus, falsa sit oportet hæc propositio, *Hic panis est corpus meum*, quia non datur identitas inter rectum subjecti & prædicati: quemadmodum falsa ob eandem rationem ab omnibus censetur ista, *Humanitas est Divinitas*. Ad III. Resp. Trans. A. N. C. Tunc aliquo modo res significata affirmari potest de signo, si res in signo contenta per effectus sensibiles se prodit, ut v. g. Angelus sub specie humana delitescens, aut Spiritus Sanctus sub specie columbæ; quia tunc nul-

lum

lum adest errandi periculum, cum omnes intelligant de re significata affirmari quod dicitur de signo. At vero si res significata & contenta nullatenus exterius se prodit, ut v. g. corpus Christi in Eucharistia, affirmari illa non potest de signo: sicut nec de infusione aquæ in Baptismo, nec de unctione aut manus impositione in Confirmatione dici potest, *Hic est Spiritus Sanctus*, quamvis ille iis adsit, & invisibiliter operetur. Ad IV. N. A. in sensu proprio; de ferro enim candente dici potest, quod sit ferrum ignitum, vel quod ignis detur in ferro; minime autem dici potest esse ignem, excludendo ferrum. Quod si etiam antecedens trasmittatur, ajo id ex eo oriri, quia ita comparati sumus, ut illud ignem appellemus quod ignis proprietates tam alte imbibit; idque fieri absque ullo erroris aut fraudis periculo. Ad V. N. C. In propositionibus de re continente & contenta pronomen *Hoc* non demonstrat proprie rem continentem, sed contentam: non ipsum dolium & crumenam, sed vinum, v. g. & aurum, ita ut sensus propositionis sit: Liquor qui continetur in dolio isto, est vinum, Metallnm quod continetur in hac crumena, est aurum. Quod si dicas, per pronomen *Hoc* demonstrari indifferenter rem continentem, & contentam. Resp. id haud gravate concedi posse, modo unica res sit contenta. Si enim plures res contineantur, ut v. g. in arca aurum & aes; vere quidem dici poterit, *Hæc est arca;* at absque deceptione dici non poterit, *Hoc est aurum;* quia juxta usum communem, qui rem contentam per pronomen *Hoc* demonstrat, rem unam tantum cum exclusione alterius cujuscunque demonstrat. Quare si finita hac propositione, *Hoc est corpus meum*, substantia panis mutata non fuisset in corpus Christi virtute divina, Christus Apostolos decepisset; dicere enim debuisset: *Hic panis continet corpus meum.* Vel. *In hoc pane est corpus meum.* Aut. *Hic non solum est panis*, *sed etiam corpus meum.* Quemadmodum juxta omnes decipere cen-

censeretur ille, qui de arca auro & plumbo plena diceret: *Hoc est aurum.*

219. Dices I. Panis in Eucharistia est res continens, & solum corpus Christi est res contenta. Ergo quamvis maneat substantia panis, vera tamen erit propositio Christi. Resp. N. A. Corpus Christi non est in Eucharistia ut liquor in dolio, sed ut substantia sub accidentibus substans, per quæ demonstratur. Ergo substantia panis vel non amplius existit, vel si remanet, res est contenta cum corpore Christi sub iisdem accidentibus: atque ita falsa foret propositio Christi. Et sane Christus proferendo hæc verba, *Hoc est corpus meum*, loqui debuit secundum communem usum hominum, juxta quem panis non est vas institutum ad continendum corpus Christi; alioquin occasionem dedisset errandi in re gravissimi momenti: vel saltem institutionem tam insolitam & minus convenientem debuisset clare exponere, quod tamen nusquam fecit.

220. Dices II. Si ad veritatem verborum Christi requiritur mutatio substantiæ panis & vini in corpus & sanguinem Christi, necessaria etiam erit transaccidentatio, id est, mutatio accidentium panis & vini in corpus & sanguinem Christi. Atqui hoc dici nequit, cum illa juxta Catholicos maneant. Ergo. Resp. N. M. Pronomen *Hoc* non demonstrat accidentia, quæ corpus Christi nec sunt nec dici possunt, sed substantiam in fine propositionis præsentem. At si tunc præsens esset substantia panis, pronomen *Hoc* illam demonstraret, dicique posset: *Hoc*, id est, *substantia panis & vini est corpus Christi*, quod tamen certo falsum est. Ut igitur vera sit propositio Christi, substantia panis & vini convertitur in corpus & sanguinem Domini, accidentia vero panis & vini remanent. Ex his colliges, quid respondendum sit ad illud Wickleffi, qui, ut refert Thomas Waldensis Tomo II. Cap. LII. demonstrata sacra Hostia, jubebat sibi uno verbo responderi, an hoc album & rotundum sit corpus Christi.

Si

Si enim concederetur, inferebat: ergo corpus Christi est album & rotundum: Si negaretur, turbabantur simplices fideles, qui putabant negari etiam veritatem corporis Domini in Eucharistia. Sed respondendum est, hoc album & rotundum non eſse corpus Christi; realiter tamen illud contineri sub hoc albo & rotundo.

221. Objic. II. Auctoritas Scripturarum. Matth. Cap. XXVI. dicitur: *Cœnantibus autem eis, accepit Jesus panem, & benedixit ac fregit, deditque diſcipulis ſuis, & ait: Accipite & comedite: hoc eſt corpus meum.* Ergo pronomen *Hoc* significat panem. Ergo in Eucharistia datur substantia panis una cum corpore Christi. P. C. Pronomen *Hoc* denotat id quod Christus accepit, benedixit, fregit, deditque suis discipulis. Ergo pronomen *Hoc* denotat panem. *Confirm.* I. Quando pronomen *Hoc* pronuntiatur, corpus Christi nondum adest. Ergo corpus Christi per illud non significatur, sed panis qui tunc est præsens. *Confirm.* II. Nihil obstat quo minus dicatur, sensum illorum verborum eſse hunc: *Hoc*, sive, *hic panis continet corpus meum.* Resp. C. A. N. C. Ad *probat.* Resp. I. Si hæc argumentatio legitima est, valebit etiam ista: Quod Deus de latere Adæ tulit, hoc illi conjunxit in uxorem. Sed Deus costam de latere Adæ tulit. Ergo Deus costam Adæ conjunxit in uxorem. Resp. II. D. M. Denotat id immutatum & conversum, quod Christus ante conversionem illam mirabilem accepit & benedixit, C. M. Denotat id nondum immutatum & conversum, N. M. Sicuti Deus ad Adamum non adduxit costam, ex qua mulierem formavit, sed mulierem ex costa jam formatam: ita Christus Apostolis non dedit panem quem in manus acceperat, sed corpus suum quod ex pane fecerat: accepit enim in manus suas panem nondum consecratum; sed consecravit illum, atque ex pane corpus suum fecit, antequam Apostolis porrigeret: adeoque pronomen *Hoc* non demonstrat panem, sed corpus Christi quod per modum cibi Apostolis dabatur. Ad *confirm.* I. C. A.

Aut Scripturarum.

N. C.

N. C. In propositionibus practicis, id est, operatoriis rei quam significant, satis est quod verificentur absoluta totius propositionis prolatione: adeoque pronomen *Hoc* confuse significat corpus Christi, habetque hunc sensum: Hoc quod absoluta jam propositione aderit, est corpus meum. Ad *confirm.* II. Resp. N. A. Nam obstant I^mo^ verba Scripturæ, quæ in sensu obvio & litterali sumenda sunt, ut ipse Lutherus contra Sacramentarios centies agnovit. Atqui hæc Lutheri expositio, *Hoc*, vel, *hic panis continet corpus meum*, non minus figurata & metaphorica est, ac illa Calvini & Zwinglii, *Hoc*, vel, *hic panis significat corpus meum.* II. Obstat traditio, & communis Ecclesiæ tam Occidentalis quam Orientalis consensus jam inde ab Apostolicis temporibus, ut paulo ante ostendimus.

Et Patrum auctoritatem.

222. Objic. III. Auctoritas Patrum generatim. I^mo^ Patres Eucharistiam frequentissime vocant panem. II. Eucharistiam sæpe conferunt cum Mysterio Incarnationis. Ergo judicant panem hypostatice uniri Verbo, aut saltem corpori Christi. III. Ut conversionem explicent panis & vini in corpus & sanguinem Domini, exemplum adducunt conversionis ciborum in substantiam comedentis, item aquæ in vinum, virgæ Moysis in serpentem &c. Atqui in illis conversionibus communis remansit materia. Ergo senserunt non totam substantiam panis & vini converti in sanguinem Domini. Resp. ad I. Eucharistiam eo sensu panem a Patribus vocari, quo in Scripturis panis appellatur; quia nimirum fit ex pane, & in illa species panis remanent: tum etiam ob specialem quam cum pane habet analogiam. Quemadmodum enim panis ex natura sua ordinatur ad corporis refectionem; ita Eucharistia a Deo ordinatur ad refectionem animæ. Et sane id ipsum Lutherani respondere debent Sacramentariis, qui ex eo quod Eucharistia a Scripturis & Patribus panis vocetur, evincere conantur, Christum non esse realiter ac substantialiter præsentem in Sacramento Altaris. Ad II. N. C. Patres eo

tan-

tantum sine comparationem hanc instituunt, ut mirabile Eucharistiæ Mysterium per illud Incarnationis reddatur credibile, ostendantque hæc duo Mysteria aliquam inter se proportionem habere & convenientiam, atque unum per aliud, salvis tamen utriusque differentiis, aliquo modo explicari. Sicut enim in Christo sunt duæ naturæ divina & humana, ex quibus constat, & ab utrisque appellatur: ita in Eucharistia sunt duæ res terrena & cœlestis, videlicet species sensibiles & materiales panis, & gloriosum corpus Chrisi unitum Divinitati, ex quibus inter se suo modo unitis hoc Sacramentum constat. Ad III. hæc exempla a Patribus adduci, non ut perfecta omnique ex parte præsenti Mysterio accommodata; vocant enim hanc conversionem panis & vini in corpus & sanguinem Domini *inexplicabilem*, atque ad omnipotentiam Dei recurrunt: sed ut aliquo modo per hæc exempla illustrent & exponant, quomodo per verbum operatorium Christi, panis in corpus Dominicum ita convertatur, ut desinat eſse panis. Conversio itaque Eucharistica habet aliquid cum cæteris conversionibus commune, sed non omnia: hinc a Tridentinis Patribus vocatur *mirabilis ac ſingularis.* Adde, quod in omni comparatione sit quædam diſsonantia & disparitas; alias non eſset comparatio, sed identitas.

Præcipue S. Chryſoſtomi, cujus Epiſtola ad Cæſarium ſuppoſititia eſt.

223. Objic. IV. Auctoritas S. Joannis Chrysostomi, qui in Epistola ad Cæsarium Monachum scribit: *Sicut antequam ſanctificetur panis, panem nominamus: divina autem illum ſanctificante gratia, mediante Sacerdote, liberatus eſt quidem ab appellatione panis; dignus autem habitus Dominici corporis appellatione, etiamſi natura panis in ipſo permanſit, & non duo corpora, ſed unum corpus Filii prædicamus: ſic & hic divina inſidente corpori natura, unum Filium, unam perſonam utraque hæc fecerunt.* Ergo juxta Chrysostomum manet in Eucharistia substantia panis. Respondeo, Epistolam hanc ad Cæsarium genuinum non eſse S. Joan. Chrysostomi fœtum. Ita Scipio Maffejus in Epist. ad Jacobum Basnagium. Michael Lequien in Diſsertatione

tatione III. in fronte Operum S. Joannis Damasceni posita. Constantinus Roncaglia in Animadversionibus in Hist. Eccles. Sæculi IV. Natalis Alexandri. Joannes Stiltingus, Continuator Bollandi in Actis Sanctorum, Tomo IV. Septembris in Commentario de S. Joanne Chrysostomo, Paragrapho LXXXII. qui afsertionem illam his rationibus confirmat. I. Stylus Epistolæ hujus corruptus & obscurus est, nec vel minimum quidpiam observatur, quod Chrysostomum sapiat: ita ut qui ex aliis Scripturis & Epistolis Chrysostomi ad hanc Epistolam se conferat, in alium se orbem translatum putet. II. Epistola illa ad Cæsarium non est inventa in ullo codice, in quo habentur Opera S. Chrysostomi. Sola Latina interpretatio, eaque imperfecta admodum, obscura ac mendis referta, inventa est in uno Florentino codice Bibliothecæ Dominicanorum ad D. Marci. III. In illa Epistola clare fit mentio hæresis Nestorianæ, quæ tamen nonnisi post vigesimum annum a morte S. Chrysostomi fuit difseminata. IV. Auctor Epistolæ illius non contra Apollinaristas præcipue, sed maxime contra Eutychianos de duabus Christi naturis difserit; adeoque multo posterior est Chrysostomo, atque ipsa Synodo Chalcedonensi.

Et quamvis foret genuina, Catholicæ tamen causæ non adversatur.

224. Verum quamvis Lutheranis daremus, Epistolam illam genuinum efse S. Joannis Chrysostomi fœtum, intempestive tamen triumphos canunt, ac frustra Chrysostomum in erroris sui societatem pertrahere conantur; naturæ enim nomine non intelligit ille substantiam & efsentiam panis, sed sensibiles illius proprietates, seu complexionem accidentium & proprietatum naturalium panis, quæ facta consecratione remanent, nostrosque sensus ita afficiunt, ut ante consecrationem. Prob. afsertio I^{mo} ex ipsis Chrysostomi verbis loco cit. *Et non duo corpora, sed unum corpus Filii prædicamus.* At si per naturam intelligeret Chrysostomus substantiam & efsentiam panis, negare non pofset, dari in Eucharistia duo corpora, unum Christi, alterum panis. II. Græci & Latini

Latini veteres sæpius per naturam intelligunt congeriem proprietatum sensibilium, quæ externam veluti naturam rei constituunt ac referunt. Sic Tertullianus Lib. de Anima, Cap. XXXII. scribit, *aliud esse substantiam, aliud naturam substantiæ. Siquidem,* inquit, *substantia propria est rei cujusque; natura vero potest esse communis. v. g. substantia est lapis, ferrum &c. duritia lapidis & ferri, est natura substantiæ: duritia communicat, substantia discordat.* Ubi vides naturæ nomine nonnisi accidentia & proprietates denotari. Ipse S. Chrysostomus Hom. IV. ad Populum Antiochenum ait: *Juvenum* (in fornace Babylonica) *pietas rerum naturam mutavit*, extincto videlicet ignis ardore, qui tantum est proprietas ignis. III. Ex scopo S. Doctoris; agit enim loco cit. (siquidem hanc Epistolam a Chrysostomo exaratam contendas) contra Synusiastas sive Apollinaristas, qui ut referunt S. Epiphanius Hær. LXXVII. & S. Gregorius Nazianz. in Epist. ad Nectarium, docebant Verbum ab æterno habuisse carnem seu substantiam humanam, sed materiæ expertem, incircumscriptam, permixtam cum Divinitate, atque ab ea indistinctam: atque ita Verbum etiam in humanitate esse Patri consubstantiale. Præterea contendebant, Verbum in Incarnatione assumpsisse solam formam exteriorem, circumscriptionem, humanique corporis affectiones ac proprietates, in quibus passus & mortuus est, Divinitate vices supplente animæ humanæ: peracto denique redemptionis Mysterio, resolutum fuisse corpus Christi, atque penitus depositam carnis effigiem, ita ut non amplius retineat humanam formam, nec priorem circumscriptionem sub qua in terris visus est; sed natura humana, ut olim ante incarnationem, confusa & permixta fuerit cum divina & incircumscripta natura. Ex quo patet, nec Chrysostomo, nec aliis Patribus probandum fuisse contra Apollinaristas, quod in Christo remaneat essentia carnis, quam illi ipsi hæretici contendebant inseparabilem omnino esse a Divinitate; sed totam controversiam in eo fuisse positam, an in Christo post Ascensionem remanserint

 affe-

affectiones ac proprietates humanæ naturæ, forma exterior, circumscriptio &c. Negabant id Apollinaristæ: affirmabat Chrysostomus; utque evinceret remanere in Christo proprietates naturæ humanæ, afferebat exemplum Eucharistiæ, in qua panis & vini proprietates naturales post consecrationem supersunt. Atque ad hoc unum dumtaxat valet illud exemplum: in alio disparitas est aperta; siquidem in Eucharistia panis & vini proprietates remanent absque propria & naturali sua substantia: at in Mysterio Incarnationis proprietates naturæ humanæ supponunt ipsam humanam naturam, ex qua fluunt ac dimanant. Cæterum Catholicam de transubstantiatione doctrinam S. Chrysostomus pluribus locis, præcipue Hom. LXXXIII. in Matth. & in Serm. de proditione Judæ verbis tam apertis tradidit, ut nemo sanus de ejus mente dubitare queat. Vide dicta Num. 213.

Item Theodoreti, Gelasii, & Ambrosii.

225. Objicitur V. Auctoritas aliorum Patrum. Theodoretus Dial. II. qui dicitur *Inconfusus*, scribit: *Neque enim symbola mystica post sanctificationem recedunt a sua natura. Manent ergo in priore substantia, & figura & forma, & videri tangique possunt, sicut & prius.* Theodoreto suffragatur S. Gelasius Papa, qui Lib. de duabus in Christo naturis ait: *Certe Sacramenta quæ sumimus corporis & sanguinis Christi, divina res est; propter quod & per eadem divinæ efficimur consortes naturæ, & tamen esse non desinit substantia vel natura panis & vini.* II. Ambrosius Lib. IV. de Sacram. Cap. IV. ait: *Si tanta vis est in sermone Domini Jesu, ut inciperent esse quæ non erant, quanto magis operatorius est, ut sint quæ erant, & in aliud commutentur.* Ergo cum corpore & sanguine Christi manent quæ erant, nempe substantia panis & vini. Resp. ut prius. Theodoretus contra Eutychianos agens, qui eumdem cum Apollinaristis seu Synusiastis errorem tuebantur, per naturam & substantiam non intelligit substantiam panis philosophice acceptam, prout nempe ab accidentibus distinguitur; sed sensibiles rei proprietates externas, in quibus communi

ho-

hominum usu rei natura posita esse videtur. Certe quid per substantiam intelligat, ipse Theodoretus verbis immediate subsequentibus diserte explicat, nempe *figuram & formam, in qua videri tangique possunt, sicut & prius.* Et in eodem Dialogo loquens de corpore Christi post Ascensionem, ait illud *priorem habere formam, & circumscriptionem, & ut semel dicam, corporis substantiam.* Itaque argumentum Eutychiani inferentis naturam humanam in Christo remanere quidem, sed confusam & permixtam cum divina, ex eo quod panis in Eucharistia conversus sit in corpus Christi, Theodoretus apte retorquet, dicens: In Eucharistia non solum est Christi corpus, sed vera quoque panis accidentia & proprietates. (uti ipsi etiam Eutychiani admittebant.) Ergo similiter in Christo vera sunt accidentia & proprietates corporis. Atqui accidentia illa non possunt inesse personæ, nisi naturam aliquam afficiant. Ergo cum divinam afficere nequeant, afficiunt humanam Christi naturam: adeoque duplex in Christo datur natura, inconfusa & impermixta. Quæ Theodoreti, eadem fuit & Gelasii mens, idemque scopus, quia idem error ab utroque impugnatur. Cæterum observo authorem libri citati non esse S. Gelasium I. Romanum Pontificem, sed alium quempiam, verisimilius Gelasium Cyzicenum. Vide dicta Tomo III. Num. 452. Ad II. Si legitima sit hæc Ambrosii lectio, (in Romana enim editione, pluribusque manuscriptis codicibus ea verba, *ut sint*, non inveniuntur; sed legitur: *Ut quæ erant, in aliud commutentur*) Resp. N. C. Sensus verborum Ambrosii est, quod operatio Christi in Eucharistia faciat, ut panis sit & permaneat secundum accidentia, sicut prius; & simul secundum substantiam convertatur in corpus Christi; Cap. enim cit. scribit S. Doctor: *Panis iste, panis est ante verba Sacramentorum: ubi accesserit consecratio, de pane fit caro Christi.* Et paulo infra: *Ergo didicisti, quod ex pane fiat corpus Christi.*

227. Objic. VI. Novitas vocabuli. Transubstantiationis nomen est novum in Ecclesia; neque enim illud

Frustra Catholicis objicitur

novitas vocabuli. illud in Scripturis a Spiritu Sancto, neque ab Apostolis, neque a Patribus aliquando usurpatum fuisse legimus; sed a Concilio Lateranensi IV. A. 1215. invectum est. Ergo rejiciendum est. Resp. D. A. Transubstantiationis nomen est novum, si vox spectetur, C. A. Si res per illam vocem significata, N. A. & Conseq. Idem merito reponimus Lutheranis, quod S. Athanasius Lib. de Decretis Synodi Nicænæ, Arianis *Consubstantialis* vocem ob novitatem nominis rejicientibus respondebat: *An novitate offenderis, an etiam rei ipsius veritatem, quæ hoc est sortita vocabulum, refugis? Res enim antiqua novum vocabulum accepit, non vocabulo rei veritas accessit. - - Etiamsi voces istæ in Scripturis non extent, sententia tamen quam continent, vere in Scripturis habetur.* Porro id juris semper habuit & exercuit Ecclesia, ut novis erroribus nova, non quidem dogmata, sed vocabula iis exprimendis ac subruendis idonea usurpet, ut patet ex voce Ὁμοούσιος & Θεοτόκος, quam Arianis & Nestorianis opposuit. Cum itaque Henriciani, Albigenses, aliique proscriptam jam sæpius Berengarii hæresin identidem suscitarent, Concilium Lateranense IV. sub Innocentio III. nomen transubstantiationis, exprimendo dogmati Catholico, & omnibus hæreticorum fraudibus præcavendis maxime accommodatum, consecravit. Quamquam nec illa vox *transubstantiatio* a Lateranensi Synodo excogitata est; cum illa jam antea usi fuerint Gaufredus in Epist. ad Card. Episcopum Albanensem, Petrus Card. S. Chrysogoni apud Cæsarem Card. Baronium Tomo XII. Annal. Eccles. Num. XXVIII. Petrus Blesensis Epist. CXL. & Stephanus Augustodunensis Tract. de Sacram. Altaris, Cap. XIII.

Natura Sacramenti. 227. Objic. VII. Natura Sacramenti. Si in Eucharistia non remanet substantia panis & vini, tollitur natura Sacramenti. Ergo. P. A. In Sacramento requiritur ut sint duæ res, materia & forma, res terrena & cœlestis. Sed si non remanet substantia panis, tollitur materia, & res terrestris. Ergo. II.

Sa-

Sacramenta sunt instituta ad confirmandam fidem rerum invisibilium per signa visibilia. Ergo cum substantia panis & vini non remaneat, panis non potest confirmare fidem rerum cœlestium. III. Si substantia panis tollitur, omnes significationes Eucharistiæ intercidunt. v. g. quod sicut panis triticeus est quædam substantia ex multis granis composita, ita unum corpus efficiantur qui de illo pane participant: quod sicut panis materialis sustentat animale corpus, ita corpus Christi sustentet novum & internum hominem. Resp. N. A. Ad *probat.* C. M. N. m. Materia Eucharistiæ est panis triticeus, qui post consecrationem non amplius adest quoad substantiam, sed tantum quoad accidentia quæ terrenis sensibus percipiuntur, & recte vocari possunt res terrena. Ad II. C. A. N. C. Ad fidem rerum invisibilium confirmandam satis est, si externum signum vere percipiatur, quod externis sensibus panem exhibet, licet panis substantia non amplius adsit. Sic in Baptismo ad internam lotionem animæ significandam aqua perfundimur: neque tamen necesse est, ut re ipsa sordes corporis illa abstergantur; sed satis est si leviter ab illa contingamur, eoquod lotio hæc solius significationis gratia adhibeatur. Pari igitur de causa, cum Eucharistia internam nutritionem significet, non requiritur ut vere & actu nutriat corpus; sed ut sit nutritionis signum, sive ut accidentia nobis panem exhibeant, absente quamvis illius substantia. Ad III. N. A. Analogia inter panem & Christum non requirit, ut panis vere nutriat, & ex multis granis constet; sed satis est, si naturaliter repræsentet eam rem, quæ vere nutrit, & ex multis granis constat.

Experientia sensuum.

228. Objic. VIII. Experientia sensuum. Sensus judicant in Eucharistia dari substantiam panis. Ergo non datur transubstantiatio. P. C. Sensus non possunt falli circa suum objectum, cum sint potentia necessaria. Ergo. *Confirm.* Si remanentibus speciebus panis & vini, desineret eorum substantia, Deus deciperet homines. Atqui hoc repugnat perfectioni-

bus

bus divinis. Ergo. Resp. Imo. Si quod huic argumento robur inesset, victas Lutherani manus Sacramentariis dare cogerentur; facile enim illi simile argumentum proponent: Sensus judicant in Eucharistia nihil aliud dari quam substantiam panis & vini, nihilque aliud a communicantibus manducari vel bibi. Ergo Christus non est vere, realiter, ac substantialiter præsens, nec totum Christi corpus in minuta hostia continetur, aut totus Christus in stomachum trajicitur. Resp. II. N. A. Sensus, proprie loquendo, indicant tantum in Eucharistia dari accidentia panis, seu apparentiam: neque in hoc decipiuntur. At vero judicare de substantia quæ his accidentibus subest, non pertinet ad sensus, sed ad mentem humanam seu rationem. Si igitur intellectus ex præsentia accidentium panis inferat etiam ipsius substantiæ panis præsentiam, fallitur, quin culpa in sensus refundi queat; accidentia enim panis, quæ sunt in Eucharistia, solum significant ibi substantiam panis sub se latere, spectato cursu & ordine naturæ. Atqui non adesse in Eucharistia substantiam panis, id fit supra naturæ ordinem, Deo scilicet per miraculum panis substantiam in Christi corpus convertente. Ad *probat.* D. A. Sensus non possunt falli circa objectum suum proprium, nimirum circa accidentia vel externam apparentiam, C. A. Circa objectum per accidens, id est, circa substantiam quæ latet sub his accidentibus, de qua judicare non pertinet ad sensus, sed ad solum intellectum, N. A. Ad *confirm.* N. A. Christus verbis illis, *Hoc est corpus meum*, homines præmonuit, in Eucharistia nullam aliam substantiam contineri quam sanctissimum corpus suum & sanguinem. Quod si increduli quidam fidem Deo revelanti adhibere nolint, errorem illum in Deum refundere nequeunt, sed pertinaciæ suæ ac impietati adscribere coguntur.

Aut natura specierum.

229. Objic. IX. Natura specierum. Certum est, quod in Eucharistia maneant accidentia, sive species panis. Atqui illa etiam per miraculum manere nequeunt

queunt sine subjecto. Ergo etiam manet illorum subjectum, sive substantia panis & vini. Resp. Quæstionem hanc esse mere philosophicam, neque ad fidem pertinere; ideoque Catholicos in diversas abire opiniones. Scholastici antiquiores negant minorem, ajuntque dari accidentia absoluta in sensu Peripatetico, quæ virtute divina atque extraordinaria existunt sine subjecto. Recentiores complures negant majorem, ajuntque species panis & vini una cum substantia non amplius existere post consecrationem; affirmant tamen, Deum post consecrationem panis & vini eodem prorsus modo sensoria nostra afficere, quo ipsa substantia panis & vini sensoria nostra afficere solet. Nostrum non est philosophicam hanc litem dirimere, quæ salva pace & unitate Catholica agitatur. Hoc unum observo, infirmum esse argumentum illud, cujus majorem ac minorem propositionem viri oppido docti inficiantur.

CONTROVERSIA IX.

AT TOTUS ET INTEGER CHRISTUS SIT SUB UNAQUAQUE SPECIE SACRAMENTI, ET SUB QUALIBET PARTICULA SPECIERUM CONSECRATARUM?

CONTRA PROTESTANTES.

Protestantium errores.

230. Calvinus ex eo quod falso supponat, Eucharistiam non exhibere nisi virtutem substantialem corporis Domini, facere non potuit, quin negaret totum & integrum Christum sub qualibet specie contineri, rideretque concomitantiam corporis Domini cum sanguine in calice, & concomitantiam sanguinis cum corpore sub speciebus panis. *Sane*, inquit Lib. IV. Institut. Cap. XV. *si designare se totum voluisset, dicere poterat Christus: Ego sum.* Cum Calvino, ob consequentiam doctrinæ, sentiunt Sacramentarii omnes. Lutheri hac de re varia pro more suo & inconstans opinio fuit. In asertione Articuli XVI. aperte

te fatetur, totum Christum accipi sub qualibet specie. In informatione ad quemdam amicum de Communione, ridet concomitantiam. In Libro ad Waldenses de Eucharistia inanem vocat quæstionem, quomodo anima Christi & Divinitas sint in Sacramento. Ex Lutheri sectatoribus quidam cum Heshusio, Hammelmanno, ac Flaccio Illyrico concomitantiam rotunde negant: Alii cum Catholicis fatentur totum plane Christum sumi sub qualibet specie. Ita Brentius, Kemnitius &c. Idemque dicere omnes coguntur, qui Ubiquitatem defendunt: si enim totus Christus ubique est, certe totus in pane, & totus in calice erit. Alii denique cum Melanchtone quæstionem hanc penitus dissimulant.

Totus & integer Christus continetur sub unaquaque specie Eucharistiæ.

231. Conclusio I. Totus & integer Christus continetur sub unaquaque specie Eucharistica. Prob. Conclusio hæc dogmatica I. Auctoritate Scripturarum. Joan. Cap. VI. Christus ait: *Qui manducat me, & ipse vivet propter me.* Ergo qui sumit speciem panis consecrati, sub qua sola proprie ac stricte dicta manducatio datur, non modo corpus, verum etiam totum Christum, id est, complexum ex corpore, sanguine, anima ac Divinitate Christi recipit. Ad Rom. Cap. VI. ait Apostolus: *Christus resurgens ex mortuis jam non moritur.* Ergo corpus Christi sub specie panis existens, non separatur ab ejus sanguine, anima & Divinitate: & vicissim sanguis sub specie vini existens, non separatur a corpore, anima & Divinitate; alioquin Christus in Eucharistia esset mortuus. Prob. II. Auctoritate Patrum. S. Cyrillus Catech. IV. eos qui sumunt Eucharistiam, vocat *Christophoros*, id est, non carnem tantum, sed ipsum Christum ferentes. S. Hieronymus Epist. ad Hedibiam, Quæst. II. scribit: *Nec Moyses dedit nobis panem verum, sed Dominus Jesus; ipse conviva & convivium, ipse comedens & qui comeditur.* S. Cyrillus Alexandrinus in Epist. ad Nestorium: quam Ephesina Synodus ratam habuit, Eucharistiam vocat *vivificam Verbi carnem.* S. Ambrosius Lib. de Initiandis, Cap. IX. *In illo Sacra-*

cramento Christus est, quia corpus est Christi. Prob III. Auctoritate Conciliorum. Constantiense Sess. XIII. ait: *Cum firmissime credendum sit, & nullatenus dubitandum, integrum Christi corpus & sanguinem tam sub specie panis quam sub specie vini veraciter contineri.* Et Sess. XLV. Martinus V. vult inquiri a suspecto de hæresi, num credat & asserat, quod peracta consecratione sit vera caro, sanguis, anima, & totus Christus. Florentinum in Decreto pro Armenis ait: *totus Christus continetur sub specie panis, & totus sub specie vini.* Tridentinum Sess. XIII. Cap. III. *Semper hæc fides in Ecclesia Dei fuit, statim post consecrationem verum Domini nostri corpus, verumque ejus sanguinem sub panis & vini specie, una cum ipsius anima & Divinitate existere.* Prob. IV. Ex praxi Ecclesiæ, quæ supremum atque absolutum latriæ cultum atque adorationem Eucharistiæ semper detulit, ut sequente Controversia fusius ostendemus. At cultus hic supremus latriæ deferri non potest corpori aut sanguini Christi, nisi sint unita cum Divinitate. Ergo Ecclesia semper credidit, sub speciebus Eucharisticis non corpus tantum aut sanguinem, sed totum ac integrum Christum latere. Prob. V. Ratione. Si Christus sub una specie totus ac integer non esset, sequeretur, Christum neque sub utraque specie totum ac integrum contineri. Atqui hoc a Lutheranis admitti nequit, qui realem Christi præsentiam, non mortui utique, sed vivi statuunt. Ergo. P. M. Sub panis speciebus esset tantum corpus, sub speciebus vini sanguis. Atqui totus ac integer Christus non est corpus & sanguis tantum, sed complexum ex corpore, sanguine, & anima cum Divinitate unitis. Ergo.

Ac sub qualibet parte sensibili specierum, separatione jam facta.

232. Conclusio II. Totus ac integer Christus continetur in qualibet parte specierum sensibili panis & vini, non tantum separatione jam facta, sed antequam etiam fiat separatio. Prima pars Conclusionis est dogmatica & de fide, probaturque Imo Auctoritate Scripturarum paulo ante adducta. Qui

enim sensibilem partem v. g. specierum panis ori inserit & deglutit, ille vere manducat & in stomachum trajicit carnem, non qualemcunque, sed carnem Christi vivificam, corpus Christi gloriosum ac impassibile, quod *resurgens a mortuis jam non amplius moritur*, ut ait Apostolus ad Rom. Cap. VI. Ergo totus ac integer Christus contineatur necesse est in qualibet sensibili parte specierum. Prob. II. Auctoritate Patrum, qui Fideles communicaturos monent, ne vel minimam Sacræ Hostiæ micam patiantur in terram dilabi; quia nimirum persuasum & exploratum semper fuit in Ecclesia Catholica, corpus Christi sub qualibet sensibili parte specierum contineri. Origenes Hom. XIII. in Exodum scribit: *Volo vos admonere Religionis vestræ exemplis. Nostis, qui divinis Mysteriis interesse consuestis, quomodo cum suscipitis corpus Domini, cum omni cautela & veneratione servatis, ne ex eo parum quid decidat, ne consecrati muneris aliquid dilabatur. Reos enim vos creditis, & recte creditis, siquid inde per negligentiam decidat.* S. Cyrillus Jerosol. Catech. V. *Cave autem, ne quid inde excidat tibi; quod enim amittis, hoc tamquam ex proprio membro amiseris. Nam siquis tibi ramenta aurea daret, nonne magna cum diligentia teneres, cavens ne quid ex illis periret, damnumque sustineres? Et non multo magis & diligentius de hoc, quod auro gemmisque pretiosius est, ne mica aliqua ex illa cadat, providebis?* Prob. III. Auctoritate Conciliorum. Florentinum in Decreto pro Armenis ait: *Totus Christus continetur sub specie panis, & totus sub specie vini; sub qualibet quoque parte Hostiæ consecratæ, & vini consecrati, separatione facta totus est Christus.* Tridentinum Sess. XIII. Can. III. *Si quis negaverit, in Venerabili Sacramento Eucharistiæ sub unaquaque specie, & sub singulis cujusque speciei partibus, separatione facta, totum Christum contineri; anathema sit.* Prob. IV. Ratione. Totus & integer Christus manet v. g. sub speciebus panis, quamdiu sub illis manet corpus ejus, ut ostendimus præcedente conclusione. Atqui cor-

corpus Christi manet sub speciebus panis etiam post divisionem. Ergo. P. m. Corpus Christi manet sub speciebus panis, quamdiu illæ non corrumpuntur. Atqui illæ non corrumpuntur per separationem aut divisionem in particulas sensibiles. Ergo. II. Christus est in tota Hostia consecrata totus & integer. Ergo si Hostia consecrata dividatur, vel Christus in omnibus partibus Hostiæ divisæ eſse desinet; non enim potior ratio est pro aliquibus quam pro aliis; vel Christus ipse in frusta dividetur. Atqui neutrum horum dici potest: non primum; alias ob paritatem rationis sequeretur, quod Apostoli non receperint Christum, saltem sub specie vini, pridie mortis Christi, quia singuli partem tantum specierum vini semel consecrati ex eodem calice biberunt: non secundum; quia corpus Christi in Eucharistia est gloriosum & impaſsibile, nec in frusta secari potest.

Immo etiam ante ſeparationem.

233. Altera Conclusionis pars, qua dicitur totum Christum in qualibet sensibili parte specierum contineri etiam ante separationem, non quidem de fide est, quia id neque in Scripturis, neque in Traditione, neque in Canonibus Conciliorum clare & diserte exprimitur; tam certa tamen Theologis videtur, ut contrariam sententiam errori proximam eſse merito censeant. Prob. itaque duplici ratione. I^ma^ est. Christus totus continetur in qualibet parte sensibili specierum post factam divisionem. Ergo etiam antequam illa fieret, ita continebatur. P. C. Divisio illa neque nova est consecratio, neque aliquid operatur circa corpus Christi. Ergo post divisionem Hostiæ corpus Christi non potest eſse in aliquo loco, in quo non erat ante divisionem. II. Christi corpus non potest incipere eſse ubi non erat, nisi per novam sui reproductionem. Atqui hæc nova reproductio corporis Christi sub partibus Hostiæ separatis, sub quibus non erat ante separationem, neque fit præcise vi ipsius separationis partium, neque vi verborum quibus consecrata fuit Hostia; illa enim verba jam transierunt, totumque quem habere poterant

 effe-

effectum tunc habuerunt, quando a Sacerdote prolata sunt. Ergo.

234. Adversarii nihil admodum habent quod huic Conclusioni opponant, quam illud, explicari nimirum non posse, quomodo Christus sit totus sub singulis partibus sensibilibus specierum, ante illarum divisionem. Verum respondeo, quamvis hæc res clare & ad captum explicari nequeat, minime tamen evincitur, rem ita se non habere. Multa existere exploratum est sensibus nostris passim obvia, quorum proprietates & affectiones nondum in apricum prolatæ sunt. Quid igitur mirum est, in Augustissimo Eucharistiæ Sacramento, quod omnium prodigiorum maximum est, multa dari quæ obtusam ingenii nostri aciem effugiant. Valet igitur hic, si umquam alias, illud Augustini monitum Epist. CXXXVII. alias III. ad Volusianum: *Demus Deum aliquid posse, quod nos fateamur investigare non posse.*

Non quidem vi verborum.

235. Quæres I. An totus & integer Christus contineatur vi verborum consecrationis in unaquaque specie panis & vini? Resp. negative; sed vi verborum sub specie panis esse solum corpus, ac sub specie vini sanguinem Christi solummodo. Ratio est, quia verba consecrationis in tantum operantur, in quantum significant. Atqui verba illa, *Hoc est corpus meum*, *Hic est sanguis meus*, significant, priora quidem corpus, posteriora vero sanguinem, & nihil amplius. Ergo re vera ponunt tantum corpus sub specie panis, & sanguinem sub specie vini. Quapropter si Apostoli triduo mortis Christi consecrassent, corpus fuisset sub specie panis sine sanguine & anima, & sanguis sub specie vini sine corpore & anima; quia tunc nec corpus cum sanguine & anima, nec anima cum corpore & sanguine necessariam habebant connexionem, utpote a se invicem tunc separata: Divinitas autem fuisset & corpori & sanguini unita; quia quod Verbum semel assumpsit, numquam dimisit.

236.

236. Quæres II. An totus & integer Christus continеatur per concomitantiam naturalem in unaquaque specie panis & vini? Resp. affirmative. Concomitantia autem hæc est naturalis connexio partium Christi, qua fit ut una non posſit eſse sine altera. Prob. Aſsertio Imo Auctoritate Tridentini, quod Seſs. XIII. Cap. III. ita loquitur: *Semper hæc fides in Eccleſia Dei fuit, ſtatim poſt conſecrationem verum Domini noſtri corpus, verumque ejus ſanguinem ſub panis & vini ſpecie una cum ipſius anima & Divinitate exiſtere; ſed corpus quidem ſub ſpecie panis, & ſanguinem ſub vini ſpecie ex vi verborum: ipſum autem corpus ſub ſpecie vini, ſanguinem ſub ſpecie panis, animamque ſub utraque vi naturalis illius connexionis & concomitantiæ, qua partes Chriſti Domini, qui jam ex mortuis reſurrexit non amplius moriturus, inter ſe copulantur: Divinitatem porro propter admirabilem illam ejus cum corpore & anima hypoſtaticam unionem. Quapropter veriſſimum eſt, tantumdem ſub alterutra ſpecie atque ſub utraque contineri; totus enim & integer Chriſtus ſub panis ſpecie, & ſub quavis ipſius ſpeciei parte, totus item ſub vini ſpecie, & ſub ejus partibus exiſtit.* II. Ratione. Totus & integer Christus continetur in unaquaque specie panis & vini. Atqui non continetur vi verborum. Ergo continetur propter concomitantiam: nimirum corpus, sanguis & anima propter naturalem connexionem, quam habent inter se partes humanitatis Christi; Divinitas vero & Verbum ipsum propter unionem hypostaticam cum humanitate Christi.

Sed per concomitantiam naturalem.

237. Quæres III. An in unaquaque specie, atque etiam parte sensibili specierum, non solum totus ac integer Christus, verum etiam Pater & Spiritus Sanctus contineantur per concomitantiam? Resp. affirmative; Pater enim & Spiritus Sanctus, propter summam identitatem omnium divinarum personarum in natura, sunt inseparabiles a Verbo, juxta illud Christi Joan. Cap. X. *Pater in me eſt, & ego in Patre.* Ergo facta consecratione, in unaquaque specie &

Una cum Patre & Spiritu Sancto.

& sensibili parte specierum tota Sacrosancta Trinitas incipit esse in Eucharistia; non absolute, quia cum ubique sit, non potest absolute incipere esse alicubi; sed specialiter, & novo quodam modo: ita ut si fieri posset Sanctissimam Trinitatem non esse ubique, necessario tamen esset in Sacramento Eucharistiæ, ob summam hanc divinarum personarum identitatem in natura divina.

Substantia tamen panis in solum Christi corpus convertitur.

238. Quæres IV. An in Eucharistia substantia panis non tantum convertatur in corpus, sed etiam in sanguinem Christi; ac vicissim substantia vini non tantum in sanguinem, sed etiam in corpus Christi? Resp. negative; quia substantialis conversio in Eucharistia fit vi verborum: adeoque panis & vinum in illud tantum convertuntur substantialiter, quod vi verborum sub speciebus ponitur per reproductionem. Sed vi verborum sub speciebus panis solum corpus, & sub specie vini solus sanguis ponuntur per reproductionem. Ergo.

CONTROVERSIA X.

AN CHRISTUS STATIM POST VERBA CONSECRATIONIS REALITER ET SUBSTANTIALITER SIT PRÆSENS IN EUCHARISTIA, ETIAM ANTE USUM?

CONTRA PROTESTANTES.

Protestantium errores.

239. Martinus Bucerus Minister Argentoratensis A. 1536. Vittenbergam missus ad conciliandam Lutheranos inter & Sacramentarios pacem, persuasit Luthero, Christum non esse in Eucharistia realiter ac substantialiter præsentem, nisi dum actu sumitur; ac proinde ipsam Eucharistiæ sumptionem proprie loquendo esse Sacramentum. Errorem hunc avide arripuerunt tum Lutherani tum Sacramentarii; hoc tamen discrimine, quod Lutherani agnoscant realem Christi præsentiam in manducatione, Sacramentarii vero spiritualem tantum. Usum hunc Sacramenti non

eodem

eodem modo explicant Protestantes. Calvinus, Petrus Vermilius, Flaccius Illyricus &c. contendunt, tunc solum panem & vinum eſse Sacramentum, dum comeditur & bibitur: sicut aqua baptismi tunc solum est Sacramentum, cum abluit; unde negant manere Sacramentum, si deferatur ad ægrotos. Lutherus concordiæ cum Bucero initæ articulum illum ita interpretabatur, ut vellet unionem inter panem & corpus Christi non diu, sed exiguo tantum tempore permanere extra usum: quod satis erat ad negandam præsentiam Christi in Sacra Hostia pyxidi inclusa, & dum eam in supplicationibus Catholici circumferunt. Hinc in Epistola quadam A. 1543. scripta Tomo IV. Jenensi laudat Melanchtonem, quod dixerit, Christum tantum in actione Cœnæ eſse præsentem, non tamen in puncto præciso aut mathematico. Quærenti autem quamdiu duret Christi præsentia post prolata consecrationis verba, ita dogmatice definit Epist. II. ad Wolferinum Tomo IV. Edit. Lat. Jenensis: *Sic ergo definiemus tempus vel actionem Sacramentalem, ut incipiat ab initio Orationis Dominicæ, & duret donec omnes communicaverint, calicem ebiberint, populus dimiſſus, & ab altari diſceſſum ſit.* Quod profecto tempus in magno communicantium afflluxu ultra horam protrahi potest. Kemnitius, ad eludendam Patrum ac veteris Ecclesiæ auctoritatem, docet corpus Christi præsens eſse in omnibus actionibus, quibus Cœna peragitur; hoc est, cum panis accipitur in manus, benedicitur, frangitur, distribuitur & manducatur: immo cum immediate post Cœnam defertur ad ægrotos, ut illum comedant, non ut servent. Quidam eo usque progreſsi sunt, ut dicerent, toto triduo servari poſse Eucharistiam propter ægrotos, atque in ea Christi corpus remanere. At si toto triduo remanet, cur non etiam quatriduo ac per mensem, aut tamdiu donec species corrumpantur? Recentiores Protestantes vel plerumque præsentiam Christi ad solum usum restringunt, vel quæstionem hanc tamquam inutilem contemnunt; cum tamen graviſsimi sit momenti, atque

ex

ex ea adoratio tam externa quam interior Numinis Eucharistici necessario fluxu dimanet.

Sacramentum Eucharistiæ non consistere in usu, sed in re permanente, ostenditur ex Scripturis.

240. Conclusio. Sacramentum Eucharistiæ non consistit in usu & sumptione, sed in re permanente: adeoque statim ac prolata sunt verba Consecrationis, Christus substantialiter est præsens sub speciebus panis & vini, & sub illis tamdiu perseverat, quamdiu illæ integræ manent. Prob. Conclusio hæc dogmatica I^mo Auctoritate Scripturarum. Christus Eucharistiam instituens Matth. Cap. XXVI. ait: *Accipite, & comedite: hoc est corpus meum. - - Bibite ex hoc omnes. Hic est enim sanguis meus.* Atqui hæc verba, *Hoc est corpus meum, Hic est sanguis meus*, prolata fuerunt ante actionem manducandi & bibendi. Ergo vera fuerunt ante actionem manducandi & bibendi. Sed si Christus substantialiter foret præsens in ipsa primum manducatione, verba illa fuissent falsa, quando a Christo prolata sunt. Apostolus I. ad Cor. Cap. X. scribit: *Calix benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est? & panis, quem frangimus, nonne participatio corporis Domini est?* Ergo hic aperte indicatur, panem prius consecrari mutarique in corpus Domini, quam frangatur & distribuatur: non enim ait Apostolus, futurum esse corpus Domini quod frangitur, sed jam esse corpus Domini: neque dixit, calix quem bibimus, aut panis quem edimus; sed *calix cui benedicimus, panis quem frangimus.* *Confirm.* Ea est natura propositionis operatoriæ Christi, ut prolatis verbis absque mora existat quod enuntiatur. Sicut enim cum dixit Deus Gen. Cap. I. *Fiat lux*, statim & absque mora facta est lux: cum dixit Christus paralytico Joan. Cap. V. *Surge, tolle grabatum tuum, & ambula*, statim sanatus est: cum dixit Lazaro mortuo Joan. Cap. XI. *Lazare veni foras*, statim e sepulcro redivivus prodiit: ita statim atque hæc verba protulit, *Hoc est corpus meum*, eademque in persona Christi Sacerdotes proferunt, panis in corpus Christi mutatur.

241.

241. Prob. II. Auctoritate Patrum. Patres corpus Domini non solum in ore Fidelium, sed etiam in Altari, & vasis sacris agnoscunt. S. Optatus Milevitanus Lib. VI. contra Parmenianum, vocat Altare sedem corporis Christi, & calices sacros, sanguinis Christi portatores. S. Augustinus Enarratione I. in Psal. XXXIII. dicit, quod Christus obstupescendo quodam modo corpus suum in manibus suis tulerit. S. Joan. Chrysost. Hom. XXIV. in I. ad Cor. ait, eumdem Christum nunc in altari consistere, qui aliquando in præsepi a Magis fuit adoratus. Et in Epist. ad S. Innocentium I. de militibus ab Imperatore mifsis scribit: *Locum in quo Sancta condita servabantur, ingressi sunt milites, quorum aliquos scimus nullis initiatos mysteriis, & viderunt omnia quæ intus erant; quin & testes sumus, quod Christi sanguis, sicut in tali tumultu contingit, in prædictorum militum vestes effusus est.* S. Cyrillus Alexandrinus Epist. ad Calosyrium ait: *Audio aliquos esse, qui mysticam Eulogiam nihil ad sanctificationem juvare dicant, si quid ex ea fiat reliqui in alium diem: Insaniunt vero qui hæc asserunt; neque enim alteratur Christus, neque sanctum corpus ejus immutatur, sed benedictionis vis ac facultas & vivificans gratia perpetua in illo existit.*

Patribus.

242. Prob. III. Auctoritate Conciliorum. Turonense II. A. 567. Can. III. statuit: *Ut corpus Domini in altari non in imaginario ordine*, (id est, non inter sacras imagines) *sed sub Crucis titulo componatur.* Ergo panis consecratus jam ante sumptionem est corpus Christi. Lateranense IV. A. 1215. Can. XX. *Statuimus, ut in cunctis Ecclesiis Chrisma & Eucharistia sub fideli custodia clavibus adhibitis conserventur, ne possit ad illa temeraria manus extendi.* Tridentinum Sess. XIII. Can. IV. *Si quis dixerit, peracta consecratione, in admirabili Eucharistiæ Sacramento non esse corpus & sanguinem Domiui nostri Jesu Christi, sed tantum in usu, dum sumitur, non autem ante vel post, & in Hostiis seu particulis consecratis, quæ post Communionem reservantur*

Conciliis.

vel superſunt, non remanere verum corpus Domini; anathema ſit.

Et Eucharistiæ aſſervatione.

243. Prob. IV. Ex antiqua & conſtanti praxi Eccleſiæ aſſervandi Euchariſtiam. Conſtat enim I^mo^ viguiſſe communionem domeſticam, qua quisque domi aſſervatam Euchariſtiam ſumebat. Hujus conſuetudinis meminerunt Tertullianus Lib. II. ad Uxorem, Cap. V. S. Cyprianus in Tract. de Lapsis. S. Baſilius Epiſt. CCLXXXIX. ad Cæſariam Patriciam. S. Hieronymus in Epiſt. ad Pammachium. S. Gregorius Nazianz. Orat. XI. de S. Gorgonia. S. Ambroſius in Orat. funebri de obitu fratris ſui Satyri. Vide dicta Num. 53. Conſtat. II. Euchariſtiam ad abſentes fuiſſe delatam, ut teſtantur S. Juſtinus M. & S. Irenæus apud Euſebium Hiſt. Eccles. Lib. V. Cap. XXIV. ubi in Epiſtola ad Victorem Papam ait: *Verum illi ipſi, qui te præceſſerunt Presbyteri, quamvis id minime obſervarent, Eccleſiarum Presbyteris qui id obſervabant, Euchariſtiam tranſmiſerunt*, nempe in ſignum mutuæ fidei & concordiæ. Conſtat. III. Euchariſtiam in Sacrario aſſervatam fuiſſe, ut ad ægrotos deferretur. Manifeſte id evincitur ex communione Serapionis apud Euſebium Lib. VI. Hiſt. Eccles. Cap. XXXVI. & S. Ambroſii in Vita ejus a Paulino Diacono conſcripta. Vide dicta Num. 51. Præterea Nicenum I. Can. XIII. ex verſione Dionyſii Exigui ait: *De his qui ad exitum veniunt, etiam nunc lex antiqua regulariſque ſervabitur; ita ut ſi quis egreditur e corpore, ultimo & maxime neceſſario viatico minime privetur.* Certum eſt autem, non potuiſſe ægrotis Euchariſtiam quovis tempore miniſtrari, niſi ea aſſervata fuiſſet in Eccleſiis, & ad infirmorum domos delata. Græci denique, ut referunt Goarius in notis ad Euchologium, & Petrus Arcudius Lib. III. de concordia, Cap. LV. feria V. majoris hebdomadæ, ex antiquiſſima diſciplina, pro toto anno Euchariſtiam conſecrant pro infirmis.

244. Calvinus tanta preſſus auctoritate Lib. IV. Inſtitutionis, Cap. XVII. ſcribit: *Qui ſic faciunt* (id

est,

est, qui Eucharistiam afservant) *habent, fateor, veteris Ecclesiæ exemplum: verum in re tanta, & in qua sine magno periculo non erratur, nihil tutius est quam veritatem sequi.* Verifsima hæc sunt omnino, neque in dubium trahenda. At non hic quæritur, tutiusne sit veritatem sequi quam falsitatem; sed quæstio est, a qua parte stet veritas, an errafse potius censenda sit vetus Christi Ecclesia, quam novitia illa Protestantium? An tutius sit veterem Ecclesiæ consuetudinem sequi, vel novas sectari Protestantium opiniones, toti antiquitati incognitas?

Ex auctoritate Ecclesiæ Latinæ & Græcæ.

245. Prob. V. Auctoritate Ecclesiæ Latinæ & Græcæ, quæ Eucharistiæ, ut sequente Controversia ostendemus, supremum adorationis & latriæ cultum semper detulit. Ergo Ecclesia perpetuo sensit, in Eucharistia post verba consecrationis, etiam ante usum seu manducationem, Christum realiter, vere ac substantialiter præsentem efse. Quin etiam Græci ex antiquifsima consuetudine toto Quadragesimæ tempore, exceptis dumtaxat diebus Sabbathi & Dominicis, ac festa die Annuntiationis Deiparæ, non alias celebrant Mifsas quam ex præsanctificatis seu consecratis Die Dominica præcedente: neque tamen minus populus cum Sacerdote & Ministris sacra dona adorant, quamvis feria VI. dies omnino sex ab illorum consecratione effluxerint.

Et argumento negativo.

246. Prob. VI. Argumento negativo. Lutherani, qui in materia Religionis nihil affirmandum efse afserunt nisi quod in Scripturis continetur: quibus semper in ore est illud, *Ubi scriptum est?* nullum Scripturæ locum pro tuendo suo errore afferre pofsunt, nullamque rationem afsignare, cur Christus præsentiam suam subtrahat, nisi consecrata Hostia statim aut certe paulo post consecrationem sumatur; cum tamen longiori tempore idem maneat status sensibilis specierum. Ergo gratis confingunt, Christum extra usum non efse in Eucharistia præsentem.

Argu-

Argumenta contraria refutantur.

Protestantibus neque Scripturarum.

247. Objicitur I. Auctoritas Scripturarum. Christus ea verba, *Hoc est corpus meum*, *Hic est sanguis meus*, non protulit ante manducationem, sed cum Apostoli manducarent & biberent. Ergo ex illis verbis nihil evincitur. P. A. Matth. Cap. XXVI. dicitur: *Cœnantibus autem eis, accepit Jesus panem, & benedixit, ac fregit, deditque discipulis suis, & ait: Accipite, & comedite: hoc est corpus meum.* Et Marci Cap. XVI. *Et accepto calice, gratias agens dedit eis: & biberunt ex illo omnes. Et ait illis: Hic est sanguis meus.* Ergo Christus non erat præsens in Eucharistia, antequam discipuli manducarent & biberent. Resp. N. A. Ad *prob.* C. A. N. C. S. Matthæus Apostolos exhibet manducantes, non Eucharistiam utique antequam illa a Christo institueretur; sed cibos communes a Judæis ordinarie in cœna comedi solitos: tum demum narrat, Eucharistiam fuisse a Christo institutam, atque Apostolis distributam. S. Marcus ordinem rei gestæ observavit, quem reliqui Evangelistæ observarunt; sed per anticipationem dixit, *Et biberunt ex illo omnes.* Quare apud S. Marcum non attendendus est verborum ordo, sed sensus, ex quo aperte colligitur, verba illa, *Hoc est corpus meum*, *Hic est sanguis meus*, ante a Christo fuisse prolata, quam panem & vinum consecratum Apostolis porrigeret. Nam. I. Verba illa continent rationem, cur Eucharistia sumenda sit, habentque hunc sensum: Accipite, & comedite, quia hoc quod vobis datur, est corpus meum: Bibite, quia hic est sanguis meus, ut manifeste id indicatur per particulam *enim* in consecratione calicis. Ergo ratio illa debuit Apostolis proponi, antequam Eucharistia illis administraretur. II. Nisi Christus præmisisset verba illa, ac præmonuisset id esse corpus suum & sanguinem quod porrigebat, Apostoli illud sine fide, & tamquam cibum ac potum communem sumpsisent. Quare recte ajunt Tridentini Patres Sess. XIII. Cap. III. *Nondum Eucha-*

charistiam de manu Domini Apostoli susceperant, cum vere tamen ipse affirmaret corpus suum esse quod præbebat. & semper hæc fides in Ecclesia Dei fuit.

248. Dices. Quamvis verba illa prolata fuerint ante manducationem, non tamen inde sequitur debuisse esse vera, antequam Apostoli Eucharistiam sumerent. Ergo. P. A. Christus præsentiam sui corporis promisit sub conditione, si nimirum Apostoli acciperent, & comederent quod ipsis porrigebatur. Ergo verba illa ante purificationem conditionis non debuerunt esse vera. R. N. A. Ad *probat.* N. A. Verba illa non continent promissionem, sed rationem, cur comedendum ac bibendum esset quod ipsis porrigebatur; quia nimirum illud erat verum corpus, verusque Christi sanguis: neque enim frustra addita est a Christo particula causalis *enim*, neque frustra præsens tempus notatur, *Hic est enim sanguis meus*, contra ac fieri solet in promissione, quæ per verbum futuri temporis exprimitur.

Aut Patrum auctoritas.

249. Objic. II. Auctoritas Patrum ac Theologorum. S. Clemens Romanus Epist. II. ad Jacobum Fratrem Domini scribit: *Tanta in altario holocausta offerantur, quanta populo sufficere debeant. Quod si remanserint, in crastinum non reserventur, sed cum timore & tremore Clericorum diligentia consumantur.* II. Origenes Hom. V. in Cap. VII. Levitici ait: *Dominus panem quem discipulis suis dabat, non distulit nec differri jussit in crastinum.* III. Humbertus Card. Sæculo XI. Græcos Constantinopoli reprehendit in libro suo contra Nicetam Pectoratum, quod illi toto Quadragesimæ tempore panem die Dominica consecratum asservent. IV. Gabriel Biel, nobilis Theologus Academiæ Tubinganæ circa finem Sæculi XV. Lectione XXXVI. in Canonem Missæ, ita loquitur: *Postquam Christus corpus suum consecravit, non sistebat in consecratione, neque dedit discipulis, ut honorifice conservarent: sed dedit in sui usum, dicens: Accipite, & comedite.* Ergo ex asservatione Eucharistiæ validum contra Protestantes argumentum instrui nequit. Resp. ad I. Episto-

stolam illam supposititiam eſse; & quamvis ùt genuina admitteretur, eam tamen Protestantibus non patrocinari. Auctor enim citatæ Epistolæ, quiscunque is demum fuerit, agit de illis Eucharistiæ portionibus, quæ ex quotidiana Fidelium communione remanebant, quasque jubet a Clericis consumi; minime autem negat aſservatam fuiſse Eucharistiam pro infirmis communicandis: immo in suo ævo factum fuiſse non obscure indicat circa initium citatæ Epistolæ: *Tribus gradibus*, inquit, *commiſſa ſunt Sacramenta divinorum ſecretorum, id eſt, Presbytero, Diacono, & Miniſtro, qui cum timore & tremore reliquias fragmentorum corporis Dominici cuſtodire debent, ne qua putredo in Sacrario inveniatur; ne cum negligenter agitur, portioni corporis Domini gravis inferatur injuria.* Ad II. Resp. Origenem loqui de sacrificio laudis, velleque ut novum semper canticum Domino canamus: quod probat tum exemplò Christi, qui consecratum panem statim distribuit, tum ex præcepto Apostolis dato, ne panes portarent in via. Dein quamvis Christus non præceperit aſservari Eucharistiam, id tamen minime prohibuit, sed Eccleſiæ dispositioni reliquit, quæ ætate Origenis Eucharistiam aſservabat, ut patet ex SS. Cypriano, & Dionysio Alexandrino. Ad III. Resp. Græcos non fuiſse ab Humberto reprehensos, quod Eucharistiam pro ægrotis aſservarent; sed quod contra morem Latinæ Ecclesiæ toto Quadragesimæ tempore, exceptis diebus Sabbathi & Dominicis, Miſsam imperfectam, sive ex die Dominica præsanctificatis celebrarent absque nova consecratione, quæ tamen ad verum & perfectum Miſsæ Sacrificium neceſsario requiritur. Ad IV. Resp. Gabriel Biel agnovit præsentiam realem Christi in Eucharistia etiam extra usum; ait enim l. c. *Non tantum prodeſt Chriſti corpus in pyxide conſervatum, ſicut oblatum & ſumptum in vera fide & devotione.* Urget itaque tantum fideles ad frequentem communionem eo ex capite; quia Christus non eo solummodò fine hoc Mysterium instituit, ut hono-

honorifice per vicos & plateas circumgestetur, sed præcipue ut eo spiritualiter nutriamur.

250. Objic. III. Ecclesiæ praxis. Ecclesia Jerosolymitana, teste Hesychio Sæc. VI. Scriptore, Lib. II. in Levit. Cap. VIII. solebat comburere quod supererat ex Eucharistia. II. Ecclesia Constantinopolitana, ut scribit Nicephorus Lib. XVII. Hist. Eccles. Cap. II. reliquias Eucharistiæ innocentibus pueris dabat manducandas. III. Fidelium cadavera frequenter olim cum Eucharistia sepulturæ tradebantur. IV. In damnatione Photii Episcopi in vino consecrato calamum intinxere: quod etiam fecisse dicitur Theodorus Papa, quando Pyrrhum Constantinopolitanum Monothelitam condemnavit. V. S. Augustinus Lib. III. Operis imperfecti, Cap. CLXII. narrat, mulierem cataplasma ex Eucharistia filio suo fecisse; quo imposito sanatus est puer. Ergo Ecclesia vel non asservavit Eucharistiam, vel saltem non credidit, Christum ante usum esse præsentem; alias maxima irreverentia Christo fuisset exhibita. Resp. ad I. in Ecclesia Jerosolymitana servatam quidem fuisse Eucharistiam pro infirmis aliquo tempore, sed non diu; post aliquot enim dies renovabatur, & quod ex priori supererat, igne absumebatur, ne forte vitium contraheret diuturna asservatione, ut ipse Hesychius l. c. non obscure indicat. *Quod reliquum est*, inquit, *de carnibus & panibus in igne incendi præcepit*, (Deus in veteri Testamento) *quod nunc videmus etiam sensibiliter in Ecclesia fieri, ignique tradi quæcunque remanere contingerit inconsumpta, non omnino ea quæ una die, vel duabus, aut multis servata sunt. Sicut enim apparet, non hoc legislator præcepit, sed quod reliquum est, incendi jubet.* Ad II. Resp. eadem de causa, ne scilicet corrumperentur, datas fuisse Constantinopoli superfluas particulas pueris innocentibus, non tamen omnes, ita ut Eucharistia pro ægrotis asservata non fuerit, aut saltem post dies aliquot renovata. Idem enim Nicephorus l. c. scribit: *Ut cum plusculum de partibus immaculati divinique corporis Domini reliquum esset*,

Non praxis Ecclesiæ.

ſet, Sacerdotes pueros incorruptos - - accerſerent. Ubi vox *pluſculum* aperte significat superfluas particulas. Ad III. Resp. generatim cum S. Augustino Lib. I. de Civit. Dei Cap. XXII. *Non quærimus utrum factum ſit, ſed utrum faciendum; ſana quippe ratio etiam exemplis anteponenda eſt.* Eucharistia data quidem mortuis fuit ex simplicitate ac bona fide; sed Ecclesia abusum hunc reprobavit in Carthaginensi III. A. 397. Cap. VI. & Antisiodorensi A. 578. Can. XII. Ad IV. Resp. Si vera sunt quæ Nicætas narrat in Vita S. Ignatii Patriarchæ Constantinopolitani, & Theophanes in Chronographia de Theodoro, cedunt in venerationem sacri sanguinis, quo subscriptionis veritas ostendebatur. Quamquam exemplum hoc admiratione magis quam imitatione dignum est, & a præsenti Ecclesiæ disciplina omnino abhorrens. Ad V. Resp. laudandam eſse fœminæ fiduciam, quam magnam fuiſse prodigiosa filii sanatio ostendit; factum vero excusatione magis quam laude dignum fuiſse. Quæ itaque Adversarii proferunt, non comprobant Ecclesiæ praxim, ad quam solam hac in re attendendum est; sed privatæ tantum personæ abusum, vel simplicitatem.

Non inſtitutio Chriſti.

251. Objic. IV. Institutio. Christus instituit Eucharistiam ut distribuatur, & a Fidelibus manducetur: at non præcepit, ut servetur in pyxide, adoretur in Ecclesia, aut circumgestetur in supplicationibus. Ergo cum extra usum institutio Christi non servetur, Eucharistia extra illum non est Sacramentum, neque in illa Christus est vere ac substantialiter præsens. P. C. Si materia & forma a Christo præscripta non adhibeatur, nullum fit Sacramentum. Ergo etiam Eucharistia nullum erit Sacramentum, si a Fidelibus juxta institutionem Christi non sumatur. Resp. D. A. Ut a Fidelibus manducetur statim, N. A. Aliquando, & suo tempore, C. A. N. C. Christus equidem non præcepit Eucharistiam aſservari in pyxide; at neque prohibuit id fieri. Ergo Ecclesia aſservando Eucharistiam, non agit contra institutionem

nem Christi. Profecto si res quoad suum esse ab usu penderet, sequeretur panem non esse cibum, nisi quando actu comeditur: neque vinum materiam esse aptam restinguendæ siti, quamdiu in dolio vel in vitro est. Ad *prob.* C. A. N. C. ac suppositum, quod Eucharistia juxta institutionem Christi sit sumenda statim ac a Sacerdote confecta est. Materia & forma sunt partes essentiales, ex quibus constant Sacramenta, juxta illud S. Augustini Tract. LXXX. in Joan. *Accedit verbum ad elementum, & fit Sacramentum.* At vero id dici nequit de fine institutionis, nisi adversarii dicere velint invalide illum baptizari, qui non ad emundandas animæ maculas, utque Christo inseratur; sed spe temporalis lucri aut honoris adipiscendi causâ, sacro fonte tingitur, quamvis debita materia & forma a ministris usurpetur.

Aut paritas suffragatur.

252. Objic. V. Paritas. Baptismus aliaque Sacramenta etiam juxta Catholicos consistunt in actione. Ergo idem dicendum est de Eucharistia. Resp. C. A. N. C. In signis ad placitum, qualia sunt Sacramenta. sola inspicienda est instituentis voluntas, quæ colligi debet ex verbis, quibus ea instituit, & antiquissima ac numquam interrupta traditione. Jam vero Christus Eucharistiam instituens, dixit Matth. Cap. XXVI. *Hoc est corpus meum;* quæ verba rem fixam ac permanentem significant: atque ita universa semper tenuit & intellexit Ecclesia. Habet itaque Eucharistia excellens aliquid & singulare. Sacramenta reliqua tunc primum vim habent sanctificandi, cum quis illis utitur; at vero in Eucharistia ante usum præsens est ipse Sanctitatis auctor, ex quo illa vim sanctificandi combibit.

CONTROVERSIA XI.

AN EXTERNUS ÆQUE AC INTERNUS LATRIÆ CULTUS CHRISTO SIT IN EUCHARISTIA EXHIBENDUS?

CONTRA PROTESTANTES.

Sacramentariorum circa adorationem Eucharistiæ.

253. Christum in Eucharistia adorandum eſse negant Sacramentarii omnes, eoquod Eucharistiam nihil aliud eſse contendant, quàm panem & vinum, figuras tantum corporis & sanguinis Dominici, quibus supremum adorationis cultum exhibere nefas sit, utpote creaturis, & quidem rationis & vitæ expertibus. Quod si vero constaret, Christum in Eucharistia realiter, vere, ac substantialiter præsentem eſse, ut docent Catholici, enimvero æquiſsimam eſse ajunt, immo vero neceſsariam omnino hanc adorationem, quamvis remaneret etiam substantia panis & vini una cum corpore Christi. Testes adducimus Sacramentariorum Triarios. Zwinglius in Exeg. Euchar. ad Luth. Tomo II. scribit: *Si Chriſtus hic eſt, cur non peccent qui non adorant?* Calvinus in Tract. Theol. de vera participatione Cœnæ: *Nos ſemper ſic ratiocinati ſumus, ſi Chriſtus eſt in pane, eſſe ſub pane adorandum.* Beza Lib. de Cœna Domini: *Id ſi ita eſſe crederem, adorationem illius profecto non modo tolerabilem & religioſam, ſed etiam neceſſariam arbitrarer.* Calviniani in Libro, cui titulus: *Admonitio de Libro concordiæ,* ita loquuntur Cap. II. *Si Chriſtus in pane Euchariſtico præſens eſſet corporaliter, neceſſario nos ad panem hunc converſos, oporteret ipſi reverentiam & adorationem Deo debitam exhibere. Alligata eſt autem adoratio ad hanc naturam aſſumptam a Filio Dei, ut ubicunque vel ſenſu noſtro, vel verbo ipſius conſtat eum eſſe præſentem, eo dirigi adorationem & honorem Chriſti animo & corpori neceſſe ſit; ſicut dictum eſt: Adorent eum omnes Angeli Dei.*

Et Lutheranorum ſententia.

254. Lutherani omnes, eo quod doceant Christum non eſse præsentem in Eucharistia ante usum, omnem

adora-

adorationem rejiciunt extra actionem Cœnæ, tamquam superstitiosam & idololatricam; præcipue vero quando Eucharistia a Catholicis per plateas cum facibus & hymnis defertur. An vero in ipso usu Christus adorandus sit, minime inter se conveniunt. Negant: Lutherus in Lib. de Euchar. ad Waldenses; Melanchton in judicio suo de Cœna Domini, edito A. 1559; Flaccius Illyricus in Confessione Antuerpiensi &c. Affirmant: Lutherus pro sua levitate & inconstantia in Lib. de formula Missæ, & in Lib. de verbis, *Hoc est corpus meum;* Bucerus in Actis Colloq. Ratisbonensis; Brentius in Apologia; Kemnitius in II. Parte Exam. Conc. Trident. Sess. XIII. Cap. V.

Deum Eucharisticum etiam extra actionem cœnæ, cultu latriæ externo & interno adorandum esse, ostenditur ratione in Scripturis fundata.

255. Conclusio. Christo in Eucharistia existenti, sive Hostiæ jam consecratæ, supremus latriæ cultus, externus æque ac internus est exhibendus. Prob. Conclusio dogmatica I^mo^ Ratione Theologica fundata in Scripturis & lumine naturali. Deo vero supremus latriæ cultus, externus æque ac internus exhibendus est, ut sana ratio nos docet, & Scripturæ præcipiunt. Atqui Christus statim post verba consecrationis realiter, vere, ac substantialiter existit in Eucharistia, estque verus Deus, Patri consubstantialis, idemque ipse, de quo Pater cœlestis, ut scribit Apostolus ad Hebr. Cap. I. *Cum iterum introducit primogenitum in orbem terræ, dicit: Et adorent eum omnes Angeli Dei.* Idem ipse, de quo ad Philippenses Cap. II. dicitur: *Donavit illi nomen, quod est super omne nomen, ut in nomine Jesu omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium & infernorum.* Ergo Christo statim post verba consecrationis in Eucharistia vere ac substantialiter præsenti exhibendus est supremus latriæ cultus externus æque ac internus.

Auctoritate Patrum.

256. Prob. II. Auctoritate Patrum. Origenes Tomo II. Operum, Hom. V. in div. loc. novi Testamenti ait: *Quando sanctum cibum, illudque incorruptum accipis epulum, tunc Dominus sub tectum tuum ingreditur. Et tu ergo humilians temetipsum imitare hunc Centurionem, & dicito: Domine non sum dignus.* S. Cyrillus Jero-

rosol. Catech. V. *Tum vero post communionem corporis Christi, accede & ad sanguinis poculum, non extendens manus* (uti in sumptione Eucharistiæ sub speciebus panis) *sed pronus, & adorationis ac venerationis in modum, dicens, Amen.* S. Ambrosius Lib. III. de Spiritu Sancto, Cap. XII. *Per scabellum terra intelligitur; per terram autem caro Christi, quam hodie quoque in Mysteriis adoramus.* S. Gregorius Nazianzen. Orat. de obitu Gorgoniæ sororis suæ scribit, *illam ad altare cum fide procubuisse, ipsumque qui super eo honoratur, cum ingenti clamore invocasse.* S. Augustinus Enarrat, in Psal. XCVIII. *Et quia in ipsa carne hic ambulavit* (Christus) *& ipsam carnem nobis manducandam ad salutem dedit; nemo autem illam carnem manducat, nisi prius adoraverit: inventum est, quemadmodum adoretur tale scabellum pedum Domini, ut non solum non peccemus adorando, sed peccemus non adorando.* S. Joan. Chrysost. Hom. III. in Epist. ad Ephes. *Considera, quæso, mensa realis est apposita: Angeli mensæ administrantes: Ipse Rex adest, & tu adstas oscitans? Igitur adora & communica.*

Ac Tridentini.

257. Hanc Patrum doctrinam perspectam cum haberet Tridentina Synodus, Sess. XIII. Cap. V. fidenter hæc pronuntiavit: *Nullus itaque dubitandi locus relinquitur, quin omnes Christi fideles pro more in Catholica Ecclesia semper recepto, latriæ cultum qui vero Deo debetur, huic Sanctissimo Sacramento in veneratione exhibeant. Neque enim ideo minus est adorandum, quod fuerit a Christo Domino, ut sumatur, institutum; nam illum eumdem Deum præsentem in eo adesse credimus, quem Pater æternus introducens in orbem terrarum dicit: Et adorent eum omnes Angeli Dei, quem Magi procidentes adoraverunt; quem denique in Galilæa ab Apostolis adoratum fuisse Scriptura testatur.* Et Can. VI. *Siquis dixerit, in Sancto Eucharistiæ Sacramento Christum Unigenitum Dei Filium non esse cultu latriæ, etiam externo, adorandum, atque ideo nec festiva peculiari celebritate venerandum, neque in Processionibus, secundum laudabilem & universalem*

Eccle-

Ecclesiæ Sanctæ ritum & consuetudinem, solemniter circumgestandum, vel non publice ut adoretur populo proponendum, & ejus adoratores esse idololatras; anathema sit.

258. Prob. III. Ex consensu Ecclesiæ Orientalis. Quod vetus Ecclesia Græca Christum in Eucharistia latentem adoraverit cultu latriæ, ostendunt tum Euchologia & Liturgiæ antiquissimæ, ex quibus constat, ritum elevandæ Hostiæ, non quidem statim post consecrationem, sed paulo ante communionem Sacerdotis, apud Græcos viguisse: tum ex iis Patrum Græcorum locis, quæ paulo ante laudavimus. Eumdem latriæ cultum a recentioribus Græcis Eucharistiæ deferri, quamvis a Latina Ecclesia divisi sint, adeo certum est, ut nihil magis. Pauca testimonia delibabimus. Gabriel Severus Philadelphiensis, juratus Latinorum hostis, in Apologia Ecclesiæ Græcæ, posteaquam docuit panem & vinum transubstantiari in carnem & sanguinem Jesu Christi, subjungit illico: *Inde provenit, quod ea non amplius honoremus simplici adoratione: honor quem impendimus, est cultus latriæ.* Petrus Mogilas in Confessione Russicæ Ecclesiæ, quam A. 1642. Græci in Concilio CPolitano, sub Parthenio, adoptarunt, Parte I. Quæst. CVII. scribit: *Honor, quem debes reddere terribilibus his Mysteriis, idem debet esse, ac quem reddis Jesu Christo. Sicut enim Petrus loquens loco Apostolorum omnium dicebat ad Jesum Christum: Tu es Christus Filius Dei vivi; sic & quilibet nostrum debet reddere cultum latriæ his Mysteriis.* Anno 1684. proposita fuit Simeoni Metropolitæ Dyrrachii a Protestantibus quæstio, quæ sit in Græca Ecclesia circa Eucharistiam fides. Simeon respondit inter alia apud Emmanuelem Schelstrate, qui hæc responsa ex autographo primus edidit Tomo II. Actorum Orientalis Ecclesiæ, pag. 656. *In sacra Liturgia quando Sacerdos facit ex pane & vino corpus & sanguinem Domini & Salvatoris nostri Jesu Christi, mutatur panis in corpus, & vinum in sanguinem Christi, & ab una substantia transmutatur in aliam vene-*

Atque ex consensu Ecclesiæ Græcæ.

randi

randi corporis & sanguinis, manente solum exteriori specie panis & vini cum accidentibus: & vere creditur & adoratur cultu latriæ Deus homo Jesus Christus, sicut sedet ad dexteram æterni Patris. Testatur præterea idem Simeon, singula ab se commemorata Fidei capita, quæ Calvinianis ac Lutheranis erroribus opposita sunt, credi ab omnibus Orientalibus Episcopis, Monachis, & omni populo, seque hoc longo rerum usu cognovisse. Eadem confirmat Daniel Metropolita Varnensis, tamquam vera & credita ab Orientali Ecclesia usque ad præsentem diem, sicut in universis Moscoviæ, Rufsiæ, Moldaviæque regionibus creditur. Subscripsit quoque Theophanes Metropolita Paronaxiæ, suoque testimonio roborat Raphael Metropolita Ancyranus, totius Phrygiæ & Galatiæ Exarchus. Dositheus Patriarcha in Synodo Jerosolymitana A. 1672. apud Harduinum in Actis Conciliorum Tomo XI. columna 254. exponens fidem Græcæ Ecclesiæ circa Eucharistiam, ait: *Credimus supremo colendum honore, cultuque latriæ idem Domini corpus & sanguinem esse adorandum. Quippe Sanctissimæ Trinitatis, & corporis sanguinisque Domini una est adoratio. Credimus ante usum, statim a consecratione, ac post usum id quod sacris in pyxidibus communioni moribundorum asservatur, corpus esse Domini verum.* Dionysius CPolitanus, in declaratione doctrinæ Ecclesiæ Græcæ adversus Calvinistas A. 1672. edita, cui XL. Episcopi Græci subscripserunt, apud Harduinum Tomo XI. col. 275. ait: *Idem vero Sacramentum cultus Dei est, uti & appellatur; nam & cultu Deo competente Christi Salvatoris Deificatum corpus adoratur in illo, & pro fidelibus Christianis omnibus, cum vivis tum defunctis, ceu hostia immolatur.*

Aliorumque populorum Orientis.

259. Idem cum Græcis sentiunt reliquæ Christianæ nationes per Orientem dispersæ. De Moldavis popularibus suis testatur Nicolaus Spadarius in Stella Orientali, quam Marchioni de Pomponne, Galliarum Regis Oratori apud Suecos, Holmiæ obtulit.

Cre-

Credimus, inquit, *Christi corpus & sanguinem in divina Liturgia omni modo latreutice adorandum cultu tam interno quam externo.* De Rusſis sive Moscis testantur Olearius Lutheranus, Holsatiæ Ducis Bibliothecarius, Oderbonus in Epist. ad Marchionem de Pomponne; immo quotquot fere in Rusſia fuerunt, qui uno ore referunt, eos adorantium more procumbere, quoties Eucharistia ad ægrotos defertur, & dum Sacrificium Miſsæ offertur, absoluta nempe consecratione, ac flexis genibus sæpius inclamare: *Hospodi Pomiluy*, id est, *Domine miserere nostri.* Eamdem eſse Armenorum, Syrorum, Nestorianorum, Coptorum sententiam Marchio Nointellius Gallicus CPoli Legatus datis ad Ludovicum XIV. Regem Christianiſsimum litteris perscripsit, consultis prius quam diligentiſsime illarum nationum ac sectarum Episcopis, qui proprio chirographo hanc eſse Ecclesiarum suarum fidem sancte testati sunt. Plura de hoc argumento inveniri poſsunt apud Emmanuelem Schelstrate in Actis Ecclesiæ Orientalis, Leonem Allatium, & Joannem Scheffmacher in Epist. ad Senatorem Argentoratensem.

Ex quo satis apparet, quid illi populi de Eucharistia sentiant.

260. Ex his quæ de adoratione ab Orientalibus populis Eucharistiæ semper exhibita diximus, manifeste evincitur I^mo^, hanc semper fuiſse Ecclesiæ Orientalis fidem, quod Christus vere, realiter ac substantialiter sit præsens in Eucharistia, mutata substantia panis & vini in corpus & sanguinem Domini. II. Ecclesiam Orientalem semper credidiſse, atque etiamnum credere, quod Christus non tantum in ipso usu sit substantialiter præsens in Eucharistia, verum etiam ante usum & comestionem, statim ac prolata sunt verba consecrationis; immo etiam post usum, id est post communionem populi, in illis nimirum particulis, quæ pyxidi inclusæ aſservantur.

Humana Christi natura eadem & unica cum Verbo ado

261. Quæres I. An adoratio latriæ sit etiam ipsi naturæ humanæ Christi deferenda? Resp. Humanam Christi naturam, hypostatice Verbo conjunctam, eadem & unica cum Divinitate Verbi adoratio-

ne

ratione colenda est. ne colendam esse; non quidem propter se & primario, sed propter increatam excellentiam Verbi, & quatenus natura humana est aliquid personæ divinæ, quæ per se, directe, ac primario adoratur. Prob. assertio I^mo^ Auctoritate Scripturarum, quæ nulla facta distinctione divinæ & humanæ in Christo naturæ, satis aperte insinuant, adorationem terminari ad Christum duplici natura constantem. Ad Hebr. Cap. I. dicitur: *Et adorent eum* (Christum) *omnes Angeli Dei.* Joan. Cap. IX. Cæcus a Christo illuminatus, ait: *Credo Domine. Et procidens adoravit eum.* Joan. Cap. V. ait Christus: *Pater -- omne judicium dedit Filio, ut omnes honorificent Filium, sicut honorificant Patrem.* Prob. II. Auctoritate Conciliorum. Ephesinum approbavit Synodicam S. Cyrilli Alexandrini Epistolam, in qua Anathematismo VIII. dicitur: *Si quis hominem assumptum una cum ipso Dei Verbo adorandum, una cum illo tamquam alterum in altero existentem, Deum appellandum esse dicere ausus fuerit: -- & non una potius adoratione Emmanuelem honorat, unamque illi glorificationem attribuit, quatenus Verbum factum est caro; anathema sit.* CPolitanum II. Can. IX. *Si quis in duabus naturis adorari dicit Christum, ex quo duæ adorationes introducuntur, separatim Deo Verbo, & separatim homini: vel siquis ad interemptionem vel ad confusionem Deitatis & humanitatis, vel unam naturam sive substantiam earum quæ convenerunt introducens, sic Christum adorat, sed non una adoratione Deum Verbum incarnatum cum propria ipsius carne adorat, sicut ab initio Dei Ecclesiæ traditum est; anathema sit.* Prob. III. Auctoritate Patrum. S. Athanasius in Epist. ad Adelphium scribit: *Rem creatam non adoramus: absit; Ethnicorum enim & Arianorum est hujusmodi error: sed rerum creatarum Dominum, carnem factum Dei Verbum adoramus. Etsi enim ipsa caro seorsim spectata pars sit rerum creatarum, attamen Dei facta est corpus. Neque vero hujusmodi corpus a Verbo dividentes adoramus, neque cum Verbum volumus adorare, ipsum a carne removemus.*

mus. S. Ambrosius Lib. III. de Spiritu Sancto, Cap. XII. *Per scabellum terra intelligitur; per terram autem Christi caro, quam hodie in Mysteriis adoramus, & quam Apostoli in Domino Jesu adorarunt: neque enim diversus est Christus, sed unus; neque cum adoratur tamquam Dei Filius, natus ex Virgine denegatur.* Prob. IV. Ratione. Totus Christus adoratur supremo cultu latriæ. Atqui totus Christus non est tantum personalitas Verbi, sed etiam omnis natura subsistens subsistentia Verbi, adeoque etiam natura humana Christi. Ergo eadem adoratione adoratur natura humana Christi, qua adoratur persona Verbi: hæc quidem primario ac per se; humanitas vero propter ineffabilem illam unionem cum natura divina & persona Verbi, quatenus est aliquid ad personam divinam pertinens, quæ sola per se directe ac primario adoratur.

262. Dices I. Soli Deo debetur cultus latriæ. Atqui humanitas Christi non est Deus. Ergo humanitati Christi non debetur cultus latriæ. II. Sacrificium offerri potest Christo ut Deo tantum, non ut homini. Ergo Christus adorari potest suprema adoratione ut Deus, non vero ut homo. III. Adoratio humanitatis Christi est tantum relativa. Ergo non est latreutica. P. A. Quamvis purpura cum Rege adoretur per modum unius objecti, tamen adoratio Regis est absoluta, & adoratio purpuræ est relativa. Ergo a pari, quando Verbum cum sua humanitate adoratur, adoratio Verbi est absoluta, & adoratio humanitatis est relativa ac priore inferior. IV. Saltem humanitati ut præcisæ per intellectum nostrum a natura divina, cultus tantum hyperduliæ competit. Resp. ad I. D. M. Soli Deo, tamquam objecto primario, & propter excellentiam propriam debetur cultus latriæ, C. M. Tamquam objecto secundario, N. M. Et D. min. Humanitas Christi non est Deus, si separata & sejuncta sit a Verbo, C. min. Humanitas hypostatice unita cum Verbo, subdist. Ita tamen, ut persona terminans naturam humanam Christi sit

verus Deus, C. Aliter, N. min. Ad II. N. C. Christus ipse in Lege Evangelica Sacrificium offert ministerio Sacerdotum: Christus autem qua homo non potest sibi ut homini, sed solum ut Deo sacrificare. At vero nos Christum adoramus non in ipsius Christi, sed in nostra persona ac proprio nomine, sicque recte possumus illum adorare cultu latriæ absoluto, non solum qua Deum, sed etiam qua hominem. Ad III. N. A. Adoratio relativa dicitur illa, qua aliquid adoratur propter excellentiam alterius suppositi ad quod habitudinem habet: At vero humanitas Christi adoratur propter excellentiam sui suppositi. Ad *prob.* C. A. N. C. Purpura est suppositum distinctum a persona Regis: contra humanitas Christi non est persona, sed natura adorata propter excellentiam personæ, cujus est natura. Ad IV. Resp. Quotiescunque adoratur Christus, separatio aut præcisio, quamtumvis etiam mentalis, locum habere nec potest nec debet, alias injuria fieret humanitati Christi; hæc enim cum semper sit Verbo inseparabiliter unita, propter increatam excellentiam ipsius Verbi digna est semper quæ concomitanter adoretur cultu supremo latriæ, qui inferiorem adorationem excludit.

Catholici perperam & inverecunde a Protestantibus vocantur artololatræ.

263. Quæres II. An Catholici jure a Protestantibus vocentur artololatræ sive adoratores panis, eoquod Christum Eucharisticum adorent? Resp. eos inverecunde omnino a Protestantibus ita vocari. Ipse Marc. Ant. de Dominis Lib. VII. de Republ. Christiana, Cap. XI. id agnovit, scribens: *Objiciet aliquis, adorationem panis idololatricum quemdam ferre secum reatum, & artololatras esse in Religione Catholica vitandos. Respondeo, me nullum idololatricum crimen in illa adoratione, si recte dirigatur intentio, agnoscere. Qui enim docent, panem non esse amplius panem, sed corpus Christi, illi profecto panem non adorant sed solum ex suppositione licet falsa* (ita Apostata Sacramentarius) *Christi corpus vere adorabile adorant.* Quod si etiam Protestantibus daretur, in Eucharistia præter corpus

Chri-

Christi contineri etiam substantiam panis & vini, (quod tamen salva fide afseri non pofse Controversia VIII. ostendimus,) ne tunc quidem sequeretur Catholicos efse artololatras; nisi pariter Protestantes velint eos omnes fuifse vestilolatras, qui Christum vestitum olim adoraverunt, ut Apostoli & Magdalena.

Aut Idololatræ.

264. Quæres III. An Catholici jure Idololatræ vocentur a Protestantibus, quia species Eucharisticas, sive totum Sacramentum Eucharistiæ adorant, quod consistit in corpore ac sanguine Domini, & speciebus panis ac vini? Resp. negative; quia cultu latriæ per se & proprie solum Christum adoramus, species vero seu sacra symbola cultu quodam minore prosequimur. Quamvis autem in adoratione species panis & vini a corpore & sanguine Christi non discernantur, & corpus ac sanguis Domini cum ipsis speciebus ut unum objectum attingantur: adoratio tamen non terminatur ad species, sed ad corpus & sanguinem Christi Salvatoris nostri, atque ipse Christus est scopus adorationis. In species tamen seu symbola sacra, corpori & sanguini Christi conjuncta, derivatur ex adoratione Christo impensa cultus religiosus, congruaque ac debita veneratio. Sicut cum Regem veneramur, personam vestesque regias ut unum objectum apprehendimus; & honor quem impendimus indutæ Majestati, ad vestes non terminatur, sed ad sacram personam, quamvis & in vestes ipsas regium corpus tegentes gradus quidam honoris refundatur.

Recte ac legitime Eucharistia a Catholicis circumgestatur in publicis supplicationibus.

265. Quæres IV. An licite & legitime circumgestetur a Catholicis Eucharistia in publicis supplicationibus? Resp. affirmative. Prob. afsertio Imo argumento negativo. Protestantes nulla solida ratione ostendere pofsunt, quod Catholici male agant Eucharistiam circumgestando in supplicationibus. Non enim repugnat institutioni Christi, qui quamvis hanc circumgestationem non præceperit, eam tamen minime prohibuit, sed determinationi Ecclesiæ reliquit.

Nulla occasio idololatriæ præbetur, cum verum Christi corpus animæ ac Divinitati unitum, verusque illius sanguis substantialiter sit præsens sub speciebus panis. Neque etiam obest exemplum Apostolorum aut veteris Ecclesiæ, quæ propter disciplinam arcani, Eucharistiam numquam publice circumferri sustinuit: primis enim temporibus, fervente persecutione, id agere tutum non erat; reddita vero per Constantinum pace, quamvis multæ hæreses exortæ fuerint, nullus tamen usque ad Sæculum XI. inventus est, qui realem Christi præsentiam in Eucharistia palam inficiaretur; ideoque necefsitas Ecclesiæ imposita non fuerat fidem suam hoc ritu contestandi. Prob. II. positive exemplo Davidis, qui II. Regum, Cap. VI. quamvis ad id nullo Dei præcepto urgeretur, Arcam fœderis maxima solemnitate ingentique apparatu de domo Obededom in Urbem Jerosolymitanam transtulit. Ergo longe magis Ecclesia pie ac laudabiliter agit, Sacratifsimum Christi corpus maxima pompa circumferendo; cum sana ratio dictet, Deum omni pofsibili honoris significatione adorandum efse. Quare desinant Protestantes subsannatis Michol vestigiis insistere, & pietatem magis Catholicæ Ecclesiæ erga Venerabile Sacramentum admirentur, & imitentur.

Recte ac legitime Festum & Officium Corporis Christi fuit institutum.

266. Quæres V. An recte egerit Urbanus IV. A. 1264. Festum & Officium Corporis Christi universæ Ecclesiæ præcipiendo? Resp. affirmative. Nam ex una parte Deus quem in hoc Sacramento præsentem adoramus, est omni honore, laude ac veneratione dignifsimus: ex altera parte Ecclesia potestatem habet justis de causis, etiam sine mandato Dei, novos dies festos instituendi, ut patet exemplo fidelium veteris Testamenti; legimus enim Estheris Cap. IX. festum sortium a Mardochæo, Judith Cap. XVI. festum victoriæ Judith ab Hebræis, I. Machab. Cap. IV. festum Encæniorum a Juda Machabeo, sine ullo Dei mandato fuifse institutum, quod etiam ipse Christus Dominus Joan. Cap. X. more Judæorum celebrare voluit.

267.

Quas rationes habuerit Ecclesia id Festum instituendi?

267. Cæterum causæ, ob quas Festum & Officium Sanctissimi Corporis Christi cum solemni Eucharistiæ per vicos & plateas circumgestatione ab Ecclesia institutum est, justissimæ fuerunt. I^{ma} est, ut Deo gratiæ agantur pro tanto beneficio, quod toti humano generi contulit, Eucharistiam instituendo. II. Ut aliquo modo compensentur injuriæ a Judæis, Gentilibus, Hæreticis, malisque Christianis huic Sacramento irrogatæ. III. Ut resarciatur quiquid a singulis Fidelibus debitæ venerationis per annum fuit neglectum. IV. Ut Ecclesia fidem suam de reali præsentia Christi in Eucharistia publice testetur; utque rudiores ex publica adoratione & honore illo eximio, qui huic Sacramento defertur, facilius discant falsam esse Novatorum doctrinam. V. Ut adversarii in conspectu tanti splendoris, & in tanta universæ Ecclesiæ lætitia, vel debilitati & fracti tabescant, vel pudore suffusi aliquando resipiscant.

Argumenta contraria refutantur.

Inania sunt Protestantium argumenta ex silentio Scripturarum.

268. Objicitur I. Silentium Scripturarum. Scriptura nullibi præcipit Christum in Eucharistia esse adorandum. Ergo hæc adoratio Deo placere nequit. P. C. Deus adorari debet eo modo quo ipse vult adorari. Ergo cum nullibi præceperit adorationem Eucharistiæ, hæc adoratio Deo placere non potest. Resp. I. retorquendo. Ex una parte Deus nullibi adorationem hanc prohibuit in Scripturis: ex altera parte adoratio hæc est omnino rationi & præcepto Dei generali conformis, quo Deum adorare jubemur. Ergo adoratio Eucharistiæ Deo displicere minime potest. Resp. II. Si de præcepto particulari sit sermo, C. A. N. C. Ad *prob.* D. A. Hoc est, Deo non debet aliquis cultus deferri quem ipse prohibuit, C. A. Deo nullus alius cultus deferri debet, quam quem ipse singillatim præscripsit, N. A. Magi, Apostoli, Magdalena, cæcus natus, aliique laudabiliter Christum adorarunt, quamvis Deus nec ipsam adoratio-

rationem, nec adorandi modum ipsis singillatim præceperit.

Exemplo Apostolorum. 269. Objic. II. Exemplum Apostolorum. Apostoli in ultima Cœna Eucharistiam non adorarunt. Ergo neque a nobis adoranda est. Resp. D. A. Apostoli non adorarunt Eucharistiam adoratione externa, procumbendo in genua, C. A. Apostoli illam non adorarunt adoratione saltem interna, N. A. & Conseq. Apostoli cum Christo agentes, quandoque illum proni adorabant, alias autem mente & animo, probe conscii Christum esse verum Deî Filium. Itaque in ultima Cœna Apostoli neutiquam tenebantur majorem honorem Christo sub speciebus panis latenti exhibere, quam eidem in forma humana visibiliter præsenti, quocum semper prostrati agere non poterant; præcipue eo tempore, quo non sedebant ad mensam, ut nostra fert consuetudo ususque, sed veteri more in lectis recumbebant.

Fine institutionis. 270. Objic. III. Finis institutionis. Eucharistia idcirco a Christo fuit instituta, ut Christus in illa manducetur. Ergo adoratio repugnat fini primario institutionis. Resp. I. retorquendo. Ergo Rex in mensa sedens honorandus non erit, quia sedet ibi ut comedat, non ut adoretur. Ergo Christus quamdiu nobiscum in terris versabatur, numquam fuit adorandus, quia non honorem suum, sed gloriam Patris quærebat, ut ipse Christus diserte testatur Joan. Cap. VIII. *Ego autem non quæro gloriam meam.* Resp. II. C. A. N. C. Adoratio non impedit primarium finem institutionis, sed potius efficit, ut majori cum fructu, ac ferventiori devotione Eucharistia a fidelibus percipiatur.

Paritate. 271. Objic. IV. Paritas. Rex qui se in alieno habitu occultat, offenditur, siquis illum latentem detegens, publicis honoribus & acclamationibus prosequatur. Ergo etiam Christo in Eucharistia latenti adoratio illa non potest censeri accepta. Resp. D. A. Si Rex nolit agnosci, neque se ipsum in veste illa peregrina manifestet, C. A. Secus, N. A. & Conseq.

Chri-

Christus quamvis sub speciebus panis & vini lateat, sensusque nostros fugiat ut fidem nostram exerceat; diserte tamen præsentiam suam manifestavit verbis institutionis, *Hoc est corpus meum;* vultque ut rejecto sensuum testimonio, intellectum nostrum in obsequium fidei captivemus, credentes in Eucharistia verum Christi corpus realiter ac substantialiter contineri. Ergo fieri non potest, quin adoratio a fidelibus exhibita, Christo sit grata.

Sequelis.

272. Objic. V. Sequela. Si Eucharistia adoranda esset ob realem Christi præsentiam, sequeretur adorandos etiam esse fideles statim post acceptam Eucharistiam: immo adoranda esse etiam animalia, quia Deus omnibus creaturis intime præsens est vi immensitatis suæ. Atqui hoc dici nequit. Ergo. Resp. N. M. Eucharistia a nobis adoratur, quia Christus in ea continetur solus, nulla alia præsente substantia, quæ simul adorari videretur: & quia species Sacramentales, quibus modo prorsus admirabili in Eucharistia velatur Christus, sunt aliquid Christi ut in Sacramento existit, & apprehenduntur ut unum quid in statu Sacramentali. Hæc autem ratio minime pugnat pro fidelibus a sacra Communione statim recedentibus, aut pro creaturis, quibus Deus vi immensitatis suæ inest.

Atque idololatriæ periculo petita.

273. Objic. VI. Idololatriæ periculum. Si Christus in Eucharistia adoratur, fideles periculo exponuntur idololatriæ: fieri enim potest, ut Hostia Sacerdotis malitiâ non fuerit consecrata, sicque populus panem usualem adoret, ac pro Deo habeat. Ergo adoratio hæc rejicienda est. Resp. I. Ergo etiam abroganda erit communio, ne fideles periculo exponantur recipiendi ex malitia Sacerdotis panem usualem pro corpore Christi. Resp. II. D. A. Fideles exponuntur periculo idololatriæ formalis, N. A. Idololatriæ materialis, subdist. Fideles exponuntur periculo proximo illius, N. A. Valde remoto, C. A. N. C. Quando Eucharistiam adoramus, intentionem nostram semper dirigimus ad Christum, Hostiam rite

te non consecratam minime adoraturi. Ergo etiamsi Hostia non eſset consecrata; nullum tamen daretur periculum idololatriæ formalis, sed mere materialis, & quidem valde remotum; rariſsime enim contingere solet, ut Sacerdos nolit consecrare, velitque simulatione sua fideles decipere. Idcirco tamen neutiquam sequitur, Eucharistiam a nobis sub conditione tantum adorandam eſse, si nimirum Hostia legitime sit consecrata; sed absolute omnino est adoranda, quia certitudo moralis negativa una cum providentia divina, quæ in re tanti momenti non facile permittit fideles decipi, sufficit ad hoc ut dubitare non liceat, an etiam sub hac determinata Hostia Christus sit præsens: sicut certitudo moralis negativa, quod hi sint nostri parentes, sufficit ut prudenter illos colamus absolute, veneremur, eisque obedientiam præstemus.

ARTICULUS V.

DE SACROSANCTO MISSAE SACRIFICIO.

CONTROVERSIA I.

AN IN MISSA VERUM NOVÆ LEGIS SACRIFICIUM DEO OFFERATUR?

CONTRA PROTESTANTES.

Sacrificium internum quid ſit, & externum late ſumptum?

274. Sacrificium interius & invisibile, est actus interior, quo nosmetipsos offerimus Deo, parati ipsi adhærere, & facere in omnibus quod placitum ei fuerit. Hoc genus sacrificii tunc præcipue offerimus, cum Deum ex toto corde diligimus. Hinc sæpe S. Augustinus ait: *Non colitur Deus niſi amando;* non quod fide aliisque virtutibus Deus non colatur, sed quia per charitatem perfectiſsime colitur. Sacrificium exterius improprie sumptum & secundum significationem latiorem, sunt omnes & singuli religionis

actus

actus externi, quibus creatura ratione prædita offert se Deo, & supremo Numini conjungitur: quo sensu oratio, laus Dei, contritio, misericordia, cæteraque bona opera Sacrificium in Scripturis dicuntur. Dixi, *Sacrificium in latiori & improprio sensu;* quia opera virtutum in Scripturis non vocantur simpliciter sacrificia, sed cum addito, v. g. *Sacrificium spiritus contribulati, cordis contriti & humiliati.* Immo quandoque hæc virtutum opera Sacrificiis opponuntur, ut v. g. Oseæ Cap. VI. *Misericordiam volui, & non Sacrificium.* I. Reg. Cap. XV. *Melior est obedientia quam victimæ.* Neque obest, quod S. Augustinus Lib. X. de Civit. Dei, Cap. VI. scribat: *Verum Sacrificium est omne opus quod agitur, ut sancta societate inhæreamus Deo, relatum scilicet ad illum finem boni, quo veraciter beati esse possimus.* Bona enim illa opera appellantur ab Augustino verum Sacrificium ratione dignitatis & effectus, non ratione formæ & esentiæ Sacrificii proprie dicti: neque aliud intendit S. Doctor. quam sacrificia hæc interiora præstantiora & Deo esse gratiora, quam exteriora sacrificia sine interioribus, quibus facilius Dei Majestas placatur, & nobis conciliatur.

Sacrificium exterius vere ac proprie tale quid sit?

275. Sacrificium exterius & visibile in sensu proprio, rigoroso & Theologico, est oblatio rei exterioris & sensibilis, cum ejus destructione vel immutatione, soli Deo facta, per legitimum ministrum, ad recognoscendum supremum ejus in res omnes creatas dominium, ritu mystico consecrata. Dicitur I. *Oblatio rei exterioris & sensibilis*, id est, actio Ministri offerentis victimam exteriorem & sensibilem; quia homines per sacrificia in unius ejusdemque Religionis cultum coadunantur, nec nisi signis sensibilibus manifestant, quod intus in animo gerunt. Sacrificium itaque proprie dictum, quatenus est rei sensibilis, distinguitur a sacrificio contriti cordis & interiorum animæ affectuum, quibus Deo inhæretur. II. *Cum ejus destructione vel immutatione*, ut distinguatur sacrificium stricte sumptum a simplici oblatione. Itaque res oblata ut dicatur sacrificari, debet aliquo modo de-

strui, id est, debet per actionem sacrificandi poni in statu deteriori & inepto ad suos usus naturales, atque ad interitum tendente, ut patet in liquoribus qui fundebantur in libatione, vel in mactatione animalium quæ imponebantur Altari, concremanda vel in totum vel ex parte. Ratio est, quia sacrificando intendunt homines significare, se totum suum esse, & illius destructionem, si eam postulet, Deo debere. III. *Soli Deo facta*; quia soli Deo debetur supremus Latriæ cultus, quem sacrificio testatum voluere unanimi consensu omnes omnino populi, etiam Ethnici: nec ob aliud Dæmones superbe sibi sacrificia exigunt, nisi quia pro Deo coli volunt & adorari. IV. *Per legitimum Ministrum.* Nimirum non per hominem qualemcunque, sed eum qui ad hoc ministerium vocatur. Hinc ad Hebr. Cap. V. ait Apostolus: *Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur a Deo, tamquam Aaron.* In Lege Mosaica solis licuit Sacerdotibus ex stirpe Aaron offerre Deo Sacrificia. Ante Moysen, & sub Lege quam naturæ dicimus, fuisse Ministros Dei nutu ad Sacrificia destinatos vel ex eo liquet, quod Melchisedech Sacerdos Dei altissimi fuisse dicatur; quod utique non diceretur, si omnibus promiscue licuisset Sacerdotis officio fungi. Qui in Lege naturæ Sacerdotes fuerint, non certo constat; altum enim ea de re silentium est in Scripturis. Id muneris illis concessum fuisse vulgo creditur, qui cujusque familiæ caput essent. Nec obstat, quod fratres duo Cain & Abel sacrificia legantur obtulisse: nam singulos ex Adamo & Eva immediate genitos pro Patribusfamilias habitos fuisse constat, in totum orbem mox cum sua familia dispergendos. V. *Ad recognoscendum supremum ejus dominium.* Nam externo sacrificio homo servitutem suam, infirmitatem, indigentiam solemniter profitetur, simulque contestatur, quidquid boni habet se ab illo accepisse, a quo omne datum optimum, donumque perfectum procedit: nec enim offert Deo sacrificium, tamquam hujusmodi muneribus & officiis indigenti, quod

cogi-

cogitare perfatuum atque sacrilegum esset, sed quia ipse Deo in omnibus & perpetuo indiget. Insuper per victimæ mactationem sive physicam sive moralem, agnoscimus Deum esse rerum omnium auctorem & Dominum, profitemurque nos totos divinæ Majestati devovere cum victima, cujus sanguinem in hujusce nostri affectus signum offerimus. VI. *Mystico ritu consecrata;* quia res illa quæ Deo offertur, ex profana debet fieri sacra & Deo dicata. Ista autem consecratio & dedicatio semper in Lege veteri fiebat certo ritu & cæremonia Mysterium aliquod continente.

Sacrificium exterius & visibile sine interiori nequit Deo placere.

276. Ut autem delectetur Deus hac oblatione, necesse est eam & interius fieri. Actus enim ille quo res exterior offertur exterius Deo, debet ex intimo cordis affectu prodire; alioqui ex parte Ministri offerentis nullius esset meriti apud Deum, qui opus externum ex mentis & cordis affectione pensitat. Joan. Cap. IV. *Veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu & veritate. Nam & Pater tales quærit qui adorent eum.* Qui ergo in veteri Testamento externis sacrificiis Deo litabant, ii tunc solum offerebant gratum Deo sacrificium, si externa illa oblatione significarent interiorem cordis affectum erga Deum, & sacrificium interius conjungerent cum exteriori illius signo. Hujus interioris sacrificii defectu plerumque contigit, ut Judæorum exteriora sacrificia omnino respuerentur a Deo. Idem usuvenit in Christianis. Cum enim sacrosanctum Missæ Sacrificium offerunt per manus Sacerdotis, debent & ipsi cum Christo, in Christo, & per Christum offerre semetipsos oblationem Deo. Id ni faciant, acceptissimum est quidem Deo Sacrificium illud quatenus offertur ab ipso Christo, qui primus præcipuusque est hujus Sacrificii minister; sed quatenus offertur a Christianis, rejicitur, quia ipsi rem sacratissimam faciunt animo a Dei cultu alieno.

Quot Sacrificiorum genera fu-

277. Apud Judæos duplex fuit Sacrificiorum genus, cruenta alia, alia incruenta. Cruenta sacrificia

erint olim apud Judæos? sione sanguinis constabant, triaque apud illos numerabantur. I^{mum} erat holocaustum, sacrificii genus quo victima post immolationem tota subjiciebatur igni, donec omnino consumpta fuisset, ut hac victimæ immolatione & absoluta consumptione Supremo Numini plene litaretur, & summum obsequium, omnimoda servitus, atque adoratio perfecta quantum est in homine, Deo deferretur. Alterum sacrificium erant hostiæ pacificorum, idcirco institutum, ut agerentur Deo gratiæ pro acceptis bonis, vel nova ab ipso beneficia impetrarentur. Tertium erat sacrificium pro peccato, sive pro peccatorum expiatione institutum. Incruenta dicebantur illa sacrificia, quæ absque effusione sanguinis peragebantur, & triplicis erant generis; nimirum sacrificium similæ, sacrificium hirci emissarii pro peccatis totius populi, & sacrificium passeris in libertatem emissi: quibus addi potest sacrificium thuris & thymiamatum, & libamina vini, quæ singulis sacrificiis miscebantur. Horum omnium sacrificiorum utilitas fuit, I^{mo}, ut hoc exteriori ritu significarent Judæi, quomodo essent interius affecti erga Deum, exhiberentque Supremo Numini cultum externum. II^{do}. Ut in his sacrificiis adumbraretur magnum illud Sacrificium oblatum a Christo in Cruce, continuatumque in terris super altare Eucharisticum per totam Ecclesiam.

Quid significarint sacrificia veteris Testamenti? 278. Cum vero sacrificia illa vetera imperfecta fuerint, non poterant singula totum Christi Sacrificium exprimere, & tot ac tanta adumbrare mysteria; adeoque hæc partem unam, illa partem alteram mysteriorum significando exhibebant. Itaque sacrificia cruenta pecorum vel volatilium occisorum, typus erant Christi in Cruce immolandi, qui Apocal. Cap. XIII. dicitur: *Agnus qui occisus est ab origine mundi.* Occisus quippe fuit aliquo sensu in singulis victimis ab origine mundi mactatis; siquidem non nisi mortis & sanguinis illius merito vim & efficaciam habere, & acceptæ Deo esse poterant veteres illæ victimæ quotquot ante Christi mortem fuerunt a mundi

di principio immolatæ. Panis & vini sacrificium a Melchisedecho Sacerdote Altissimi oblatum, typus erant magni illius & incruenti Sacrificii, quod Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech Christus Dominus sub speciebus panis & vini obtulit, atque etiamnum offert per Sacerdotes vicarios suos in omnibus Christiani orbis provinciis. Atque id ipsum exprimebant incruenta alia Judæorum sacrificia. Verum a proposita mihi brevitate longissime discederem, si singillatim explicare vellem res expressas & adumbratas per sacrificia Judaica. Vide hac de re plura apud Franciscum Pouget in Institutionibus Catholicis, Parte III. Sect. II. Cap. VII. Paragrapho. VI.

Quotuplex sit Sacrificium ratione finis?

279. Sacrificium proprie dictum ratione finis est quadruplex, dividiturque in Latreuticum, Eucharisticum, Impetratorium, & Propitiatorium. *Latreuticum* dicitur ob cultum latriæ, seu perfectæ servitutis, qui Deo supremo rerum Domino exhibetur, & holocaustum a Judæis appellabatur, omnium sacrificiorum præstantissimnm. *Eucharisticum* fit in gratiarum actionem pro acceptis, *Impetratorium* vero pro accipiendis beneficiis, atque utrumque in Lege vetere dicebatur hostia pacifica. *Propitiatorium* dicitur, quod Deum nobis propitium ac placatum reddit; & offertur pro peccatis, ac pro peccatorum pœnis & flagellis avertendis, atque hostia pro peccato vocabatur. Porro supremæ Dei Majestati, sub cujus dominio cuncta sunt posita, competit sacrificium Latreuticum: immensæ Dei bonitati erga nos, a qua nova quotidie ac maxima beneficia consequimur, debetur sacrificium Eucharisticum: perfectæ Dei beatitudini, qua Deus in plenitudine divinarum suarum perfectionum quescit infinite beatus, & cujus nos participes esse voluit, respondet sacrificium Impetratorium, in quo postulamus quæcunque utilia sunt ad illam consequendam: infinitæ Dei justitiæ, quam ingrati incessanter offendimus & provocamus, sacrificium Propitiatorium offerimus, quo animi nostri dolorem, &

since-

sincerum plene satisfaciendi quantum posſumus desiderium exprimimus, parati cum exteriori victima immolari.

Miſſa quid ſit, & cur ita dicta?

280. Sacrificium exterius & visibile in sensu proprio, rigoroso ac Theologico etiamnum in Religione Christiana existere ac semper extitiſse, Catholica docet & credit Ecclesia, nimirum Sacrificium corporis & sanguinis Christi, quod Christus & Ecclesia offerunt Deo per ministerium Sacerdotum sub specie panis & vini, ad continuandum & repræsentandum Sacrificium in Cruce oblatum. Sacrificium hoc *Miſſa* nuncupatur, cujus vocis origo probabilius repetenda est a mittendo; adeo ut idem significet Miſsa, quod miſsio, seu dimiſsio. Nimirum solemniter olim post Orationes, Lectiones, ac Sermones habitos dimittebantur Catechumeni, Infideles, Pœnitentes, aliique quibus vetitum erat Sacrificio intereſse. Item peracto Sacrificio solemniter dimittebantur Fideles, sicut etiamnum dimittuntur per illa verba: *Ite, Miſſa eſt.* Vocabulum hoc *Miſſa* quamvis in Scripturis non inveniatur, antiquiſsimum tamen est, & IV. jam ut minimum sæculo ad designandum incruentum altaris Sacrificium usurpabatur, ut patet ex S. Ambrosio in Epist. ad Marcellinam sororem. S. Augustino Serm. XCI. de Tempore. S. Leone Epist. XI. alias LXXXI. ad Dioscorum. Victore Vitensi Lib. II. de Persecut. Vandalica. Vide Card. Bona Lib. I. Rerum Liturg. Cap. III.

Miſſæ convenit notio Sacrificii ſtricte ſumpti.

281. Sacrificii stricte sumpti definitionem Miſsæ convenire, in aperto est. Nam I^mo^ Miſsa est *oblatio rei exterioris & ſenſibilis*, id est, corporis & sanguinis Christi sub specie externa & sensibili panis & vini. II. *Cum ejus deſtructione vel immutatione.* Verba enim consecrationis, quorum vi corpus Christi præsens sistitur sub specie panis, & sanguis sub specie vini, faciunt separationem quamdam mysticam corporis Christi ab ejus sanguine. Nam vi verborum corpus Christi reipsa sub specie panis sisteretur separatum a sanguine, si aliunde corpus illud non eſset vivens.

vivens. Præterea in Miſsa exhibetur & repræsentatur immolatio Christi reipsa facta in Cruce. Nec necesse est ad Sacrificii veritatem, ut sit in eo realis immolatio, distincta ab ea quæ in Cruce facta est; Sacrificium enim Miſsæ aliud non est quoad substantiam a sacrificio Crucis. III. *Soli Deo facta;* nam soli Deo offertur Miſsa. Fit quidem in ea Sanctorum memoria, sed non offertur illis sacrificium. *Quis enim Antiſtitum*, scribit S. Augustinus Lib. XX. contra Faustum, Cap. XXI. *in locis ſanctorum corporum aſſiſtens altari, aliquando dixit, Offerimus tibi Petre, aut Paule, aut Cypriane: ſed quod offertur, offertur Deo qui Martyres coronavit.* IV. *Per legitimum miniſtrum*, nempe per Episcopos vel Presbyteros, qui eo in munere sunt ministri tum Christi cujus vices gerunt, tum populi & Ecclesiæ pro cujus salute illud offerunt. V. *Ad recognoſcendum ſupremum ejus in omnes res creatas dominium.* Quia hoc sacrificium vere Latreuticum est, holocaustum perfectiſsimum, Deo gratiſsimum, in quo illi offertur Agnus sine macula, pro nobis immolatus. VI. *Ritu myſtico conſecrata;* panis enim & vinum per verba Evangelica sanctificantur & consecrantur, adhibenturque in Miſsarum celebratione certi ritus sacri & cæremoniæ, ab Ecclesia gratiſsima Christi Sponsa institutæ.

Quid Proteſtantes de Miſſa ſentiant?

282. Aliud de Miſsa sentire placuit Novatoribus nostrorum temporum, qui omnia ferme Romanæ Ecclesiæ dogmata, data opera convellere sunt adnisi. Lutherus A. 1520. Librum edidit de Captivitate Babylonica, quo docet in actione Cœnæ, seu Miſsa, nos nihil Deo offerre præter Orationes. A. 1521. Librum conscripsit de abroganda Miſsa privata, & A. 1522. alium contra Regem Angliæ, in quibus idem repetit. A. 1523. formulam Miſsæ pro Ecclesia Vittenbergensi vulgavit, in qua admittit Introitum cum Psalmo, Kyrie eleyson cum hymno Angelico *Gloria in excelſis Deo*, collectam cum oratione, Graduale cum Alleluja, & paucis quibusdam prosis sive sequentiis, ut de Spiritu Sancto & Natali Domini,

ni, item Evangelium, & Symbolum CPolitanum. Tum subjungit: *Sequitur tota illa abominatio, cui servire coactum est quidquid in Missa præcessit: unde & Offertorium vocatur; & abhinc omnia fere sonant ac olent oblationes.* Et infra: *Proinde omnibus illis repudiatis quæ oblationem sonant cum universo Canone, retineamus quæ pura & sancta sunt.* Tum deinde prolatis verbis Dominicis præscribit consecrationem Eucharistiæ & Communionem. Similiter in Confessione sua quam A. 1528. edidit, supra omnes abominationes se dicit habere Missam, & nihil magis dolere, quam quod per annos XV. more Catholicorum Missas celebrarit. Denique eo amentiæ progressus est, ut A. 1534. in Lib. de Missa angulari & unctione Sacerdotum Germanica lingua conscripto, quem postea ipso hortante Luthero Justus Jonas Latinum reddidit, non tantum se a diabolo afflictum narraverit, id quod multis Sanctis accidit; verum etiam nocturnam cum dæmone disputationem, terrorem suum, pulsum cordis, vocem dæmonis horrificam, vimque argumentorum ejus graphice descripserit, quorum robore prostratum se fatetur, huncque mendacem spiritum, suum fuisse in abroganda Missa privata Magistrum. Frustra hic a Protestantibus dicitur, dæmonem eo tantum fine disputasse, ut Lutherum propter objectas idololatrias in desperationem conjiceret: siquidem eventus aliud omnino sentire nos cogit. Luthero enim manus dante, dæmon disputationis finem fecit, ipseque Lutherus credidit, didicisse se aliqua quæ antea ignorasset. Cæterum argumenta illa a dæmone allata, in ipsam Augustanam Confessionem sunt relata, quamvis non eodem ordine servato, quo ea Lutherus descripsit. Ulricus Zwinglius author fuit Tigurinis, ut Missam penitus abrogarent tamquam sacrificio Crucis injuriosam. Idem Genevensibus persuasit Calvinus, & a ritu Sacramentorum oblationis nomen penitus delevit, ut antiqui sacrificii nec minimum vestigium superesset. Horum premunt vestigia non Sacramentarii modo, quod permirum non foret, verum

rum etiam Lutherani, Melanchton, Brentius, Illyricus, Kemnitius, aliique. Quamvis enim contra Sacramentarios realem Christi præsentiam in Eucharistia tueantur; eam tamen ante usum, seu realem Eucharistiæ manducationem non admittunt.

In vera Religione debet dari Sacrificium externum vere ac proprie tale.

283. Conclusio I. In vera Religione debet dari Sacrificium externum vere ac proprie tale, quod ab hominibus qui in ea sunt, frequentari posfit, quamdiu ea durat. Prob. I^mo Ratione. De ratione veræ Religionis est, ut exhibeat Deo cultum internum atque exteriorem, ipsi proprium & ipsi soli debitum; lumen enim rationis dictat, Deum esse summe colendum; quod certe non fieret, nisi Deo tribueretur honor ipsi soli proprius. Atqui cultus qui soli Deo debetur, consistit in sacrificio proprie dicto; alia enim omnia exterioris honoris genera, quæ Deo posfent exhiberi, sunt illi aliquo modo communia cum creaturis. Ergo sacrificium proprie tale est de ratione veræ Religionis. Atqui Christiana Religio est vera Religio, & sublata Misfa nullum habet sacrificium proprie dictum. Ergo in Misfa verum ac proprie dictum sacrificium Deo offertur. Prob. II. ex consensu omnium populorum. Omnes Gentes, quamvis lingua, ingenio, moribus, atque institutis a se invicem disfiderent, Deos suos sacrificiis exterioribus sunt veneratæ, Altaria erexerunt, Reges Sacrorum, Pontifices, Sacerdotes, Flamines constituerunt. Ergo Lex naturæ omnium cordibus inscripta dictat, Deo supremo rerum omnium Domino sacrificium exterius esse offerendum. Prob. III. a pari. Lex naturæ & Mosaica habuerunt sacrificia proprie dicta, ut Scriptura testatur de Abel, Noë, Job, Abrahamo, & Melchisedecho, ac sacrificiis Judæorum ab ipso Deo præscriptis. Ergo etiam in Lege Evangelica debet dari sacrificium; alias in Lege Evangelica Fideles inferiori cultu Deum prosequerentur, quàm olim Judæi in Lege Mosaica; cum sacrificium proprie dictum sit summus latriæ cultus. Neque dicas, cultum internum quem Christiani Deo præstant, nobilio-

liorem eſse exteriori illo. Respondeo enim, cultum quidem internum nobiliorem eſse solo externo, at internum cum externo conjunctum, meliorem & nobiliorem eſse solo interno. Unde Christiani sacrificio proprie dicto indigent, ut nobiliorem cultum Deo exhibeant.

Christum Eucharistiam instituendo, ſemetipſum incruente Patri ſacrificaſſe, oſtenditur ex Sacerdotio Chriſti ſecundum ordinem Melchiſedech.

284. Conclusio II. Christus in ultima Cœna instituens Sacramentum Eucharistiæ, Sacrificium proprie dictum Patri obtulit, seque incruente Deo Patri sacrificavit sub speciebus panis & vini. Prob. Conclusio triplici argumento ex Scripturis petito. Primum est. Psal. CIX. dicitur: *Juravit Dominus, & non pœnitebit eum: Tu es Sacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech.* Quæ verba de Christo dicta eſse testatur Apostolus ad Hebr. Cap. V. *Chriſtus non ſemetipſum clarificavit ut Pontifex fieret: ſed qui locutus eſt ad eum: Filius meus es tu, ego hodie genui te. Quemadmodum & in alio loco dicit: Tu es Sacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech.* Ex quibus locis hoc argumentum instruitur. Christus constitutus fuit a Patre Sacerdos & Pontifex secundum ordinem Melchisedech. Ergo eo ritu, quo Melchisedech, sacrificium offerre debuit. Ut enim Apostolus ad Hebr. Cap. V. ait: *Omnis namque Pontifex ex hominibus aſſumptus, pro hominibus conſtituitur in iis quæ ſunt ad Deum, ut offerat dona & ſacrificia pro peccatis.* Sed Melchisedech sacrificium Deo obtulit in pane & vino. Genes. Cap. XIV. *At vero Melchiſedech Rex Salem, proferens panem & vinum, erat enim Sacerdos Dei altiſſimi, benedixit ei, & ait: Benedictus Abram Deo excelſo.* Ergo etiam Christus sacrificium Deo obtulit in pane & vino. Atqui id Christus nullibi fecisse legitur, nisi post cœnam legalem, quando Eucharistiam instituit. Ergo instituendo Eucharistiam verum sacrificium Deo obtulit.

Ex verbis inſtitutionis.

285. Alterum argumentum petitur ex verbis institutionis. Christus verbis illis, *Hoc eſt corpus meum* &c.

&c. substantiam panis & vini mutavit in proprium suum corpus & sanguinem, ut per sacrificium, modo ad maximum Dei cultum aptissimo, infinitam Dei excellentiam revereretur, & pridie mortis suæ protestaretur dominium quod Deus habet in vitam & mortem. Ergo Christus verum obtulit, licet incruentum corporis & sanguinis proprii sacrificium. Omnia enim hic occurrunt, quæ ad immolationem hostiæ pertinent, benedictio, gratiarum actio Deo largitori bonorum omnium facta, fractio & divisio partium, separatio sanguinis a corpore (non realis quidem, sed mystica) destructio panis & vini, ac denique participatio hostiæ, quæ maxime in sacrificiis pacificis locum habet.

Atque ex Agno paschali, qui figura erat Eucharistiæ.

286. Tertium argumentum desumitur ex agno paschali. Agnus paschalis verum erat sacrificium; dicitur enim Numerorum Cap. IX. *Siquis autem & mundus est, & in itinere non fuit, & tamen non fecit Phase, exterminabitur anima illa de populis suis, quia sacrificium Domino non obtulit tempore suo.* Eratque figura non tantum immolationis cruentæ Christi in ara Crucis, sed etiam incruentæ ac mysticæ in ultima Cœna. Ergo cum inter legalem umbram & corpus, inter figuram & veritatem debeat dari similitudo; sicut occisio & celebratio Agni verum erat sacrificium: sic celebratio & consecratio Eucharistiæ in ultima Cœna fuit verum sacrificium, adeoque Christus Eucharistiam non tantum instituit ut ederetur, sed etiam ut sacrificaretur. P. A. Nam I^mo Christus post cæremonias Agni paschalis continuo Eucharistiam instituit, neque in aliud tempus aut locum distulit, ut aperte ostenderet se nova hac cæremonia veterem figuram implere. II^do. Eucharistiam instituit Luna XIV. ineunte, qua Agnus paschalis immolari debebat. III^tio. Agnus immolabatur in memoriam transitus Domini, & liberationis populi ab Angelo exterminatore: Eucharistia celebratur in memoriam transitus Domini per passionem ex hoc mundo ad Patrem, & nostræ liberationis de servitute peccati & potestate dæmonis.

IV^{to}. Agnus immolabatur ut manducaretur, & esset quasi viaticum peregrinorum: Eucharistia est refectio & viaticum ad cœlestem patriam peregrinantium. V^{to}. Agnus manducari non poterat nisi a circumcisis & mundis, atque in Urbe Jerusalem: Eucharistia sumi non potest nisi a baptizatis & mundis, atque intra Ecclesiam Catholicam existentibus. Ergo Agnus paschalis figura fuit Eucharistiæ.

Quod ex Patribus illustratur.

287. Triplex hoc argumentum ex Scripturis depromptum illustratur Auctoritate Patrum. Ac primum quidem auctoritate S. Cypriani Epist. LXIII. ad Cæcilium scribentis: *Quis magis Sacerdos Dei summi quam Dominus noster Jesus Christus, qui sacrificium Deo Patri obtulit? Et obtulit hoc idem quod Melchisedech obtulerat, id est, panem & vinum, suum scilicet corpus & sanguinem.* Clementis Alexandrini Lib. IV. Stromatum: *Melchisedech Rex Salem, Sacerdos Dei Altissimi, qui panem & vinum sanctificatum dedit nutrimentum, in typum Eucharistiæ.* Eusebii Cæsariensis Lib. V. Demonstrationis Evangelicæ, Cap. III. *Quemadmodum Melchisedech, qui Sacerdos Gentium erat, nusquam videtur sacrificiis corporalibus functus, sed solo vino ac pane; ita Salvator ac Dominus noster, deinde qui ab eo profecti sunt Sacerdotes, in omnibus Gentibus - - vino ac pane corporis illius ac salutaris sanguinis mysteria repræsentant: quæ sane mysteria Melchisedech tanto antè Spiritu divino cognoverat, & rerum futurarum imaginibus usus fuerat.* S. Hieronymi in Epist. ad Marcellam: *Recurre ad Genesim, & Melchisedech Regem Salem hujus principem invenies civitatis, qui jam tunc in typo Christi panem & vinum obtulit, & Mysterium Christianum in Salvatoris corpore & sanguine dedicavit.* S. Augustini Epist. CLXXVII. alias XCV. ad Innocentium: *Melchisedech prolato Sacramento mensæ Dominicæ, novit æternum ejus Sacerdotium figurare.* Et Lib. XVI. de Civit. Dei, Cap. XXII. loquens de oblatione Melchisedech, ait: *Ibi quippe primùm apparuit Sacrificium, quod nunc a Christianis offertur Deo toto orbe terrarum,*

imple-

impleturque illud quod longe post hoc factum, per Prophetam dicitur ad Christum, qui fuerat adhuc venturus in carne: Tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech. Non scilicet secundum ordinem Aaron: qui ordo fuerat auferendus illucescentibus rebus, quæ illis umbris prænotabantur.

288. Pari modo, secundo ac tertio argumento quod ex Scripturis instruximus, manifeste suffragantur Patres. S. Dionysius Alexandrinus in Responsione ad X. Quæstiones a Paulo Samosateno propositas ait: *Verum* (Christus) *se ipsum exinaninivit, ac propterea mysterium ineffabile ab ipso Deo vocatur novum testamentum, eoquod se ipsum dedit in mystica cœna, non ut olim, qui Aaronici Sacerdotii legi obtemperabant, pecudum carnes altari imponebant.* S. Gregorius Nyssenus Orat: I. in Christi Resurrectionem: *Qui potestate sua cuncta disponit - - arcano Sacrificii genere quod ab hominibus cerni non poterat, se ipsum pro nobis hostiam offert, & victimam immolat, Sacerdos simul existens & Agnus Dei, ille, qui mundi peccatum tollit. Quando id præstitit? Cum corpus suum discipulis congregatis edendum, & sanguinem bibendum præbuit, tunc aperte declaravit Agni sacrificium jam esse perfectum.* S. Cyrillus Alexandrinus Hom. de Cœna mystica: *Videamus, quomodo is, cujus in potestate sunt extrema terræ, ad mysticam cœnam sese comparabat: Quomodo ille qui sedet super Cherubim, in cœna recumbebat: quomodo qui per figuram manducatus est in Ægypto, illic sponte se ipsum sacrificat: ac postquam typum comedit, velut typorum consummator veritatem patefecit, semetipsum cibum vitæ statim apponens.* S. Gaudentius Tract. II. in Exodum: *In umbra ipsius legalis Paschatis non unus agnus occidebatur, sed plures; nam sufficere unus non poterat universis. Sed idem Christus per singulas Ecclesiarum domos in mysterio panis & vini immolatur, vivificat creditus, consecrantes sanctificat consecratus: hæc Agni caro, hic sanguis est.* S. Chrysostomus Hom. de proditione Judæ: *Fuit quidem aliquando Pascha Judaicum; sed exemptum & evacuatum*

est

est Paschatis spiritualis adventu, quod Christus tradidit. Nam cum manducarent & biberent (Apostoli) *accepit panem, & fregit, & dixit: Hoc est corpus meum.* S. Leo M. Serm. VII. de Passione Domini: *At Jesus consilii sui certus, & in opere paternæ dispositionis intrepidus, vetus Testamentum consummabat, & novum Pascha condebat. Discumbentibus enim discipulis ad edendam mysticam cœnam, cum in Caiphæ atrio tractaretur quomodo Christus posset occidi; ille corporis & sanguinis sui ordinans Sacramentum, docebat qualis Deo hostia deberet offerri.*

Christum præcepisse Apostolis, ut Eucharistia offeratur in Sacrificium, ostenditur ex Scripturis

289. Conclusio III. Christus instituens Eucharistiam, & Sacrificium novæ Legis offerens, præcepit Apostolis eorumque in Sacerdotio successoribus, ut illam pariter in Sacrificium offerrent. Prob. I. Auctoritate Scripturæ. Christus postquam præmisit verba consecratoria, *Hoc est corpus meum quod pro vobis datur*, subjunxit illico Lucæ Cap. XXII. *Hoc facite in meam commemorationem*, id est, hoc offerte & sacrificate in meam commemorationem. Ergo Christus præcepit Apostolis, ut Eucharistiam in sacrificium offerrent. P. A. Exodi Cap. XXIX. facere agnos anniculos. Levit. Cap. XXIII. facere hircum pro peccato. Numeror. Cap. VI. facere turtures. III. Reg. Cap. VIII. facere holocaustum. Ezechielis Cap. XLV. facere septem arietes & septem vitulos, idem significat ac offerre illa animalia in sacrificium. Eodem modo apud S. Lucam Cap. II. dicitur: *Ut facerent* (id est, ut offerrent) *secundum consuetudinem legis pro eo.* Ergo pariter verba illa Lucæ Cap. XXII. *Hoc facite in meam commemorationem*, idem significant, ac hoc offerte in sacrificium; præsertim cum id denotent verba immediate præcedentia.

Ratione fundata in Scripturis.

290. Prob. II. Ratione fundata in Scripturis. Christus ut homo, sive ratione humanitatis, ipsi Divinitati junctæ, constitutus fuit a Deo Patre Sacerdos & Pontifex secundum ordinem Melchisedech usque ad consummationem sæculi. Sed Pontifex debet offerre dona & sacrificia pro peccatis. Ergo Christus

stus usque ad consummationem sæculi debet offerre Sacrificium juxta ritum Melchisedech, qui non victimas, sed panem & vinum obtulit. Atqui id Christus semel tantum in ultima Cœna præstitit Eucharistiam instituendo, neque amplius hoc Sacrificium in cœlis peragit. Ergo alios debuit constituere, qui hoc sacrificium nomine Christi, & in persona ipsius usque ad consummationem sæculi offerrent. Ergo Christus instituens Eucharistiam, præcepit Apostolis eorumque in Sacerdotio succefsoribus, ut Eucharistiam offerrent in Sacrificium, servarentque ritum Melchisedechi.

Et Patrum Auctoritate.

291. Prob. III. Auctoritate Patrum. S. Justinus in Dialogo cum Tryphone scribit: *Quæ Jesus Christus fieri tradidit in Eucharistia panis & poculi, quæ omni loco a Christianis fiunt, Deus prævertens sibi grata eſse testatur.* S. Irenæus Lib. IV. adv. Hær. Cap. XXXII. *Novi Testamenti novam docuit oblationem* (Christus) *quam Ecclesia ab Apostolis accipiens, in universo mundo offert Deo.* S. Cyprianus Epist. LXIII. ad Cæcilium. *Jesus Christus Dominus & Deus noster ipse est Summus Sacerdos Dei Patris, & Sacrificium Deo Patri ipse primus obtulit, & hoc fieri in sui commemorationem præcepit.* S. Chrysostomus in I. ad Corinthios Hom. XXIV. *Pro cæde brutorum Christus se ipsum jussit offerri, ipsumque sacrificium mutavit.* S. Augustinus Lib. XX. contra Faustum, Cap. XXI. *Sacrificare Martyribus dixi,* (efse peccatum) *non dixi sacrificare Deo in memoriis Martyrum; quod frequentissime facimus, illo dumtaxat ritu, quo sibi sacrificari novi Testamenti manifestatione præcepit: quod pertinet ad illum cultum, qui latria dicitur, & uni Deo debetur.* Et Epist. CXXXVIII. alias V. ad Marcellinum: *Aptum fuit primis temporibus sacrificium, quod præceperat Deus, nunc vero non ita est. Aliud enim præcepit, quod huic tempori aptum esset, qui multo magis quam homo novit, quid cuique tempori accommodate adhibeatur.*

Christus in ara Crucis semetipsum cruentum Sacrificium Patri obtulit.

242. Conclusio IV. Christus in ara Crucis semetipsum cruentum æterno Patri obtulit sacrificium. Prob. I. Auctoritate Scripturarum. Apostolus ad Ephesios Cap. V. ait: *Christus dilexit nos, & tradidit semetipsum pro nobis oblationem & hostiam Deo in odorem suavitatis.* Ad Hebr. Cap. IX. v. 13. *Si enim sanguis hircorum & taurorum, & cinis vitulæ aspersus, inquinatos sanctificat ad emundationem carnis: Quanto magis sanguis Christi, qui per Spiritum Sanctum semetipsum obtulit immaculatum Deo, emundabit conscientiam nostram ab operibus mortuis, ad serviendum Deo viventi?* Et. v. 28. *Christus semel oblatus est ad multorum exhaurienda peccata.* Prob. II. Ratione duplici. I^ma^ est. Christus morte sua victimarum veterum figuras implevit. Ergo verum fuit illud sacrificium. P. A. Christus moriens pro nobis perfectissimum fuit holocaustum, quia totum se æterno Patri consecravit: fuit hostia pacifica, per quam æterno Patri propter collata beneficia grates persolvit, cunctaque bona hominibus procuravit: fuit hostia pro peccato, quia ut ait Apostolus II. ad Cor. Cap. V. *Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi, non reputans illis delicta ipsorum.* II^do^. Christo in Cruce morienti convenit sacrificii proprie dicti definitio: vere enim fuit oblatio externa & interna soli Deo facta, qua in recognitionem supremi ejus dominii a legitimo Ministro, nimirum ipso Christo Domino qui Sacerdos idem fuit & victima, res sensibilis, ipsum nempe corpus & sanguis Christi, ritu mystico consecrata & mutata sunt.

293. Quod si dicas I. Christi mors nedum honorem detulit, sed Deum atroci affecit injuria. Ergo Deum placare non potuit, adeoque non fuit sacrificium. II. Christus fuit Sacerdos. Ergo non fuit victima; cum idem esse nequeat Sacerdos simul & victima. III. Omnia vera sacrificia Christo ut Deo offeruntur. Ergo Christus mortem tolerando non potuit sacrificium offerre, quia nemo potest esse offerens & cui offertur. IV. Ad Sacrificium requiritur

actio

actio aliqua sensibilis, qua res oblata aliquo modo destruatur a sacrificante. Sed Christus actione aliqua sensibili ad mortem suam non concurrit, sed permisit tantum sibi vitam eripi. Ergo Christus in Cruce verum sacrificium non obtulit. Resp. ad I. Mors Christi atrocem Deo intulit injuriam, adeoque placare eum non potuit, quatenus injuste a Judæis illata est & per summum nefas, non vero quatenus a Christo voluntarie tolerata est ob gloriam Patris: plus enim Deo placuit amor patientis Christi, quam displicuit iniquitas occidentium. Ad II. C. A. N. C. cum ratione addita. Idem est minister & hostia in sacrificiis internis: quidni igitur etiam in externo sacrificio idem contingere queat? Ad III. C. A. N. C. Rationem additam distinguo. Nemo potest esse offerens & cui offertur, si ille unica tantum constet natura, C. Si duplicem habeat eamque diversam, quarum una in sacrificium offerri, altera illud acceptare posit, N. Cum in Mysterio ineffabili Incarnationis divina & humana natura in una persona conjungantur, potuit idem Christus ut homo semetipsum sacrificium offerre, atque ut Deus sacrificium illud acceptare. Ad IV. C. M. N. min. Christus capite sensibiliter inclinato in signum subjectionis & humiliationis, non permittendo tantum ut sibi per tormenta vita eriperetur, sed vi propria emisit Spiritum, juxta illud Joan. Cap. X. *Ego pono animam meam, ut iterum sumam eam. Nemo tollit eam a me; sed ego pono eam a me ipso.*

In Missa verum ac proprie tale Sacrificium Deo offerri, ostenditur ex vaticinio Malachiæ.

294. Conclusio V. In Missa verum ac proprie dictum Sacrificium novæ Legis Deo offertur. Prob. I^mo^ Auctoritate Scripturarum, quæ multiplex argumentum nobis suppeditant. Ac primo quidem Malachiæ Cap. I. ait Dominus: *Non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum: & munus non suscipiam de manu vestra. Ab ortu enim Solis usque ad occasum, magnum est nomen meum in Gentibus, & in omni loco sacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda: quia magnum est nomen meum in Gentibus, dicit Dominus exer-*

 ci-

cituum. In hoc vaticinio diserte prædicitur, rejicienda fore Judæorum sacrificia, succefsurumque illis purum ac mundum sacrificium Christianorum. Atqui hoc aliud non est quam corpus & sanguis Domini, quod in Mifsa offertur. P. min Hæc oblatio munda non est sacrificium Crucis; hoc enim semel tantum Jerosolymis peractum est, cum tamen nova hæc & munda oblatio in omni loco offerenda efse dicatur: Neque sunt bona opera; præterquam enim quod in principiis Protestantium illa vocari nequeant oblatio munda, cum doceant omnia opera peccato efse infecta, ac tamquam pannum menstruatæ; etiam in veteri Lege exercebantur bona opera quæ semper Deo placuerunt, ideoque Malachias nullam novam oblationem prædixifset. Ergo Propheta loquitur de sacrificio proprie dicto, publico ac visibili, in nova Lege offerendo, quo reparentur injuriæ Deo illatæ, & quo infirmitas veterum sacrificiorum reparetur. Atqui hæc omnia vera ac plana sunt, si de Mifsæ Sacrificio intelligantur. Nam primo magnum est nomen Domini in Gentibus, cum innumeræ Gentes Christianis Mysteriis fuerint initiatæ, multique ex ipsis etiam Judæis Christo adhæserint. Deinde in omni loco sacrificatur, seu Deo offertur sacrificium corporis & sanguinis Christi in Eucharistia, quia fides Catholica per totum orbem diffusa est. Denique sacrificium hoc oblatio munda est, quia ipse Unigenitus Dei Filius ac Rex Sanctorum æterno Patri offertur. Accedit consensus Patrum, qui vaticinium hoc Malachiæ de Sacrificio Mifsæ interpretantur, ut S. Justinus in Dial. cum Tryphone. S. Irenæus Lib. IV. adv. Hær. Cap. XVII. alias XXXII. S. Joan. Chrysost. Hom. V. adv. Judæos. S. Hieronymus in Cap. I. Malachiæ. S. Augustinus Lib. XVIII. de Civit. Dei, Cap. XXXV. Theodoretus Comment. in Malachiam. S. Joan. Damasc. Lib. IV. de Fide Orthodoxa, Cap. XIV. Ipse etiam Hebraicus textus aperte huic expositioni suffragatur. *Et in omni loco fuffimentum offeretur nomini meo, & Minchah*

chah munda. Ubi per suffimentum intelligitur sacrificium laudis & orationis; per *Minchah* vero sacrosancta Hostia: *Minchah* enim apud Hebræos significat sacrificium rerum inanimatarum, & in Scripturis usurpatur pro oblatione ex simila, oleo, & vino. Quare Minchah munda idem est quod simila sine furfuribus, seu flos farinæ purissimus.

Ex colloquio Christi cum Samaritana.

295. Alterum argumentum suppeditat nobis colloquium Christi cum Samaritana. Joannis Cap. IV. ait Christus: *Mulier crede mihi, quia venit hora, quando neque in monte hoc, neque in Jerosolymis adorabitis Patrem. - - - Venit hora, & nunc est, quando veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu & veritate.* Quasi diceret: Sacrificium Christianorum non erit alligatum uni certo loco, sicut sacrificia Samaritanorum in monte Garizim, & Judæorum in Templo Jerosolymitano, sed ubique poterit offerri: neque Christiani sacrificium offerent Idolo, ut vos Samaritani; aut secundum solam externam cæremoniam, ut maxima pars Judæorum, sed sacrificabunt Deo in spiritu & veritate. Ex quibus sic arguo. Christiani habent aliquod sacrificium vere ac proprie tale quod in omni loco offerri potest. Atqui hoc sacrificium non est illud cruentum in Cruce peractum, quod semel tantum & in uno loco oblatum est. Ergo est sacrificium incruentum Eucharistiæ. P. M. Adoratio l. c. non significat simplicem adorationem, quæ etiam extra templum Jerosolymitanum & ubique fieri poterat; sed publicam & solemnem per sacrificium quod Jerosolymis tantum offerri solebat, ut patet ex Cap. XII. S. Joannis. *Erant quidam Gentiles, ex his qui ascenderant ut adorarent in die festo.* Et Act. Cap. VIII. *Eunuchus - - venerat adorare in Jerusalem.* Accedit quod Christus de illa adoratione locutus fuerit, de qua rogabatur a Samaritana. Atqui rogabatur de externa adoratione quæ fit per Sacrificium; internam enim mulier illa vix agnoscebat.

Et Historia Apostolica.

296. Tertium argumentum petitur ex Actibus Apostolorum, in quibus Cap. XIII. dicitur: *Mini-*

ſtrantibus autem illis Domino, & jejunantibus, dixit illis Spiritus Sanctus: Segregate mihi Saulum & Barnabam in opus ad quod aſſumpſi eos. Atqui ministerium quo tunc fungebantur Apostoli, non aliud erat præter sacrificium Eucharisticum quod Domino offerebant. P. min. Nam Imo verbo Græco λειτȣργεω numquam usus fuit S. Lucas nisi ad sacrificium significandum, ut ex ejus Evangelio & Actibus Apostolicis constat. II. Hæc vox, nullibi orationem significat in Scripturis, ex propria enim etymologia idem sonat ac opus sacrum & publicum facere. III. Neque significatur ministerium verbi aut Sacramentorum; quia ista publica quidem sunt, at non Deo exhibentur, sed populo: neque S. Lucas observationem jejunii cum hujusmodi ministerio conjunxiſset; cum prædicatio exerceri queat etiam a non jejunantibus.

Idem diſerte docuerunt Patres Græci.

297. Prob. II. Auctoritate Patrum Græcorum & Latinorum, qui communi consensu tradunt, in Miſsa verum offerri Deo Sacrificium. Atque e Græcis quidem S. Ignatius M. in Epist. ad Smyrnenses apud Theodoretum Dial. III. *Euchariſtias & oblationes non admittunt, eoquod non confiteantur Euchariſtiam eſſe carnem Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti.* S. Justinus M. Apologia II. *Sub hæc conſurgimus communiter omnes, & precationes profundimus, et, ſicut retulimus, precibus peractis panis offertur, & vinum, & aqua.* S. Irenæus Lib. IV. adv. Hær. Cap. XVII. alias XXXII. *Dominus - - calicem ſimiliter, qui eſt ex ea creatura, quæ eſt ſecundum nos, ſuum ſanguinem confeſſus eſt, & novi Teſtamenti novam docuit oblationem, quam Eccleſia ab Apoſtolis accipiens, in univerſo mundo offert Deo.* Eusebius Cæsariensis Lib. I. Demonstrat. Evangelicæ, Cap. X. *Merito ſane illius memoriam, corporisque ejusdem & ſanguinis recordationem quotidie celebrantes, & ad longe præſtantius Sacrificium & munus aſſumpti, quam illud antiquius fuerit, non amplius fas eſſe putamus in prima illa & infirma elementa recidere, ſigna quædam & imagines, non ipſam veritatem continentia.* S. Cyrillus Je-

Jerosolymitanus Catech. V. Mystagogica: *Deinde vero postquam confectum est illud spirituale Sacrificium, & ille cultus incruentus super ipsa propitiationis Hostia, obsecramus Deum pro communi Ecclesiarum pace.* S. Gregorius Nazianz. Orat. III., quæ prima est invectiva adversus Julianum: *Impuro & nefario sanguine Lavacrum extergit,* (Julianus Apostata) *initiationi nostræ execrabilem initiationem opponens: manusque suas profanat, ut nimirum eas ab incruento Sacrificio per quod nos Christo, ipsiusque passionibus ac Divinitati communicamus, elueret ac repurgaret.* S. Chrysostomus Hom. II. ad Populum Antiochenum: *Ad mensam veniente Domino, servos qui Dominum offenderunt adesse non oportet, sed procul arcentur; ita & hic dum profertur Sacrificium, & Christus immolatur, & Ovis Dominica, cum audieris, Oremus omnes communiter: cum vela videris retrahi, tunc superne cœlum cogita aperiri, & Angelos descendere.* S. Cyrillus Alexandrinus in Epist. ad Nestorium: *Annuntiantes enim secundum carnem mortem Unigeniti Filii Dei, id est, Jesu Christi, & Resurrectionem ejus, & in cœlos Ascensionem pariter confitentes, incruentam celebramus in Ecclesiis Sacrificii servitutem.*

298. Eadem quoque Latinorum Patrum est sententia. Tertullianus Lib. ad Scapulam, Cap. II. ait: *Sacrificamus pro salute Imperatoris, sed Deo nostro & ipsius.* S. Cyprianus Epist. LXIII. ad Cæcilium: *Unde apparet sanguinem Christi non offerri, si desit vinum calici, nec Sacrificium Dominicum legitima sanctificatione celebrari, nisi oblatio & Sacrificium nostrum responderit Passioni.* Et Epist. LIV. ad S. Cornelium: *Episcopatus nostri honor grandis & gloria est, pacem dedisse Martyribus: ut Sacerdotes qui Sacrificia Dei quotidie celebramus, hostias Deo & victimas præparemus,* S. Ambrosius in Caput I. Lucæ: *Quando sacrificamus, Christus adest, Christus immolatur. Etenim Pascha nostrum immolatus est Christus.* S. Hieronymus Lib. III. adv. Pelagianos: *Sic docuit Apostolos suos,* (Christus) *ut quotidie in corporis illius Sacrificio credentes audeant loqui:*

Et Latini.

Pa-

Pater noster qui es in cœlis, sanctificetur nomen tuum. Et Lib. adversus Vigilantium, Cap. IV. *Male ergo facit Romanus Episcopus? qui super mortuorum hominum Petri & Pauli ossa veneranda, (secundum te pulvisculum,) offert Domino Sacrificia, & tumulos eorum arbitratur Altaria, idque non solum unius Urbis, sed totius orbis faciunt Episcopi?* S. Augustinus Lib. X. de Civit. Dei, Cap. XX. *Unde verus ille Mediator, inquantum formam servi accipiens mediator effectus est Dei & hominum homo Christus Jesus, cum in forma Dei sacrificium cum Patre sumat, cum quo & unus Deus est, tamen in forma servi sacrificium maluit esse quam sumere, ne vel hac occasione quisquam existimaret cuilibet sacrificandum esse creaturæ. Per hoc & Sacerdos est, ipse offerens, ipse & oblatio. Cujus rei Sacramentum quotidianum esse voluit Ecclesiæ Sacrificium: quæ cum ipsius capitis corpus sit, se ipsam per ipsum discit offerre. Hujus veri Sacrificii multiplicia variaque signa erant sacrificia prisca sanctorum, cum hoc unum per multa figuraretur, tamquam verbis multis res una diceretur, ut sine fastidio multum commendaretur. Huic summo veroque Sacrificio cuncta sacrificia falsa cesserunt.* S. Fulgentius Lib. II. ad Monimum, Cap. VI. S. Leo M. Epist. LXXXI. ad Dioscorum. S. Gregorius M. Lib. IV. Dialogorum, Cap. LV. & LVI. S. Isidorus Hispalensis Lib. I. de Ecclesiast. Officiis, Cap. XV. aliique quos longum foret enumerare, id ipsum perspicue docent.

Ut ipse Lutherus rei evidentia fateri coactus est.

299. Lutherus evidentia rei coactus fuit fateri, totam antiquitatem sibi adversari. Hinc Lib. de Missa privata scribit: *Hic non moramur, si clamitent Papistæ usque ad ravim; Ecclesia, Ecclesia; Patres, Patres: quia, ut dixi, hominum dicta aut facta nihil in tam magnis causis curamus; scimus enim Prophetas lapsos esse, adeoque & Apostolos. Verbo Christi judicamus Ecclesiam, Apostolos, atque ipsos Angelos.* Et Lib. de Captivit. Babylon. *Si nihil habetur quod dicatur,* (id est, quo satisfiat Patrum authoritati,) *tutius est omnia negare, quam Missam Sacrificium esse concedere.* At vero unanimis

mis hæc Patrum auctoritas in materia ad Religionem spectante contemni nequit sine gravi ipsius Christi injuria. Si enim Magistri Ecclesiæ erraruut in re tanti momenti, quos Deus constituit, ut Apostolus ait ad Ephes. Cap. IV. *Pastores & Doctores ad consummationem Sanctorum in opus ministerii, in ædificationem corporis Christi*, tota Christi Ecclesia, quæ in Patrum sententiis doctrinam suam semper agnovit, in gravissimum errorem prolapsa fuisset, & quidem primis statim a condita Religione Christiana temporibus, & contra fidem a Christo datam corruisset illa, quam Apostolus vocat columnam & firmamentum veritatis.

Protestantes sinistra interpretatione dicta Patrum corrumpere nituntur.

300. Calvinus, Kemnitius, aliique Protestantes, quamvis & ipsi sint Patrum contemptores; ad declinandam tamen invidiam, fucumque incautis faciendum, aliis utuntur effugiis, dicuntque Missam a Patribus vocari Sacrificium, I. ob preces & eleemosynas quæ in Missa fiebant. II. Quia consecratio & distributio Eucharistiæ est quædam actio sacra. III. Quia Missa est commemoratio quædam & repræsentatio veri Sacrificii in Cruce semel peracti. At inanem & pravam esse hanc Patrum expositionem, ostenditur. I. Quia quando Patres loquuntur de Eucharistia, passim usurpant has voces, *Sacrificium*, *oblatio*, *immolatio*, *hostia*, *victima*. II. Quia requirunt *altaria* ad celebrandam Eucharistiam. Altaria autem non eriguntur, nisi ratione Sacrificii: supponunt igitur Eucharistiam esse Sacrificium. III. Quia Ministros qui Eucharistiam offerunt, vocant *Sacerdotes*, & eorum ministerium appellant *Sacerdotium:* proprium autem munus Sacerdotis est, offerre Sacrificium vere ac proprie tale. IV. Quia docent Eucharistiam celebrari & offerri posse pro vivis & defunctis, pro pace & incolumitate, atque universim pro omnibus necessitatibus tam animæ quam corporis: quod sane non affirmassent, nisi Missam pro vero Sacrificio habuissent. V. Quia dicunt, Melchisedechum verum fuisse Sacerdotem, & obtulisse panem & vinum in Sacrificium,

atque

atque hoc modo præfigurafse incruentum illud Sacrificium quod Christus sub specie panis & vini in ultima Cœna instituit. VI. Quia Patres, præcipue S. Augustinus Lib. VIII. de Civit. Dei, Cap. XXVII. apertifsime dicunt, per Sacrificium quod in Mifsa offertur Deo, supremum latriæ cultum Deo exhiberi illi soli debitum, quique etiam Sanctis exhiberi licite non potest. Atqui per Sacrificium illud quod ab Ecclesia toto terrarum orbe offertur Deo, non exhiberetur illi supremus latriæ cultus, si non efset Sacrificium vere, proprie ac stricte dictum.

At irrito conatu.

301. Ad I^mum^ itaque effugium Protestantium ajo, eleemosynas & preces efse sacrificia quædam spiritualia & improprie dicta. At Patres loquuntur de sacrlficio quod in altari offerebatur, non a quocunque, sed ab iis tantum quibus specialiter consecratis potestas id offerendi competit, nempe a solis Sacerdotibus. Ad II. Si actio cœnæ eo ex capite vocari pofset sacrificium quia est actio sacra, omnis actio sacra vocari pofset sacrificium; adeoque v. g. baptizans recte diceretur sacrificare. Præterea quamvis actio sacra in aliquo sensu vocari pofset sacrificium, non tamen dici pofset *oblatio*. At Patres diserte afserunt, in Cœna offerri Deo corpus & sanguinem Domini, & idcirco Cœnam efse sacrificium. III. Quamvis Patres dicant, Mifsæ Sacrificium efse commemorationem seu repræsentationem Sacrificii cruenti in Cruce semel tantum oblati; minime tamen negant illud simul efse verum Sacrificium, non cruentum quidem, sed incruentum. Sicut enim Sacrificia veteris Legis repræsentabant Sacrificium in Cruce paragendum, & nihilominus erant vera ac proprie dicta Sacrificia: ita Sacrificium Mifsæ nihilominus verum ac proprie dictum Sacrificium est, quamvis illud ipsum Sacrificium in Cruce cruento modo jam peractum repræsentet. Adde, quod Patres diserte afserant, in Sacrificio Mifsæ Deo offerri supremum cultum latriæ: At si non efset hoc Sacrificium nisi repræsentatio & memoria cruenti Sacrificii in Cruce semel peracti, non

non esset cultus latriæ; non enim commemorare Sacrificium alterius, sed vere ac proprie sacrificare est cultus latriæ. Præterea si célebratio Eucharistiæ non esset oblatio nova, realis, ac vera, Deo facta, sed solum imago quædam ac repræsentatio oblationis in Cruce olim peractæ, non posſemus Deo vere dicere: Offero tibi hoc munus. Qui enim dicit alicui, offerò tibi, seu accipe, reipsa tunc aliquid porrigit, & non solum repræsentat oblationem; nisi forte irridere velit eum quem honorare se simulat. Quare in Sacrificio Miſsæ duæ sunt oblationes distinguendæ; una repræsentans, alia repræsentata; incruenta una, altera cruenta, juxta illud S. Augustini Lib. XX. contra Faustum, Cap. XVIII. *Christiani, peracti ejusdem Sacrificii memoriam celebrant Sacrosancta oblatione, & participatione corporis & sanguinis Christi.*

Petrus Lombardus vindicatur.

302. Quæ Patrum, eadem & veterum Scholasticorum fuit sententia: neque nobis Magister Sententiarum Petrus Lombardus adversatur, Lib. IV. Sentent. Dist. XII. littera G. scribens: *Dici potest, illud quod offertur & consecratur a Sacerdote, vocari Sacrificium & oblationem, quia memoria est & repræsentatio veri Sacrificii, & sanctæ immolationis factæ in Ara Crucis: & semel Christus mortuus est in Cruce, ibique immolatus est in semetipso; quotidie autem immolatur in Sacramento, quia in Sacramento recordatio fit illius quod factum est semel.* Ut enim observat Robertus Card. Bellarminus Lib. I. de Miſsa, Cap. XV. quando quærit Lombardus, an dicendum sit Sacrificium & immolatio quod Sacerdos gerit, accipit nomen Sacrificii & immolationis pro occisione; ac si apertius quæsiviſset, an quod gerit Sacerdos, dicenda sit Christi occisio. Respondet autem recte omnino, Christum semel tantum vere immolatum, id est, occisum fuiſse: nunc autem non proprie immolari, id est, occidi, sed solum in Sacramento, ac repræsentative. An autem sit, quod Sacerdos gerit, Sacrificium proprie dictum, sed incruentum, Lombardus non quæ-

 rit,

rit, sed præsupponit ùt omnibus notum ex ipsa celebratione quotidiana Sacrificii.

Missam verum esse N. L. Sacrificium ostenditur etiam ex consensu Orientalis Ecclesiæ.

303. Prob. III. Ex consensu Orientalis Ecclesiæ. Græci non veteres modo, ut scripta Patrum testantur, eorumque antiquifsimæ Liturgiæ, sed recentiores etiam, quamvis infelici schismate a Latina Ecclesia divisi, unanimi consensu fatentur in Mifsa verum Deo Sacrificium offerri; non ut Romanæ Ecclesiæ blandiantur a qua acerbifsimis odiis difsident, sed rei veritate ac constanti traditione a majoribus suis accepta permoti. Pauca exhibebimus monumenta, ex quibus manifeste elucet fides Græcorum circa hoc Mysterium. Jeremias Patriarcha CPolitanus Catholicè omnino hac de re sensit, ut patet ex ejus censura Confefsionis Augustanæ. Ipse Crusius Profefsor Tubingensis, qui negotium unionis Græcos inter & Lutheranos impigre urgebat, testatur de Græcis: *Hæc* (corpus & sanguinem Domini) *in Liturgiis Deo Patri offerunt pro peccatis Sacerdotum & ignorantiis populi.* Nicolaus Cabasilas Thefsalonicensis in Expositione Liturgiæ, Cap. XXXII. ait: *Necesse est, omnia quæ de Deo creduntur, conservari, & nihil omnino excidere. Quænam autem ea sunt? Sacrificium hoc non esse imaginem & figuram Sacrificii, sed verum Sacrificium.* Paysius Ligaridius Gazensis Archiepiscopus in Expositione fidei Ecclesiæ Orientalis scribit: *Missa est tamquam Sacrificium propitiatorium instituta ad peccatorum veniam impetrandam tum vivis tum defunctis, & ad iram divinam placandam, nec non ad avertenda flagella nobis impendentia, qua ratione dicitur & est propitiatorium. Etsi enim Sacrificium Missæ non sit instrumentum immediatum producens gratiam, sicut Sacramenta sunt: est tamen instrumentum movens Deum, ut jam placatus peccatori, donum pœnitentiæ concedat, cujus interventu justificetur.* Concilium CPolitanum A. 1638. adversus Cyrillum Lucarim congregatum, apud Harduinum in Actis Conciliorum, Tomo XI. Colum. 227. *Cyrillo dogmatizanti . . neque audienti . . . divinorum Patrum,*

trum, trecentorum decem & octo Nicææ adunatorum Ecclesiasticas constitutiones, hisce verbis decernentium: Fide credamus esse super hanc sacram mensam Agnum Dei qui tollit peccatum mundi, incruente a Sacerdotibus immolatum, ejusque venerandum sanguinem & corpus vere sumi, -- Anathema. Concilium Jerosolymitanum sub Dositheo Patriarcha A. 1672. Cap. IV. ait: *Circa commemorationes ita religiose sentiunt,* (Græci) *ut absque intermissione, ac in primis singulis sabbathis & diebus festis pro fidelium Christianorum omnium, cum vivorum tum defunctorum animabus, Sacrificium Deo offerant incruentum.* Et Capite VI. Capitulo XVII. *Credimus verum ac propitiatorium esse sacrificium, quod pro fidelibus omnibus tum vivis tum defunctis, nec non & pro utilitate omnium offertur, uti & in hujusce Sacramenti precibus exprimitur, quas pro ea quam a Domino receperant disponendi potestate, Apostoli Ecclesiæ tradidere.* Idem cum Græcis sentire Moldavos, Russos, Nestorianos, Monophysitas, Armenos, aliosque omnes populos, quotquot in Oriente Christianam fidem profitentur, invictis argumentis ostendit Joanes Schefmacher in Epist. I. ad Senatorem Argentoratensem.

Et Argumento præscriptionis

304. Prob. IV. Argumento præscriptionis. Initio Sæculi XVI., quo tempore Lutherus bellum Ecclesiæ Catholicæ indixit, totus orbis Christianus tenebat in Missa verum Deo offerri Sacrificium, ut ipse Lutherus fatetur Lib. de Captivit. Babylon. *Missa creditur passim esse Sacrificium, quod offertur Deo. Accedunt his dicta Sanctorum Patrum, tot exempla tantusque usus per orbem constanter observatus. --- Nec moveat, quod totus orbis contrarium & sensum & usum habet.* Ex quo duo inferri possunt ac debent. Primum est: ergo cum Protestantes ostendere nequeant quo primum tempore id credi cœperit in Ecclesia, jam a prima Ecclesiæ origine id constanter creditum est, juxta receptam Augustini regulam Lib. IV. de Bapt. contra Donatistas, Cap. XXIV. *Quod universa tenet Ecclesia, nec Conciliis institutum sed semper retentum est, non nisi*

auctoritate Apostolica traditum rectissime creditur. Profecto qui fieri umquam potuit, ut in omnibus Orientis & Occidentis provinciis summa concordia contra fidem antiquam credi inciperet quod antea omnes latuit, Eucharistiam scilicet non modo Sacramentum, verum etiam Sacrificium esse? Quibus artibus, quibus præstigiis induci in hoc dogma potuerunt Græci & Latini, Catholici, Schismatici, atque ipsi etiam hæretici, qui quamvis diversos disseminarint errores, numquam tamen negarunt verum in Missa Deo offerri Sacrificium, præter Manichæos & Phantasiastas, negantes veram humanam carnem a Christo assumptam fuisse, ac Berengarianos, eorumque propagines Albigenses & Petrobrusianos, quibus in diversis Synodis illico ab Ecclesia dictum fuit anathema? Alterum quod ex eo antecedente legitime consequitur, est: ergo cum initio Sæculi XVI. omnes totius orbis Christiani nationes crediderint, in Missa verum Sacrificium Deo offerri, firma fide tenendum est, Missam esse verum Sacrificium incruentum. Consequentiam in dubium vocare nequeunt Protestantes, nisi velint Ecclesiam, non Romanam modo, sed etiam Universalem quæ omnes gentes & populos complectitur, in re gravissimi momenti turpiter errasse, sicque portas inferi adversus eam prævaluisse, contrà ac Christus promiserat.

Hinc merito Protestantium error a Tridentino proscriptus fuit.

305. Merito igitur Tridentina Synodus Protestantium errorem proscripsit Sess. XXII. Can. I. *Siquis dixerit, in Missa non offerri Deo verum & proprium Sacrificium, aut quod offerri non sit aliud, quam nobis Christum ad manducandum dari; anathema sit.* Can. III. *Siquis dixerit, Missæ Sacrificium tantum esse laudis & gratiarum actionis, aut nudam commemorationem Sacrificii in Cruce peracti, non autem propitiatorium; vel soli prodesse sumenti; neque pro vivis & defunctis, pro peccatis, pœnis, satisfactionibus, & aliis necessitatibus offerri debere; anathema sit.* Can. IV. *Si quis dixerit, blasphemiam irrogari sanctissimo Christi Sacrificio in Cruce*

peracto

peracto per Missæ Sacrificium, aut illi per hoc derogari; anathema sit.

306. Conclusio VI. Sacrificium Missæ non tantum est latreuticum & eucharisticum, sed etiam vere propitiatorium. Prob. I. Auctoritate Scripturarum. Apostolus Cap. V. ad Hebr. scribit: *Omnis Pontifex ex hominibus constituitur in iis quæ sunt ad Deum, ut offerat dona & Sacrificia pro peccatis.* Ex quo loco sic argumentor: Sacerdotes ad id potissimum sunt a Deo constituti ut Sacrificium offerant pro peccatis. Ergo cum in Lege Evangelica unicum detur Sacrificium, nempe Missæ, hoc ipso illud est vere propitiatorium, alioqui frustra pro peccatorum purgatione offerretur. Quin ipsa verba institutionis Conclusioni nostræ aperte suffragantur; Christus enim Lucæ Cap. XXII. ait: *Hic est calix novum testamentum in meo sanguine.* Ergo Sacrificium Missæ est instrumentum, quo nobis applicantur promissiones novi Testamenti. Atqui inter promissiones una est de peccatorum remissione, ut patet ex Cap. VIII. Epistolæ ad Hebræos, ubi Apostolus refert hæc verba Jeremiæ Cap. XXXI. *Ecce dies venient, dicit Dominus: & consummabo super domum Israel, & super domum Juda testamentum novum - - - Propitius ero iniquitatibus eorum, & peccatorum eorum jam non memorabor.* Prob. II. Auctoritate Patrum. S. Cyrillus Catech. Mystagogica V. ait: *Christum pro nostris peccatis mactatum offerimus, ut & nobis & illis* (defunctis) *eum qui est benignissimus, propitium reddamus.* S. Ambrosius Lib. I. de Offic. Cap. XLVIII. *Antè Agnus offerebatur: offerebatur vitulus; nunc Christus offertur, sed offertur quasi homo, quasi recipiens passionem, & offert se ipse quasi Sacerdos, ut peccata nostra dimittat.* S. Chrysostomus Lib. VI. de Sacerdotio: *Eum qui pro civitate tota; quid dico civitate? immo vero pro universo terrarum orbe legatus intercedit, deprecatorque est apud Deum, ut hominum omnium non viventium modo, sed etiam mortuorum peccatis propitius fiat, qualem, quæso, esse oportet?* Similia habent Origenes

Sacrificium Missæ est vere propitiatorium.

Hom.

Hom. XIII. in Leviticum. S. Hieronymus Comment. in Epist. ad Titum. S. Augustinus Quæst. LVII. in Levit. & Lib. XX. de Civit. Dei, Cap. XXV. S. Gregorius M. Lib. IV. Cap. LVIII. Ven. Beda Lib. IV. Hist. Anglorum, Cap. XXII. Prob. II. Auctoritate Tridentini Sefs. XXII. Can. III. quem paulo ante exhibuimus. Et Bracarensis III. A. 675. Capitulo II. *Cum omne crimen atque peccatum oblatis Deo Sacrificiis deleatur, quid de cætero pro delictorum expiatione Domino dabitur, quando in oblatione Sacrificii erratur?* Prob. IV. a pari. In Lege naturæ & Mosaica dabantur Sacrificia propitiatoria. Ergo etiam in Lege nova Sacrificium Mifsæ est propitiatorium. P. A. Sacrificia propitiatoria fuifse in Lege naturæ constat ex Lib. Job. Cap. I. ubi dicitur, Job pro singulis liberis suis holocausta obtulifse ad expianda eorum peccata; & ex Cap. ultimo, ubi amici Job jubentur offerre holocaustum pro peccato suo, & additur, Deum illis placatum fuifse. In Lege pariter Mosaica data fuifse Sacrificia expiatoria, non quidem ad expianda peccata quoad reatum culpæ, sed tantum ad tollendas immunditias legales & ad propitiandum Deum quoad reatum pœnæ temporalis, atque etiam culpæ ex opere operantis tantum, constat ex Cap. IV. Levitici, atque a nemine id negatur. Probatur etiam consequentia. Sacrificium Mifsæ multo exprefsius repræsentat Sacrificium Crucis quam vetera illa Sacrificia: atque hostia Deo gratifsima in illo offertur, ipse Unigenitus Dei Filius. Ergo multo magis Sacrificium novæ Legis est propitiatorium. Prob. V. Ratione Theologica. Eucharistia a Christo instituta est, ut ipsi etiam Protestantes fatentur, ad remittenda peccata. Atqui Eucharistia ùt est Sacramentum, non fuit instituta ad peccatorum remifsionem, ùt ostendimus Controversia I.; sed ad spiritualem animæ jam spirituali vita viventis refectionem & nutritionem. Ergo Eucharistia ùt Sacrificium est, vim habet remittendi peccata. Ergo Sacrificium Mifsæ est vere propitiatorium.

307.

307. Neque obest, quod ad Hebr. Cap. IX. dicatur: *Sine ſanguinis effuſione non fit remiſſio.* Atqui in Miſsa, quam incruentum sacrificium vocant Catholici, nulla fit effusio sanguinis. Ergo in Miſsa nulla fit peccatorum remiſsio. II. Aut illud ad Hebr. Cap. X. *Ubi autem horum* (peccatorum) *remiſſio: jam non eſt oblatio pro peccato.* Aut denique III. paritas Lutheri. Baptismus unius non prodest alteri. Ergo nec sumptio Eucharistiæ potest ab uno fieri pro alio. Ergo Miſsa non est Sacrificium propitiatorium. Nam Resp. ad I. Hæc intelligenda sunt de solis Sacrificiis Mosaicis, ut patet ex contextu. Quod si tamen Evangelicæ Legi applicentur, ajo, remiſsionem peccatorum quam impetrat Miſsæ Sacrificium, fieri ratione applicationis sanguinis Christi in ara Crucis effusi, quatenus ejus virtus per Sacrificium Miſsæ quasi per canalem in nos diffunditur. Præterea in Sacrificio Miſsæ sanguis Christi effunditur, non physice quidem, sed mystice; quia verba consecrationis panis & vini sanguinem & corpus Christi mystice dividunt. Ad II. Resp. sensum citati textus eſse, quod peracta jam semel per Christum redemptione in Ara Crucis, non alia supersit hostia, in qua, præter illam Crucis, fiduciam constituere poſsimus: Apostolus tamen per hoc non aſserit, non supereſse alterius modi oblationes, per quas cruentæ oblationis virtus nobis communicetur. Ad III. N. C. Sacramentum ad sanctificationem suscipientis primario ac directe ordinatur, & idcirco non nisi suscipientem sanctificat: at vero Sacrificium ordinatur tum ad gloriam Dei, cujus supremum in omnes dominium declaratur; tum ad impetranda beneficia iis omnibus, pro quibus offertur.

Reatus culpæ per Sacrificium Miſſæ remittitur mediate tantum.

308. Cæterum illud probe animadvertendum est, reatum culpæ per Sacramenta Baptismi & Pœnitentiæ immediate remitti; per Sacrificium vero Miſsæ mediate tantum, quatenus intuitu hujus sacrificii Deus peccatori gratias actuales largitur, quibus peccator movetur ad pœnitentiam, disponiturque ad Sacramentum sive Baptismi sive Pœnitentiæ, per quod immediate

diate remiſsionem culpæ consequitur. Quemadmodum itaque Sacrificium Crucis immediate peccatores non justificavit, sed placavit Deum, impetravitque ut per debita media peccatores ad salutem perducerentur: sic etiam Sacrificium Miſsæ non justificat homines immediate, sed impetrat ut ex merito Sacrificii Crucis detur hominibus gratia & donum pœnitentiæ. Ex quo colliges, quam imperite nobis objiciat Kemnitius, si Sacrificium propitiatorium eſset MIſsa, remiſsionem peccatorum haberi poſse sine ullo labore ac periculo & absque Sacramentis.

Quamvis ex opere operato.

309. Porro Sacrificium Miſsæ vim & efficaciam habet impetrandi remiſsionem peccatorum ex opere operato, mediate quoad culpam, immediate quoad remiſsionem pœnæ temporalis, plus aut minus de pœna relaxando juxta minorem aut majorem devotionem illius pro quo offertur. Ratio est, quia in Sacrificio Miſsæ Christus non solum est res oblata, sed etiam principalis offerens. Ergo Sacrificium Miſsæ independenter a fide, probitate ac merito Sacerdotis offerentis, adeoque ex opere operato, vim habet movendi Deum ad condonanda peccata seu ad dandam gratiam, qua homo adjutus peccata sua rite detestetur, & ad remittendam pœnam peccatis debitam. Quod si dicas ad efficaciam ex opere operato duo requiri, certam nimirum Dei promiſsionem, & infallibilem effectum, quæ videntur in Sacrificio Miſsæ locum non habere. Resp. utrumque hic haberi; promiſsio enim ex parte Dei certa & fixa in verbis institutionis agnoscitur Matth. Cap. XXVI. *Hic eſt ſanguis meus novi Teſtamenti, qui pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum.* Effectus autem est infallibilis, nimirum non ipsa semper actualis conversio, sed collatio gratiæ, qua peccatores excitantur, atque etiam perducerentur ad pœnitentiam, nisi ipsi prava sua voluntate resisterent, atque obicem ponerent gratiæ.

Sacrificium Miſsæ eſt eti-

310. Conclusio VII. Sacrificium Miſsæ non modo propitiatorium est, verum etiam impetratorium

eorum

eorum omnium, quæ ad salutem sive animæ sive corporis sunt necessaria. Prob. I. Auctoritate Scripturarum. I. ad Timoth. Cap. II. scribit Apostolus: *Obsecro igitur primum omnium fieri obsecrationes, orationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus, pro Regibus, & omnibus qui in sublimitate sunt, ut quietam & tranquillam vitam agamus in omni pietate & castitate.* Quæ verba S. Augustinus Epist. CXLIX. alias LIX. ad Paulinum. S. Ambrosius Lib. VI. de Sacram. Cap. ult. S. Joan. Chrysost: Oecumenius, Theophilactus Comment. in hunc locum Apostoli, interpretantur de publicis precibus quæ fiunt in Missa, & volunt Apostolum hoc præcepisse, ut Sacrificium etiam offerretur pro temporali pace & tranquillitate Ecclesiæ. Prob. II. exemplo veteris Testamenti. In Lege veteri certum est a Judæis oblatas fuisse hostias pro beneficio aliquo etiam temporali impetrando, ut constat ex Cap. VII. Levitici. David Rex II. Reg. Cap. ult. obtulit pacifica pro avertenda peste, & impetravit. II. Machab. Cap. III. Onias pro salute Heliodori Sacrificium obtulit. I. Esdræ Cap. VI. Judæi pro salute Darii Persarum Regis & filiorum ejus. Ergo cum illa Sacrificia juxta Patres fuerint umbra Sacrificii Eucharistici, atque una Eucharistiæ oblatione omnes differentiæ hostiarum veterum contineantur, Eucharistia pro impetrandis hujusmodi beneficiis legitime offertur. Prob. III. Auctoritate Patrum. Tertullianus in Lib. ad Scapulam scribit: *Sacrificamus pro salute Imperatoris.* S. Cyrillus Jerosol. Catech. Mystagogica V. *Postquam confectum est illud spirituale Sacrificium, & ille cultus incruentus, super ipsa propitiationis hostia, obsecramus Deum pro communi Ecclesiarum pace, pro tranquillitate mundi, pro Regibus, pro militibus, pro sociis, pro ægrotis & afflictis, & in summa pro omnibus qui indigent auxilio.* S. Chrysostomus Hom. LXXI. in Joan. *Pro infirmis, & terræ & maris & universi orbis fructibus sacrificamus.* S. Augustinus Lib. XXII. de Ci-

am vero impetratorium.

Civit. Dei, Cap. VIII. meminit Sacrificii Eucharistiæ oblati ad purgandam domum a dæmonum vexatione. Prob. IV. Auctoritate Tridentini, quod de missæ Sacrificio Sess. XXII. Cap. II. ait: *Quare non solum pro fidelium vivorum peccatis, pœnis, satisfactionibus, & aliis necessitatibus, sed & pro defunctis in Christo nondum ad plenum purgatis, rite juxta Apostolorum traditionem offertur.* Canonem III. superius exhibuimus. Prob. V. Ratione. Sacrificium Missæ vim habet peccatorem cum Deo reconciliandi, ut præcedente conclusione ostendimus. Ergo multo magis vim habet ea omnia impetrandi, quæ ad salutem animæ & corporis sunt necessaria. P. C. Deus hoc Sacrificio placatus inimicis suis reconciliatur. Ergo longe facilius adducitur, ut hujus Sacrificii intuitu amicis suis & reconciliatis bona temporalia tribuat, si id eis utile fuerit.

311. Quod si dicas I. Sacrificium Missæ ea tantum nobis impetrat, quæ Christus promeruit. Atqui Christus per mortem suam non promeruit nobis bona temporalia. Ergo. II. Absurdum est bona temporalia petere in eo Mysterio, in quo communicantes Christi passionibus, & æmulantes similitudinem mortis ejus, nos totos & nostra Deo immolamus. III. Scriptura & Patres nos continuo hortantur, ut a bonis temporalibus expetendis animum & cor avocemus. Ergo petenda illa non sunt in Sacrificio Missæ. Resp. ad I. C. M. D. min. Christus non promeruit bona temporalia in se absolute considerata, & tamquam finem nostrum, in quo hærere debeamus, C. min. Christus non promeruit bona temporalia spectata in ordine ad salutem, & tamquam media, quæ divina providentia nobis suppeditat ad finem nostrum ultimum consequendum, nempe æternam felicitatem in cœlis, N. min. Ad II. D. A. Absurdum est bona temporalia petere ex mala cupiditate, utque animum in his fruendis sistamus, C. A. Ex charitate & desiderio Deum adipiscendi per media ab ipso ordinata, N. A. & Conseq. Ad III. Scriptura & Patres nos hortantur, ne nimis anxie temporalia expetamus, &

tam-

tamquam finem quo fruamur: At vero nullibi prohibent, ne bona temporalia moderate expetamus, illisque tamquam mediis utamur ex ordinatione divinæ providentiæ, ut ad finem nostrum ultimum perveniamus. Vide dicta Tomo IV. Num. 300.

Essentia Sacrificii Missæ non consistit in oblatione panis & vini.

312. Quæres I. An essentia Sacrificii Missæ consistat in oblatione panis & vini? Resp. negative. Prob. I. Panis & vinum nullo modo sunt victima Sacrificii Missæ. Ergo in eorum oblatione reponi nequit essentia Sacrificii Missæ, cum ad rationem sacrificii in genere necessaria sit oblatio & immutatio victimæ. P. A. Solus Christus est victima hujus sacrificii; Tridentinum enim ait Sess. XXII. Cap. II. *Idem ille Christus continetur, & incruente immolatur.* S. Ambrosius Comment. in Cap. I. Lucæ: *Cum sacrificamus, Christus adest, Christus immolatur.* S. Gregorius Nyssenus Orat. I. in Christi Resurrect. *Arcano sacrificii modo idem est Sacerdos & Agnus.* Prob. II. Si panis & vinum essent tota sacrificii victima, Sacrificium Christianæ Religionis non esset præstantius sacrificiis veteris Legis, in quibus Deo offerebantur agni & boves: si vero essent pars tantum victimæ, sacrificii cruenti & incruenti, eadem non esset hostia, cum panis & vinum in Cruce nec oblata, nec immolata fuerint. Quod si dicas, panem & vinum, corpus & sanguinem Domini, non unum sed duo sacrificia esse. Resp. id repugnare Patrum doctrinæ, qui docent unicum esse Ecclesiæ sacrificium, quod successit toti multitudini veterum sacrificiorum: & menti Ecclesiæ adversari, quæ panem non simpliciter Deo offert, sed ut consecrandum & transmutandum in corpus Domini. Ex his quæ modo diximus, facile colliges, neque species panis & vini pertinere ad hostiam Sacrificii Missæ per modum partis, quia nimirum Christus est tota hujus Sacrificii victima; quamvis ad illud pertineant per modum conditionis, ut scilicet victima sit sensibilis, & offeratur secundum ordinem Melchisedech, id est, sub symbolis panis & vini.

Nec in ea oblatione, quæ Consecrationem subsequitur.

313. Quæres. II. An eſsentia Sacrificii Miſsæ consistat in oblatione corporis & sanguinis Christi, sive in ea oblatione quæ consecrationem subsequitur? Resp. negative. Prob. I. Christus in Evangelio nullibi legitur eam oblationem adhibuiſse; statim enim post verba illa, *Hoc eſt corpus meum*, Eucharistiam discipulis distribuit. II. Verba oblationis consecrationem subsequentis, non dicuntur in persona Christi, sed ministri ac totius Ecclesiæ. Ergo illa oblatio non fit in persona Christi, adeoque non pertinet ad eſsentiam Sacrificii Miſsæ. III. Oblatio vocalis non est ad sacrificium neceſsaria, sed sufficit oblatio realis, quæ in consecratione vel immolatione continetur.

Nec in consumptione Hoſtiæ vel a populo, vel a Sacerdote facta.

314. Quæres III. An eſsentia Sacrificii Miſsæ consistat in consumptione Hostiæ vel a populo, vel a Sacerdote facta? Resp. negative. Prob. I. Certum omnino atque exploratum non est, Christum Dominum partem Sacrificii recens instituti in ultima Cœna consumpsiſse; quamvis fide divina constet, novum sacrificium ab eo tunc oblatum fuiſse. II. Ecclesia frequenter sacrificium celebrat absque ulla Eucharistiæ distributione populo facta. III. Actio sacrificativa est propria Sacerdotis. Atqui communio non est talis actio: nam & Diaconi tamquam Ministri extraordinarii Eucharistiam distribuunt. Ergo consumptio Hostiæ non est de eſsentia sacrificii, sed dumtaxat ejusdem pars integrans, ex præcepto divino ponenda. Atque ideo Ecclesia vult, ut si contingat celebrantem repentino morbo corripi ante sumptionem utriusque speciei, alius Sacerdos etiam non jejunus, si alter desit, utramque, speciem sumat, sicque sacrificium perficiat.

Sed in consecratione panis & vini.

315. Quæres IV. An eſsentia Sacrificii Miſsæ consistat in consecratione panis & vini? Resp. affirmative. Prob. I. Auctoritate Patrum. S. Irenæus Lib. IV. adv. Hær. Cap. XXXII. scribit: *Chriſtus dicendo, Hoc eſt corpus meum, docuit novam Teſtamenti novi oblationem.* S. Chrysostomus Hom. de proditione

ne Judæ: *Verbum Domini* (Hoc est corpus meum) *usque ad mundi consummationem præstat Sacrificio firmitatem.* Prob. II. Ratione. Sola consecratio, seclusa omni alia actione, habet quidquid requiritur ad efficiendum Missæ Sacrificium. Ergo essentia sacrificii consistit in sola consecratione. P. A. Nam I^mo^ in sola consecratione Sacerdos manifeste loquitur in persona Christi qui est principalis offerens, cæteras vero actiones, quæ præeunt vel sequuntur, Sacerdotes exequuntur in persona propria tamquam Ecclesiæ ministri. II^do^ Christus per verba consecrationis præsens constituitur in altari in statu quodam mortis, ac veluti per gladium quemdam spiritualem in speciebus distinctis ac separatis immolatur, ac Deo Patri offertur; idem quippe est, hostiam in altari præsentem esse ac eam Deo offerri. III. Separatio illa mystica quæ vi verborum fit corporis & sanguinis Christi, apte significat ac repræsentat cruentam separationem sanguinis a corpore, quæ in Cruce peracta fuit. IV. Per Verba consecrationis fit aliqua Hostiæ immutatio quæ requiritur & sufficit ad sacrificium, non tantum per hoc quod mystica fiat separatio corporis a sanguine, quantum est ex vi verborum; sed præcipue quia v. g. corpus Christi ad veram, realem, & externam mutationem & destructionem ordinatur, prout illud sub speciebus Eucharisticis existit. Nam per consecrationem corpus Christi accipit formam cibi: cibus autem ad comestionem, & per hoc ad mutationem & destructionem ordinatur. Neque obstat, quod corpus Christi nullam in se læsionem patiatur, neque esse suum naturale amittat, cum manducatur Eucharistia; nam amittit esse Sacramentale, ac proinde desinit realiter esse in hostia, desinitque cibus esse sensibilis, quando species Sacramentales in stomacho corrumpuntur.

Consecratio utriusque speciei ad essentiam Sacrificii est necessaria.

316. Quæres V. An ad essentiam Sacrificii necessaria sit utriusque speciei consecratio? Resp. probabilius affirmative. Prob. I. exemplo & præcepto Christi, qui tamquam Pontifex secundum ordinem Mel-

Melchisedech Eucharistiam in pane & vino consecravit, suisque Apostolis eorumque succefsoribus mandavit, ut idem in sui commemorationem facerent. II. Ratione. Sacrificium Mifsæ est expresfa ac clarifsima imago & repræsentatio Sacrificii in cruce peracti. Atqui talis non efset, si v. g. solus panis consecraretur. P. min. In eo casu, quantum est ex vi verborum, sanguis Christi non separaretur a corpore. Ergo nulla fieret mystica immolatio ac repræsentatio mortis Christi, adeoque verum non efset sacrificium. Ex his colliges prætensas illas Romanorum Pontificum dispensationes, ut sub panis tantum specie, ob vini penuriam, fieret consecratio, omnino fictitias efse.

Valor Mifsæ est sufficientia infinitus, efficacia finitus.

317. Quæres VI. An valor Sacrificii Mifsæ sit infinitus? Resp. infinitum efse sufficientiâ, efficaciâ vero finitum. Prob. I^ma^ pars afsertionis. In Mifsa eadem offertur victima quæ in Ara Crucis oblata est: idem Sacerdos est, idem sacrificium, sola offerendi ratione diversum. Atqui victima in Cruce oblata, fuit infiniti valoris ac meriti, plenifsime de se sufficiens ad innumerabiles homines redimendos. Ergo. Prob. etiam altera pars afsertionis. Nam I. quamvis Sacrificium Mifsæ pro omnibus offeratur, non omnes tamen ejus virtute salvantur. II. Sacrificium Mifsæ a Christo institutum est, ut per illud nobis applicetur virtus Sacrificii in Ara Crucis modo cruento oblati. Atqui Sacrificium Crucis effectum non habuit infinitum, licet sufficientiam infiniti valoris habuerit. Ergo id pariter dicendum est de sacrificio incruento; præsertim cum ideo fuerit institutum, ut in Ecclesia quotidie sine intermifsione celebraretur.

Sacrificium Mifsæ de se & ex natura rei pro omnibus hominibus potest offerri.

318. Quæres VII. An Sacrificium Mifsæ non tantum pro omnibus Fidelibus viventibus, verum etiam pro infidelibus, hæreticis, schismaticis, & nominatim excommunicatis offerri pofsit? Resp. de se & ex natura rei id fieri pofse; at ob gravem Ecclesiæ prohibitionem illicite agere Sacerdotem, Sacrificium Mifsæ pro illis directe offerendo. Prob. prima pars afser-

sertionis I^{mo} Auctoritate Scripturarum. I. ad Timoth. Cap. II. ait Apostolus: *Obsecro igitur primum omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus, pro Regibus, & omnibus qui in sublimitate sunt.* Quæ verba Patres intelligunt de precibus quæ a Sacerdote fiunt, dum celebrat divina Mysteria, ut paulo ante diximus Num. 310. Atqui temporibus S. Pauli Reges & Principes tantum non omnes erant infideles. Ergo. II. Ex praxi antiquæ Ecclesiæ. Antiquissimæ Liturgiæ ostendunt oratum fuisse pro Ecclesiæ hostibus eorumque conversione. Tertullianus Lib. ad Scapulam, Cap. II. scribit: *Sacrificamus pro salute Imperatoris*, Pagani utique, & non Christiani. Et in Apologetico, Cap. XXX. *Nos pro salute Imperatorum Deum invocamus æternum.* III. Ex hodierna praxi Ecclesiæ, quæ die Parasceves orat pro omnibus Paganis, hæreticis, schismaticis, ac perfidis Judæis. IV. Ratione. Sacrificium Crucis pro omnibus oblatum est, eoquod Christus sanguinem suum fuderit pro omnibus hominibus. Ergo etiam de se, præscindendo a prohibitione Ecclesiæ, pro omnibus offerri potest Sacrificium Missæ. Neque obstat S. Augustinus Lib. I. de Anima & ejus origine, Cap. IX. scribens: *Quis offerat corpus Christi, nisi pro iis qui sunt membra Christi?* Id enim intelligi debet de iis, qui vel actu sunt membra Christi, vel saltem potentia ac potestate, quales sunt etiam infideles & hæretici, cum omnes possint ad agnitionem veritatis pervenire, sicque Christo tamquam membra capiti uniri. Adde, quod S. Doctor l. c. non de vivis, sed de defunctis agit, qui si actu membra Christi non sunt, nullatenus esse possunt, quia correctioni in altera vita locus non datur.

Ob gravem tamen Ecclesiæ prohibitionem directe offerri nequit pro

319. Prob. etiam altera pars assertionis, præcipue de nominatim excommunicatis. Ecclesia Cap. *A nobis*, & Cap. *Sacris*, Extrav: de Sententia Excommunicat. per sententiam Judicis nominatim excommunicatos excludit a suis orationibus & suffragiis, prohibetque

nominatim excommunicatis.

betque ne ad altare nominentur; ut nimirum flagitiosi homines hoc disciplinæ rigore magis confundantur, ad mentem facilius & ad officium redeant, atque iteratis supplicationibus petant denuo recipi in gremium Ecclesiæ, unde ejecti merito fuerunt. Ergo Sacrificium Misſæ pro nominatim excommunicatis directe offerri nequit. Dixi, *directe*, pro bono ipsorum excommunicatorum vel spirituali vel temporali; *indirecte* enim, pro augmento nempe Ecclesiæ ejusque adunatione, etiam pro illis legitime offerri potest sacrificium, quia sic illud ordinatur directe ad bonum publicum totius Ecclesiæ. Illud præterea observo ex S. Thoma in IV. Sentent. Distinct. XVIII. Quæst. II. Artic. I. Sacerdotem, non quidem ut publicam Ministri Ecclesiæ personam agit, posſe in *Memento* etiam pro nominatim excommunicatis orare, privata oratione & intentione; quia hoc nulla Lege prohibitum est, cum tantum Ecclesia nolit excommunicatos habere partem in orationibus, quæ pro corpore Ecclesiæ fiunt.

Sacrificium Misſæ pro defunctis in purgatorio detentis offerri potest.

320. Quæres VIII. An Sacrificium Misſæ offerri posſit pro defunctis? Resp. offerri salubriter posſe pro animabus in purgatorio detentis, at non pro damnatis. Prob. prima pars asſertionis I^{mo} Auctoritate Scripturarum. II. Machab. Cap. XII. Judas Machabæus sacrificium Jerosolymis offerri jusſit *pro peccatis mortuorum, bene & religiose de resurrectione cogitans. - - Sancta ergo & salubris est cogitatio pro defunctis exorare, ut a peccatis solvantur.* Ergo si sacrificia veteris Legis, umbræ & figuræ nostri sacrificii offerri potuerunt pro defunctis, multo magis pro illis offerri poterit Misſæ Sacrificium. Prob. II. ex praxi Ecclesiæ, quæ, ut ex antiquisſimis Liturgiis constat, semper ad altare meminit defunctorum. Prob. III. Auctoritute Patrum, Tertulliani Lib. de Corona Militis, Cap. III. S. Cypriani Epist. LXVI. S. Cyrilli Jerosol. Catech. Mystag. V. S. Ambrosii in Orat. de obitu Satyri, & Valentiniani. S. Augustini in Lib. de cura pro mortuis gerenda &c.

IV. Aucto-

IV. Auctoritate Conciliorum, Carthaginensis III. Cap. XXIX. Carthaginensis IV. Cap. LXXIX. Cabilonensis II. Can. XXXIX. Tridentini Sess. XXII. Cap. II. & Can. III. V. Auctoritate Ecclesiæ, quæ Aërium docentem, Sacrificium Missæ pro defunctis existentibus in purgatorio rite offerri non posse, proscripsit, ut testantur S. Epiphanius Hær. LXXV. & S. Augustinus Lib. de Hæresibus, Cap. LIII. Vide dicta Tomo III. Artic. V. Controversia unica.

Non tamen pro damnatis.

321. Prob. etiam altera pars assertionis. Missæ Sacrificium offerri pro illis nequit, quibus prodesse amplius non potest. Atqui damnatis prodesse amplius nulla ratione potest. P. min. Sacrificium Missæ prodesse damnatis non potest ad remissionem culpæ, quia illi jam sunt in termino constituti, neque peccatum ullo modo retractare queunt: neque prodesse potest ad remissionem pœnæ, quia illam ex justissimo Dei decreto æternam esse ostendimus Tomo IV. Artic. II. Controversia V. Atque ex hac pœnarum æternitate colligitur, damnatis neque aliquam pœnarum remissionem aut mitigationem impetrari posse. Si enim per unum Missæ Sacrificium damnato impetrari posset aliqua pœnæ remissio, multiplicatis sacrificiis posset tandem liberari a tota pœna saltem pro aliquo tempore, cum singula Missæ Sacrificia æqualem habeant efficaciam. Neque assertioni nostræ refragatur S. Augustinus in Enchiridio, Cap. CX. & CXII.; priori enim loco expendens fructus Sacrificii dum ait: *Quibus autem prosunt, aut ad hoc prosunt ut sit plena remissio, aut certe ut tolerabilior fiat ipsa damnatio*, nomine *damnationis* non intelligit æternam illam impiorum, sed supplicium a divina justitia irrogatum animabus ex hac vita migrantibus, nondum perfecte purgatis: posteriori autem loco id unum contendit, sententiam illam quæ asserit pœnas damnatorum mitigari aliquo modo posse, non esse tam aperte falsam atque hæreticam, ac altera quæ pœnarum æternitatem negat.

Sacrificium Missæ recte ac legitime offertur Deo in honorem Sanctorum.

322. Quæres IX. An liceat Sacrificium Missæ Deo offerre in honorem Sanctorum? Resp. affirmative. Prob. assertio I. ex antiquissimis Liturgiis, in quibus memoria fit & invocatio Sanctorum, ad agendas Deo gratias pro illorum victoriis, & ad obtinendum illorum apud Deum patrocinium, atque ad augmentum illorum gloriæ, non essentialis quidem, sed accidentalis. II. Auctoritate Patrum. S. Cyrillus Jerosol. Catech. Mystagog. V. scribit: *Cum hoc sacrificium offerimus, mentionem facimus eorum qui ante nos obdormierunt, primum Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum, Martyrum, ut Deus orationibus illorum & deprecationibus suscipiat preces nostras.* S. Augustinus Tract. LXXXIV. in Joan. *Non sic eos* (Martyres) *commemoramus*, (ad altare) *quemadmodum alios qui in pace requiescunt, ut etiam pro eis oremus, sed magis ut ipsi pro nobis.* III. Auctoritate Tridentini Sess. XXII. Can. V. *Siquis dixerit, imposturam esse Missam celebrare in honorem Sanctorum, & pro illorum intercessione apud Deum obtinenda, sicut Ecclesia intendit; anathema sit.* IV. Ratione. In Sacrificio Missæ recte aguntur Deo gratiæ pro beneficiis a Deo in nos vel fratres nostros collatis. Atqui quod Deus Sanctis gratiam contulerit mundum, carnem, & diabolum superandi, eosque post victoriam æterna gloria coronaverit, maximum est Dei beneficium. Ergo in Missæ Sacrificio recte Deo aguntur gratiæ pro victoria & remuneratione Sanctorum: adeoque licitum est Sanctos in Missa cum honore invocare, *ut ea celebritate*, quemadmodum scribit S. Augustinus Lib. VIII. de Civit. Dei, Cap. XXVII. *& Deo vero de illorum victoriis gratias agamus, & nos ad imitationem talium coronarum atque palmarum, eodem invocato in auxilium, ex eorum memoriæ renovatione adhortemur.*

323. Quod si dicas I. S. Augustinus Lib. XXII. de Civit. Dei, Cap. X. negat, Sanctos a Sacerdote invocari in Sacrificio Missæ: *Non tamen a Sacerdote qui sacrificat, invocantur. Deo quippe, non ipsis sacrificat,*

eat, quamvis in memoria ſacrificet eorum. II. Christus non dixit Lucæ Cap. XXII. Hoc facite in Sanctorum, sed, *hoc facite in meam commemorationem.* Ergo Sacrificium Miſsæ non debet offerri in honorem Sanctorum. III. Christus se ipsum nobis tradit in Cœna, ut misericordiam consequamur per merita unicæ oblationis ejus. Ergo profanatur Cœna Domini, cum a Deo petitur, ut per merita & preces Sanctorum in omnibus divinæ protectionis muniamur auxilio. Resp. ad I. S. Augustinum non loqui de invocatione quæ fit per orationem, sed de illa quæ fit per oblationem seu sacrificium; quæ invocatio revera efficacissima est, quamvis tacita: & soli Deo competit tamquam auctori omnium bonorum. Ad II. N. C. Verba illa non de qualicunque commemoratione intelligenda sunt, sed de ea tantum, qua Sacrificium in Cruce peractum repræsentatur. Unde dicendo, *Hoc facite in meam commemorationem*, Christus eam tantum exclusit commemorationem, qua eorum paſsio & mors repræsentaretur. At vero in Ecclesia Catholica, quando Sacerdos Deo Sacrificium offert in honorem Sanctorum, non fit eorum commemoratio tamquam hostiæ quæ pro redemptione nostra oblata fuit; sed Deo gratiæ aguntur pro eorum victoria, ut ipsi pro nobis intercedere dignentur in cœlis, quorum memoriam facimus in terris. Ad III. N. C. Non petimus merita & preces Sanctorum adjungi ad supplendum defectum & insufficientiam meritorum Christi, ut major ipsis virtus accedat: Quomodo enim merita Sanctorum virium aliquid conferent infinitis Christi meritis, cum ipsa omnem suum valorem & pretium trahant ex meritis Christi? Sed ideo illa petimus adjungi, ne indignitas nostra obstet, quo minus meritum rei oblatæ, quæ per se valoris est infiniti, nobis applicetur: utque Sancti potenti sua intercesſione Christum nobis concilient.

Veſtes ſacræ in Miſſæ Sacrificio recte adhibentur.

324. Quæres X. An Vestes sacræ in Miſsæ Sacrificio recte adhibeantur? Resp. affirmative. Prob. aſsertio I^mo Legis veteris exemplo, in qua Pontifex &

& Sacerdotes oblaturi sacrificia certis vestibus utebantur, ab ipso Deo præscriptis. II. Ex Antiquissima praxi Ecclesiæ, jam inde ab Apostolis profecta. II. ad Timoth. Cap. IV. scribit Apostolus: *Penulam, quam reliqui Troade apud Carpum, veniens affer tecum.* Quæ vox *penula* juxta communiorem Eruditorum sententiam, significat vestem sacram, qua Apostolus utebatur ad sacrificandum. Eusebius Lib. V. Hist. Eccles. Cap. XXIII. profert fragmentum Epistolæ a Polycrate Ephesino Episcopo ad Victorem Pontificem misſæ, in qua de S. Joanne Apostolo dicitur: *Supra pectus Domini recubuit, & Pontifex ejus fuit, auream laminam in fronte portans.* Quam utique laminam non paſsim deferre voluit, sed in divinorum Mysteriorum celebratione. Idem de S. Jacobo Jerosolymitano Episcopo testantur Clemens Alexandrinus, Eusebius, S. Epiphanius Hær. XXIX. & LXXVIII., ac S. Hieronymus Lib. de Scriptor. Eccles. Huc pertinet vetus decretum, sub Stephani I. Pontificis nomine ab Anastasio in ejus Vita commemoratum: *Veſtimenta vero Eccleſiaſtica, quibus Domino miniſtratur, cultusque divinus omni cum honorificentia & honeſtate a Sacerdotibus reliquisque Eccleſiæ Miniſtris celebratur, & ſacrata eſſe debent, & honeſta, quibus aliis in uſibus, cum Deo ejusque ſervitio conſecrata & dedicata ſint, nemo debet frui, quam Eccleſiaſticis & Deo dignis officiis: nec ab aliis debent contingi aut ferri, niſi a ſacratis hominibus.* Eusebius Lib. X. Hist. Eccles. Cap. IV. in Orat. Panegyrica de ædificatione Ecclesiarum Paulino Tyriorum Episcopo dicata, exordium ducit ab his verbis: *Amici Dei & Sacerdotes, qui ſacra tunica talari, & cœleſti gloriæ corona decorati, & Sacerdotali Sancti Spiritus veſte amicti eſtis.* Theodoretus Lib. II. Hist. Eccles. Cap. XXVII. narrat, Constantinum Magnum Macario Episcopo Jerosolymitano sacram vestem aureis filis contextam donaſse, ut ea indutus divini baptismi ministerium perageret. Hæc vestis amiſsa cum fuiſ-

set,

set, S. Cyrillo Sedem Jerosolymitanam tenente, ejusque adversarii illum accusarent, ac si eam vendidisset; casu incidit in manus Comici cujusdam nomine Thymelii, qui ausus illam in theatrum deferre, in pœnam sacræ vestis impiè violatæ repentina morte interiit. S. Hieronymus Comment. in Cap. XLIV. Ezechielis scribit: *Per quæ discimus non quotidianis & quibuslibet pro usu vitæ communis pollutis vestibus nos ingredi debere in Sancta Sanctorum, sed munda conscientia & mundis vestibus tenere Domini Sacramenta. - - Porro Religio divina alterum habitum habet in ministerio, alterum in usu vitaque communi.* Idem in Epist. ad Heliodorum de obitu Nepotiani scribit, sibi a Nepotiano Presbytero moriente relictam fuisse tunicam, qua utebatur in ministerio Christi. Et Lib. I. contra Pelagianos, Episcopos & Presbyteros omnemque Clerum in Sacrificii administratione candidis uti vestibus: quod ipsum testatur quoque S. Joan. Chrysostomus Hom. LXXXIII. in Matth. Ergo primis IV. Ecclesiæ sæculis Ministri sacri ad altare peculiares vestes deferebant, quas gestare communiter, & ad profanos usus convertere, nefarium ac sacrilegum putabatur. Ergo nihil habent Protestantes, quod sacrarum vestium usui in Missæ Sacrificio merito opponant. Prob. III. Auctoritate Tridentini, quod Sess. XXII. Can. VII. ita definit: *Si quis dixerit, cæremonias, vestes, & externa signa, quibus in Missarum celebratione Ecclesia Catholica utitur, irritabula impietatis esse magis, quam officia pietatis; anathema sit.* Prob. IV. a pari vel simili. Reges ac Magistratus in publicis actionibus non utuntur vestitu vulgari, sed alio augustiore, quo & reverentia ipsis concilietur, & simul imperium eorum ac potestas repræsentetur. Ergo cum sacrificandi ministerio nullum sanctius & augustius sit, conveniens plane fuit, ut Sacerdotes sine vestitu peculiari Liturgiam sacram non facerent, tum ad reverentiam Augusto huic Mysterio conciliandam, tum ad ipsam Christi passionem repræsentandam. Confirmari hæc possunt ex omnium Gentium

usu,

usu, quæ rationis lumine illustratæ semper judicarunt, nefas eſse Sacerdotibus suis absque peculiari vestitu Diis suis litare, quo sic majori decentia ac reverentia sacrificium perageretur.

Conſuetudo lingua Latina celebrandi Liturgiam, legitima eſt.

325. Quæres XI. An antiqua & legitima sit consuetudo Ecclesiæ Occidentalis sacram Liturgiam celebrandi lingua Latina, non autem vulgari? Resp. legitimam eſse, semperque in Latina Ecclesia observatam. Prob. prima pars aſsertionis duplici ratione. Prima est. Usus Sacrorum linguis vernaculis videtur unitati fidei, religionis, charitatis, & societatis adversari; tollitur enim nexus ille communicationis, quo Eclesiæ in divinis rebus sociari debent. Altera est. Linguæ vulgares firmiter constitutæ non sunt, & in singulas fere ætates mutationem subeunt, ut quotidiana nos docet experientia: ideoque si Liturgia vulgari lingua perageretur, vel risum in audientibus ob styli diversitatem excitaret, vel creberrime eſset mutanda, ob perpetuas linguæ vernaculæ viciſsitudines.

Ac ſemper in Latina Eccleſia obſervata.

326. Prob. etiam altera pars aſsertionis. Ab Apostolicis temporibus ad nostra usque constat in Occidentali Ecclesia non alia lingua quam Latina Miſsam fuiſse celebratam, ut patet ex antiquiſsimis Liturgiis, Romana, Gallicana veteri, Mozarabica, Africana, Anglicana &c. quamvis apud eos populos diversa fuerit iis temporibus lingua vulgaris. Sæculo IX. Joannes VIII. Epist. ad S. Methodium, qui Moravorum Gentem ad Christum perduxerat, scribit: *Audivimus etiam quod Miſsas cantas in barbara, hoc eſt, in Sclavina lingua, unde jam litteris noſtris per Paulum Epiſcopum Anconitanum tibi directis prohibuimus, ne in ea lingua ſacra Miſsarum ſolemnia celebrares, ſed vel in Latina, vel in Græca lingua, ſicut Eccleſia Dei toto terrarum orbe diffuſa & in omnibus Gentibus dilatata cantat; prædicare vero aut ſermonem populo facere tibi licet.* At vero paulo post Pontifex explorata Methodii fide, qui Romam profectus erat ad visitanda Apostolorum limina, inspectaque Sclavonicæ Liturgiæ fideli versione,

ne, potestatem illi fecit ea utendi, quod Moravi recens ad fidem conversi Ministris carerent Græcæ aut Latinæ Linguæ peritis; hac tamen lege, ut Evangelium legeretur primo Latine, deinde Sclavonice, modo interpretatio fidelis esset atque ab erroribus immunis. Sæculo XI. Alexandri II. Pontificis ætate habitum est Concilium ab Apostolicæ Sedis Legato, qui universos Dalmatiæ & Croatiæ Episcopos concivit; atque in eo sancitum fuit, ne quisquam auderet sacra Mysteria lingua Sclavonica celebrare, sed dumtaxat Latina vel Græca. Eodem Sæculo S. Gregorius VII. Uratislao Bohemorum Duci facultatem negavit Missam Sclavonica lingua celebrandi. *Quia Nobilitas tua*, scribit S. Pontifex, *postulavit, quod secundum Sclavonicam linguam apud vos divinum celebrari annueremus Officium, scias nos huic petitioni tuæ nequaquam posse favere. Unde ne id fiat, auctoritate B. Petri inhibemus.* Ex quo colliges, Privilegium Moravis ab Apostolica Sede concessum, Sclavica lingua divina Mysteria peragendi, exiguo tempore durasse, non alia certe de causa, quam quia exorta fuerunt incommoda, quæ ab hac consuetudine separari vix possunt.

Argumenta contraria refutantur.

Melchisedech panem & vinum in Sacrificium obtulit.

327. Objicitur I. contra II. Conclusionem, Infirmitas primi argumenti ex Scripturis petiti. Melchisedech quamvis Rex fuerit & Sacerdos, panem tamen & vinum non protulit ad sacrificium Deo offerendum, sed ad reficiendos Abrahami milites qui ex prælio redibant fatigati. Ergo. Resp. N. A. cujus falsitas ostenditur I^{mo} ex Scripturis. Genes. Cap. XIV. dicitur: *Melchisedech Rex Salem proferens panem & vinum, erat enim Sacerdos Dei Altissimi, benedixit ei.* Quid autem ad reficiendos Abrahami milites contulit titulus Sacerdotis in Melchisedecho? Ergo Melchisedech panem & vinum protulit, quia Sacerdos erat, utque sacrificium Deo offerret in gratiarum actionem pro relata ab Abrahamo victoria. Illud facile

cile adversariis dari potest, panem & vinum, posteaquam Deo in sacrificium oblata fuerunt, distributa fuiſse Abrahami militibus, non ad famem & sitim depellendam, sed ut sacrificii eſsent participes. II. Ex Patribus, quorum testimonia exhibuimus Num. 287. III. Ratione. Abrahami milites, ut ex eodem Cap. XIV. Gen. manifeste colligitur, ingenti præda ac spoliis ditati fuerant, antequam illis Melchisedech occurreret, ideoque annonæ penuria non laborabant.

Fuitque figura ac typus Christi.

328. Dices I. Saltem evinci nequit, Melchisedechum in oblatione panis & vini fuiſse typum & figuram Christi. Ergo. P. A. Oblatio panis & vini fuit etiam usitata in sacrificiis Aaronicis. Ergo propter hanc oblationem non minus Aaron quam Melchisedech fuit figura Christi. Resp. N. A. Id enim manifeste aſserunt Patres a nobis Num. 287. laudati. Ad *prob.* D. A. Oblatio panis & vini usitata erat in sacrificiis Aaronicis tamquam principalis & integra sacrificii materia, N. A. Tamquam pars aliqua, atque ut ita dicam, tamquam condimentum sacrificii, C. A. N. C. Sacrificium principale atque integrum Aaronis constabat ex animalibus. Hinc patet, Melchisedechum potius quam Aaronem figuram fuiſse Christi in oblatione panis & vini. Nam sicut Melchisedech obtulit panem & vinum sine animalibus: ita Christus in ultima Cœna obtulit suam carnem & sanguinem sub speciebus panis & vini, sine oblatione animalium.

In oblatione panis & vini.

329. Dices II. Similitudo, quæ datur inter Melchisedech & Christum ad Hebr. Cap. VII. non consistit in oblatione panis & vini, sed in aliis rebus. Ergo ex verbis Apostoli non evincitur, Christum instituendo Eucharistiam verum sacrificium Deo obtuliſse. P. A. Quemadmodum Melchisedech Rex erat justitiæ, Rex Salem, id est, pacis, atque ab Apostolo inducitur sine patre & matre, neque initium dierum habens neque finem: ita Christus Rex est justitiæ, non solum quia judicat populum in æquitate,

sed

sed etiam quia ex perfecta justitia Deo pro nobis satisfecit: Rex pacis qui e cœlo misſus est, ut inter Deum & homines pacem conciliaret: sine Patre ut homo, sine Matre ut Deus: æternum habens Sacerdotium, quia in sui immolatione cruenta nulli alteri succeſsit, neque alius illi succedit. Ergo similitudo illa non consistit in oblatione panis & vini. Resp. N. A. Quamvis similitudo illa consistat in aliis etiam rebus, potiſsimum tamen ac præcipue consistit in oblatione panis & vini. Ad *probat.* C. A. N. C. Christus ab Apostolo ad Hebr. Cap. VII. vocatur Sacerdos, non secundum ordinem aliorum Sacerdotum, sed *ſecundum ordinem Melchiſedech*, id est, secundum ritum Melchisedechi. Ergo Melchisedech quatenus Sacerdos, peculiare habuit aliquid ac proprium, quod alii Sacerdotes non habuerunt, in quo Christum repræsentaret. Atqui quod fuerit Rex justitiæ & pacis, quodque ab Apostolo dicatur fuiſse sine Genealogia, neque initium neque finem dierum habens, nullo modo hæc ad Sacerdotium pertinent. Ergo in oblatione potiſsimum panis & vini fuit figura & typus Christi.

Quamvis Apoſtolus hujus oblationis diſerte non meminerit.

330. Dices III. Si similitudo Melchisedechi & Christi primario consisteret in oblatione panis & vini, Apostolus ad Hebr. Cap. VII. absque dubio mentionem feciſset hujus oblationis. Atqui ne verbum quidem de illa facit Apostolus, sed alia adducit capita, in quibus Melchisedecho Christum aſsimilat. Ergo. Resp. N. M. Apostolus nullam hujus oblationis mentionem facit, tum quia carnales Judæi nondum idonei & capaces erant capiendo sublimi Eucharistiæ Mysterio; tum quia hujus oblationis mentio ad scopum Apostoli minime pertinebat. Paulus enim l. c. noluit ex instituto similitudinem explicare inter Christum & Melchisedechum; sed excellentiam Sacerdotii Christi supra Angelos, Moysem, & Sacerdotes Aaronicos Hebræis explicare instituit, qui de Chisto non ita magnifice ac de illis sentiebant. Ostendit itaque I^mo^ Christum sublimiorem eſse Angelis.

lis. Ad Hebr. Cap. I. *Tanto melior Angelis effectus, quanto differentius præ illis nomen hæreditavit. Cui enim dixit aliquando Angelorum, Filius meus es tu, ego hodie genui te?* II. Christum Moysi præferendum efse. Ad Hebr. Cap. III. *Moyses quidem fidelis erat in tota domo ejus tamquam famulus - - Christus vero tamquam Filius in domo sua.* III. Sacerdotium Christi longe excellentius efse Aaronico hac ratione demonstrat: Melchisedech excellentior fuit Aarone, Sed Christus est Sacerdos secundum ordinem Melchisedech, Ergo Sacerdotium Christi est excellentius Aaronico. Majorem propositionem triplici argumento confirmat. I^{mo}. Quia Melchisedech benedixit Abrahamo, ideoque etiam Aaroni in ejus lumbis existenti: major autem benedicit minori. II. Quia accepit decimas ab Abrahamo, adeoque etiam ab Aarone. III. Quia non legitur initium habuifse dierum aut finem. Minorem propositionem probat tum ex Psal. CIX. *Tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech:* tum ex eo, quia Aaronicum Sacerdotium per continuam generationum seriem ad posteros transmittebatur; Christus autem non ex Tribu Levi, sed ex Tribu Juda progenitus erat, ejusque Sacerdotium æternum est, numquam cefsaturum, ac semper stabile. Ex his itaque facile apparet, Apostolum non disputafse cum Judæis de figura & similitudine inter Christum & Melchisedechum; sed de excellentia Sacerdotii Christi supra Sacerdotium Aaronicum, ad quam declarandam minime opus erat confugere ad oblationem panis & vini. Judæi enim facile respondifsent, sacrificia animalium non fuifse inferiora oblatione panis & vini; ideoque ex eo capite Melchisedechum nequaquam Aaroni præponendum efse.

Agnus Paschalis figura fuit Sacrificii Christi; cruenti & incruenti.

331. Objic. II. Infirmitas tertii argumenti ex Scripturis petiti. Agnus Paschalis figura fuit cruenti tantum sacrificii in Cruce peracti, minime autem Eucharistiæ. Ergo. P. A. I^{mo}. Agni immolatio fuit cruenta. Ergo si typus fuifset Eucharistiæ, figura non responderet figurato. II. Agnus a multitudine filio-

filiorum Israel immolabatur: Eucharistia a solis Sacerdotibus conficitur. III. Sacrificium Agni Paschalis non erat propitiatorium pro peccato, ut Catholici Eucharistiam esse sentiunt; sed in memoriam transitus Domini, & liberationis ab Angelo exterminatore. Resp. N. A. Agnus paschalis utriusque sacrificii tam cruenti in Cruce, quam incruenti in Eucharistia, typus fuit & figura: cruenti quidem, quatenus Agnus cruente immolabatur; & sub hac ratione figuram hanc impletam fuisse in Cruce fatemur; ibi enim Agnus Dei qui tollit peccata mundi, est mactatus: incruenti vero, quatenus Agnus a Deo immolari est jussus in memoriam liberationis ab Angelo exterminatore. Hanc ipsam fuisse Patrum doctrinam ostendimus Num. 288., cui manifeste suffragatur Apostolus I. ad Cor. Cap. V. scribens: *Pascha nostrum immolatus est Christus;* cum Enim *Pascha nostrum* dixisse oblationem Eucharistiæ a Christo factam, dignoscitur ex iis quæ immediate Paulus subjungit: *Itaque epulemur, non in fermento veteri, neque in fermento malitiæ & nequitiæ, sed in azymis sinceritatis & veritatis.* Quibus verbis alludit ad panem azymum, sub quo incruente immolatus est Christus. Ad *prob.* Imam Resp. C. A. N. C. Modus cruentæ mactationis Agni ad figuram Eucharistiæ non pertinet, sed tantum ejus oblatio & manducatio. Atque ita S. Augustinus Lib. XVII. de Civit. Dei, Cap. XX. & Lib. I. contra Adversarium Legis & Prophetarum, Cap. XVIII. S. Leo M. Serm. VIII. de Passione Domini, aliique Patres docent, omnia Sacrificia veteris Legis, quamtumvis cruenta, figuras fuisse Sacrificii Eucharistiæ; non quidem quoad modum immolationis, sed quoad oblationem, aliaque. Ad II. Resp. Sicut Agnus paschalis in veteri Lege a patrefamilias tantum proprie ac per se immolabatur, reliquis per illum immolantibus, & voluntate ac participatione in sacrificium consentientibus: ita in nova Lege Presbyteri soli, qui in Christi familia patres sunt, Agnum immaculatum offerunt & immolant modo incruento,

proprie ac per se; populus autem per illos immolat, & voluntate ac participatione in sacrificium consentit. Ad III. C. A. D. C. Ergo Agnus paschalis non fuit figura Sacrificii Misſæ, prout hoc est propitiatorium pro peccato, C. C. Prout hoc est gratiarum actorium, & commemorativum liberationis a servitute diaboli, N. C. Id unum dicimus, Agnum paschalem principaliter Eucharistiam repræsentaſse, quamvis non in omnibus.

Proteſtantes frustra nobis rationem objiciunt.

332. Objic. III. Ratio. Si Christus in Cœna verum obtulisset sacrificium, supervacanea fuisset mors illius pro peccatis nostris in Cruce obita. Atqui id dici nequit. Ergo. P. M. Sacrificium Eucharistiæ fuisset infiniti valoris. Ergo suffecisset ad redimendos homines; adeoque supervacanea fuisset mors Christi. Resp. N. M. Ad *probat.* N. ult. Conseq. Quamvis omnes actiones Christi fuerint valoris simpliciter infiniti, quem ex infinita divini Verbi excellentia trahebant, suffecisſentque ad condigne, immo superabundanter satisfaciendum divinæ justitiæ pro peccatis totius mundi; voluit tamen Christus, ut flagrantiſsimam suam erga nos charitatem ostenderet, salutis nostræ negotium in Cruce absolvere, secundum consilium suum & voluntatem æterni Patris.

Diſcordiam Patrum Tridentinorum.

333. Objic. IV. Tridentinorum Patrum discordia. Magna lis orta fuit inter ipsos Tridentinos Patres, an Christus in Cœna se ipsum obtulerit Patri sacrificium. Ergo id nequaquam pro certo habendum est. Resp. N. A. Tridentinos inter Patres vix alia disceptatio fuit, quam de fine oblationis Christi in ultima Cœna; num scilicet illa fuerit propitiatoria, an Eucharistica tantum & gratiarum actionis, cum nondum eſset peractum cruentum Sacrificium. Re tamen attentius discuſsa, fere omnes, etiam illi qui acerrime antea restiterant, in hanc sententiam abiere: Christum in ultima Cœna semetipsum Patri obtuliſse pro peccatis nostris. Vide Sfortiam Card. Pallavicinum in Hist. Conc. Tridentini, Lib. XVIII. Cap. II. Hanc nihilominus controversiam

defi-

definire noluit Tridentinum, quamvis definiverit, Misſæ Sacrificium esse vere propitiatorium.

334. Objic. V. contra V. Conclusionem Auctoritas Scripturæ. Apostolus ad Hebr. Cap. X. scribit: *Sanctificati sumus per oblationem corporis Jesu Christi semel, - - - una enim oblatione consummavit in sempiternum sanctificatos.* Ergo in Religione Christiana aliud sacrificium agnosci non potest, quam illud in Cruce peractum. P. C. Si præter illud in Cruce peractum aliud daretur sacrificium, perfecta non fuisset in Cruce omnium peccatorum abolitio & remissio. Atqui hoc repugnat Apostolo. Ergo. Resp. C. A. N. C. Christus per unicum Sacrificium Crucis omne redemptionis nostræ pretium abunde solvit, nec alio ad id opus est sacrificio; quippe Sacrificium Missæ idem omnino est quoad substantiam cum Sacrificio Crucis, ut Tridentinum ait Sess. XXII. Cap. II. *Una eademque est hostia, idem nunc offerens Sacerdotum ministerio, qui seipsum tunc in Cruce obtulit, sola offerendi ratione diversa. Cujus quidem oblationis cruentæ, inquam, fructus per hanc* (incruentam) *uberrime percipiuntur: tantum abest, ut illi per hanc quovis modo derogetur.* Ad *prob.* D. M. Perfecta non fuisset peccatorum abolitio quoad solutionem pretii redemptionis nostræ, N. M. Quoad applicationem fructus Sacrificii Crucis, C. M. Et sic dist. min N. Conseq.

Auctoritatem Scripturæ.

335. Dices I. Sacrificium Crucis valoris fuit infiniti, habetque infinitam vim sanctificandi homines. Ergo multiplicare tot Sacrificia Missæ nihil aliud est, quam negare virtutem & sufficientiam Sacrificii Crucis. Resp. I. retorquendo. Ergo non opus est Baptismo & Eucharistia; adeoque multiplicare hæc omnia nihil aliud est, quam negare virtutem & sufficientiam Sacrificii Crucis. Ut quid ergo Protestantes baptizant, & Cœnam celebrant in remissionem peccatorum? Resp. II. C. A. N. C. Equidem alio Sacrificio Crucis non indigemus, aut ut Christus pro nobis sæpius moriatur, cum ille semel moriendo sufficientissime Deo Patri pro nobis satisfecerit. At vero

ro aliis de causis incruento Mifsæ Sacrificio indigemus. I. Quia vera Religio subsistere nequit sine externo Sacrificio proprie tali. II. Ad exhibendum Deo supremum latriæ cultum, qui per solum Sacrificium proprie dictum ei exhibetur. III. Ad jugem Sacrificii Crucis memoriam. IV. Ut fructus Sacrificii Crucis in particulari nobis applicetur. Quamvis enim pretium in Cruce persolutum sit, debet tamen illud nobis applicari per media a Deo in hunc finem instituta, inter quæ efficacifsimum omnino est incruentum Mifsæ Sacrificium, quod se habet per modum canalis, per quem virtus sanguinis Christi ad homines derivatur. Ex quo sequitur, Sacrificium Mifsæ nihil derogare Sacrificio Crucis, ac minime superfluum efse: non enim ordinatur illud ad augendam vim & efficaciam Sacrificii Crucis, quæ cum infinita sit, non indiget augmento; sed partim ad illam repræsentandam, partim ad fructum ejus nobis applicandum.

336. Dices II. Apostolus ad Hebr. Cap. IX. excludit iteratam oblationem Christi. *Non enim*, inquit, *in manufacta Sancta Jesus introivit, exemplaria verorum: sed in ipsum cœlum, ut appareat nunc vultui Dei pro nobis: neque ut sæpe offerat semetipsum, quemadmodum Pontifex intrat in Sancta per singulos annos in sanguine alieno: alioquin oportebat eum frequenter pati ab origine mundi: nunc autem semel in consummatione sæculorum, ad destitutionem peccati per hostiam suam, apparuit.* Ergo Apostolus excludit Sacrificium Mifsæ, quod est iterata oblatio Christi. Resp. D. A. Apostolus excludit iterationem oblationis cruentæ Christi, C. A. Oblationis incruentæ quæ fit in Sacrificio Mifsæ, N. A. & Conseq. Apostoli mens manifeste colligitur ex contextu, atque exemplo quo utitur Summi Sacerdotis Judæorum, in sanguine alieno intrantis in Sancta.

Sacerdotium Christi.

337. Objic. VI. Sacerdotium Christi. Christus est Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech. Ergo nullum habet in Sacerdotio succefsorem

rem seu vicarium. Atqui si in Ecclesia nulli dantur Sacerdotes, nullum etiam sacrificium offertur. Ergo. *Confirm.* I. Apostolus ad Hebræos Cap. VII. ait, ideo in veteri Testamento fuiſse plures Sacerdotes, quorum unus alteri succederet, quia singuli erant morti obnoxii. Atqui hæc ratio pro Christo non pugnat, qui resurgens a mortuis jam non amplius moritur. *Confirm.* II. Multiplicatio Sacerdotum repugnat unitati Sacerdotii Christi. Ergo. Resp. C. A. N. C. Christus succeſsorem equidem in Sacerdotio non habet cum pari potestate, quia semper vivit ad interpellandum pro nobis: attamen Vicarios & Ministros habet, qui illi subserviunt in officio Sacerdotali, & per quos Christus Sacerdos in æternum juxta ritum Melchisedechi, visibili & humano modo sacrificat in terris usque ad mundi consummationem. Hujus rei exemplum aliquod nobis suppeditat Princeps terrenus, qui quamdiu vivit & potestatem suam exercet, non habet succeſsorem cum pari potestate; habet tamen vicarios & ministros qui illi subserviunt. Ad I. *confirm.* Resp. Apostoli argumentum illud id tantum evincere, quod paulo ante a nobis dictum est, Christo nimirum neminem succedere in eadem dignitate & potestate, sicut demortuo Aaroni succeſsit Eleazarus: Christo autem vivente, multos inferiores Sacerdotes ordinari qui sint ejus vicarii & administri, Paulus non inficiatur. Ad II. *confirm.* Resp. D. A. Multiplicatio Sacerdotum ejusdem dignitatis & potestatis repugnat unitati Sacerdotii Christi, C. A. Multiplicatio Sacerdotum longe inferioris dignitatis, N. A. Sicut unitati Principatus politici non repugnat multiplicatio Ministrorum qui Principi sunt subjecti; ita nec multiplicatio Sacerdotum longe inferioris dignitatis repugnat unitati Sacerdotii Christi.

Naturam Sacrificii.

338. Objic. VII. Natura sacrificii. Sacrificium debet offerri Deo, non autem comedi ab hominibus. Atqui Eucharistia non offertur Deo, sed comeditur ab hominibus. Ergo Eucharistia non est sacrificium. Resp. I. N. M. Agnus paschalis verum erat sacrificium,

cium, totus offerebatur Deo, & totus comedebatur a populo Judaico. Quod si dicas, Agnum paschalem fuisse sacrificium gratiarum actionis; Eucharistiam vero juxta nos esse sacrificium perfectissimum, nempe holocaustum, in quo tota victima igne absumebatur in veteri Lege. Resp. Eucharistiam non modo holocaustum esse, sed etiam hostiam pacificam, sacrificium propitiatorium atque impetratorium, in quibus apud Judæos pars victimæ Sacerdoti obveniebat. Præterea quamvis Sacrificium Missæ quoad modum absumendi rem oblatam non sit ejusdem omnino rationis, cujus erant prisca illa Mosaica holocausta; hic tamen diversus absumendi modus nihil derogat perfectioni holocausti, quia intentio offerentis est, Deum per rei oblatæ immutationem colere, protestando sensibiliter infinitam ejus excellentiam & potestatem, quod perinde fieri potest, sive a ministro sive ab igne res oblata absumatur. Proinde Sacrificium Missæ holocaustum erit, non Mosaicum, sed Christianum. Resp. II. N. etiam min. Quemadmodum enim holocausta in veteri Lege, quæ igne penitus absumebantur, eo ipso tamen quia eorum absumptio præcipue ad Dei cultum & dominium profitendum referebatur, Deo tota cedebant; sic Eucharistia, quamquam a Sacerdote vel etiam a populo sumpta, tota cedit Deo, eique in sacrificium offertur; quia tota eò refertur, ut supremam Dei in omnes creaturas potestatem, atque infinitam ejus excellentiam agnoscamus & contestemur. Neque obstat, quod tota victima a Sacerdote absumatur. Si enim Deo idcirco offerri nequit, quia tota absumitur, multo minus holocausta veteris Legis Deo offerri potuissent, cum igne tota consumerentur; magis enim absumitur quod igne comburitur, quam quod manducatur.

339. Dices I. Ad Sacrificium proprie dictum requiritur occisio hostiæ. Ergo si Christus vere ac proprie in Missa sacrificatur, deberet a sacrificante occidi. Atqui id dici nequit, quia Christus resurgens

gens a mortuis jam non amplius moritur. Ergo. Resp. D. A. Ad sacrificium cruentum rei viventis, quando in forma rei viventis & in propria specie sacrificatur, requiritur occisio hostiæ. C. A. Ad sacrificium rei inanimis vel etiam viventis, quæ tamen sub aliena specie, & in forma rei inanimatæ sacrificatur, requiritur occisio hostiæ, N. A. & Conseq. In Miſsa offertur quidem Christus qui est res vivens, sed offertur in forma rei inanimatæ & in specie aliena, id est, panis & vini. Unde ut Miſsa verum sit ac proprie dictum sacrificium, non requiritur ut occidatur Christus occisione cruenta; sed sufficit ut moraliter destruatur secundum corpus & sanguinem. Qua autem ratione id fiat, diximus Num. 315.

340. Dices II. Si Miſsa eſset verum sacrificium, foret etiam novum testamentum distinctum ab eo, quod Christus in ultima Cœna instituit, novamque peccatorum remiſsionem promitteret. Atqui hoc dici nequit. Ergo. Resp. N. M. Miſsa non est novum testamentum, sed est testamenti a Christo instituti repetitio: nec promittit novam peccatorum remiſsionem, sed remiſsionem Sacrificio Crucis acquisitam applicat.

341. Objic. VIII. Natura Sacramenti. Quod est Sacramentum & testamentum, non potest simul eſse sacrificium. Sed Eucharistia est Sacramentum & testamentum. Ergo Eucharistia non potest simul eſse sacrificium. P. M. In Sacramento accipimus aliquid a Deo: in Sacrificio damus aliquid Deo. Ergo Sacramentum & Sacrificium sibi opponuntur. Resp. D. M. Non potest simul eſse sacrificium sub eadem ratione, sub qua est Sacramentum, C. M. Sub diversa ratione, N. M. Sic etiam Agnus paschalis in veteri Lege Sacramentum erat, ùt Christum præsignabat: & sacrificium, ùt Deo immolabatur. Eucharistia igitur est testamentum sive signaculum voluntatis Christi testatoris, quatenus est instrumentum publicum voluntatis & promiſsionis Christi de futuræ gloriæ hæreditate. Est Sacramentum, quatenus

Et Sacramenti.

externum & visibile signum est invisibilis gratiæ & spiritualis refectionis animarum nostrarum. Denique est Sacrificium, quatenus in ea Christus secundum corpus & sanguinem Deo offertur in agnitionem supremi ejus dominii, per utriusque destructionem moralem. Ad *prob.* C. A. N. C. Si dare aliquid Deo, & accipere aliquid a Deo, sibi opponerentur, nullum umquam sacrificium, quamtumvis spirituale tantum, Deo fuisset oblatum, aut offerri posset; omnis enim bona cogitatio est munus Dei, cum teste Apostolo, non simus sufficientes cogitare aliquid ex nobis; sed omnis sufficientia nostra ex Deo sit, qui dat nobis velle & perficere. Frustra igitur hortaretur nos Scriptura, ut exhibeamus corpora nostra hostiam viventem, utque offeramus Deo spirituales hostias. Ut quid ergo Deus in Lege naturæ & Mosaica oblationes ex terræ frugibus, & sacrificia pecorum sibi offerri sanxit & grata habuit, quamvis suæ erga genus humanum providentiæ essent dona?

CONTROVERSIA II.

AN MISSÆ PRIVATÆ SINT ILLICITÆ ET ILLEGITIMÆ?

CONTRA PROTESTANTES.

Sacrificium Missæ semper est commune & publicum.

342. Sacrosanctum Missæ Sacrificium, sive solemniter & præsente Fidelium multitudine, sive amotis omnibus præter ministrum testibus celebretur, si stricte & proprie loqui velimus, semper commune & publicum est, numquam privatum. Nam I. Missa semper offertur in gratiarum actionem pro morte Christi, & redemptione per ipsum facta, quæ sane publicum est beneficium, toti humano generi collatum. II. Pro omnibus Fidelibus ad corpus Christi mysticum pertinentibus celebratur. III. Offertur a Ministro Ecclesiæ, qui auctoritate publica, & ex solemni Dei institutione ad Liturgiam sacram est deputatus. IV. Offertur eo modo quoad substantiam, quo

quo Christus Summus Sacerdos constituit. V. Nemo in illis etiam Mifsis, qui velit & dignus sit, ab Eucharistiæ participatione impeditur. Hinc Tridentinum Sefs. XXII. Cap. VI. ait: *Illæ quoque Miſſæ* (quas Protestantes privatas vocant) *vere communes cenſeri debent; partim quod in iis populus ſpiritualiter communicet; partim vero quod a publico Eccleſiæ miniſtro, non pro ſe tantum, ſed pro omnibus fidelibus, qui ad corpus Chriſti pertinent, celebrantur.*

Errores Proteſtantium.

343. Omnium impudentifsimè, nostrorum temporum Sectarii in Mifsam, ut vocant, privatam debacchati sunt, quam etiam per risum & contemptum occultam & angularem appellant. Omnes tamen hac in re congenita sibi impudentia facile superavit Lutherus, præceptore usus diabolo, ut ipse fatetur in Lib. de Mifsa angulari & unctione Sacerdotum. Nomine Mifsæ privatæ Protestantes potifsimum intelligunt tum illam quæ in privato loco v. g. in privato Oratorio aut Sacello celebratur: tum illam, in qua solus Sacerdos communicat, quamvis in Templo celebret, atque etiam coram frequenti populo.

Miſſæ celebratæ in privatis Oratoriis, ſunt licitæ & legitimæ.

344. Conclusio I. Mifsæ quæ celebrantur in privatis locis v. g. Oratoriis, nequaquam illicitæ sunt & illegitimæ. Conclusio intelligenda est de loco privato quidem, sed sacro, atque ad divinum cultum deputato; in aliis enim locis non sacris, quantumcunque honeste præparatis, jure Ecclesiastico prohibitum est Mifsæ Sacrificium offerre, nisi privilegium a Sede Apostolica obtentum fuerit, aut Episcopus suadente necefsitate dispensârit. Prob. I. argumento negativo; quia id neque in Scripturis prohibetur, neque in Canonibus Conciliorum, aut scriptis Patrum, qui Traditionum depositarii sunt. Prob. II. positive, tum exemplo ipsius Christi, qui Eucharistiam instituit, eamque Apostolis distribuit in privata domo: tum ex antiquifsima Ecclesiæ praxi. Tempore persecutionum, fugatis undique & dispersis Fidelibus, Sacerdotes ut poterant, & ferebat iniquitas temporum, privatim in domibus & tuguriis Sacrificium per-

agebant. *Cumque ab omnibus fugaremur atque opprimeremur*, ait apud Eusebium Hist. Eccles. Lib. VII. Cap. XXII. Editionis Valesianæ S. Dionysius Alexandrinus, *nihilominus tunc quoque festos egimus dies. Quivis locus, in quo varias ærumnas singillatim pertulimus, ager, inquam, solitudo, navis, stabulum, carcer instar Templi ad sacros conventus peragendos fuit.* In ipsis secretioribus carcerum recessibus oblatam fuisse Eucharistiam, constat ex Epist. V. S. Cypriani ad Presbyteros & Diaconos, quos monuit S. Martyr, ut ad carceres, ubi in vincula Christi Confessores conjecti essent, clanculum, ne a Gentilibus deprehenderentur, ad Missam celebrandam accederent. In Vita SS. Joannis & Pauli, qui passi sunt sub Juliano Apostata, legitur, ante supremam dimicationem in eorum domo celebratum fuisse Missæ Sacrificium. S. Ambrosius Lib. de Exhortat. Virg. testatur, se in domo cujusdam Virginis Oratorium consecrasse in quo Sacrificium quotidie offerebatur. S. Gregorius Nazianzenus Orat. XIX. de obitu patris sui S. Gregorii senioris scribit, eum durante infirmitate sat longa celebrasse in cubiculo, immo in ultima infirmitate etiam in lecto. S. Augustinus Lib. XXII. de Civit. Dei, Cap. VIII. narrat, Presbyterum quemdam a se missum fuisse in domum rusticam, ut ibi offerret Sacrificium ad fuganda spectra; & hoc celebrato, malum quievisse. S. Gregorius M. Hom. XXXVII. in Evangelia scribit, S. Cassium Narniensem Episcopum aliquando in Episcopii Oratorio Missam celebrasse, eoquod morbo impeditus ad Ecclesiam descendere non potuerit. Idem Lib. V. Epist. XLIII. Joanni Syracusano Episcopo præcipit, ut in domo Venantii Missas celebrari permittat.

Atque etiam illæ, in quibus solus communicat Sacerdos.

345. Conclusio II. Missæ illæ, in quibus solus communicat Sacerdos, licitæ sunt ac legitimæ. Prob. I. argumento negativo. Nullum sive in Scripturis, sive in Traditione divina extat præceptum, ut qui Sacrificio Missæ intersunt, debeant participes fieri oblationis. Ergo. Prob. II. positive, ratione Theologica,

logica. Misſa, in qua solus Sacerdos communicat, est verum Sacrificium, cum sit oblatio externa, soli Deo facta in recognitionem supremi ejus dominii, a legitimo ministro ritu mystico consecrata: neque natura sacrificii exigit, ut aliqui, dum celebratur, intersint, ac Sacramenti fiant participes; quia totum sacrificium ad Deum refertur, & fructus illius particeps fieri potest sive qui absens sive qui præsens est. Ergo Misſa, in qua solus Sacerdes communicat, eſse nequit illicita aut illegitima.

Quod præcipue ex praxi veterum Fidelium oſtenditur.

346. Prob. III. Ex praxi veterum Fidelium. Quamvis enim Apostolicis temporibus Fideles fuerint perseverantes in doctrina Apostolorum & communicatione fractionis panis; paulo pòst tamen fervor hic adeo paſsim relanguit, ut plurimi semel tantum in anno Eucharistiam perciperent, quamvis Sacrificio Misſæ saltem diebus Dominicis intereſsent. Testem tepidæ hujus consuetudinis exhibemus S. Ambrosium, qui Lib. V. de Sacram. Cap. IV. ita Christianos alloquitur: *Si quotidianus eſt panis, cur poſt annum illum ſumis, quemadmodum Græci in Oriente facere consueverunt?* Et S. Joan. Chrysostomum Hom. V. in I. ad Timotheum: *Quomodo, inquies, iſta perpetimur, cum ſemel tantum per annum ea Sacramenta ſumamus? Hoc nempe eſt, quod universa perturbat: quia non munditia animi, verum intervallo temporis longiori conſtare meritum putas, ſummamque arbitraris reverentiam ac religionem eſſe, ſi non ſæpius cœleſtem adeas menſam.* Ecclesia equidem semper desideravit, atque adhuc desiderat, ut fideles primorum Christianorum pietatem æmulantes, singulis diebus Sacrificio Misſæ quotidie intersint, ac de oblatione participent; verumtamen ut id quotidie fiat, numquam præcepit, sed solum hortata est. Paucis exemplis rem hanc illustrabimus. S. Ambrosius Serm. XXXIV. hortatur populum, ut in Quadragesima, die saltem Dominico offerat & communicet; ibidem tamen omnes admonet, ut qui non fuerit legitime impeditus, quotidiano sacrificio intersit. Ergo sine communione populi quotidiana Misſa Mediolani fiebat.

bat. Concilium Agathense A. 506. Can. XVIII. ait: *Sæculares, qui Natale Domini, Pascha & Pentecosten non communicaverint, Catholici non credantur, nec inter Catholicos habeantur.* Et nihilominus Can. XLVII. statuit: *Missas die Dominico a sæcularibus totas teneri speciali ordinatione præcipimus: ita ut ante benedictionem Sacerdotis egredi populus non præsumat. Qui sic fecerint, ab Episcopo publice confundantur.* S. Nicolaus I. in Responsis ad Consulta Bulgarorum, Cap. IX. ait: *Corpori & sanguini Dominico quotidie in Quadragesima majori, si deberetis communicare, consulitis: quod ut fiat, Dominum omnipotentem suppliciter exoramus, & vos omnes vehementissime exhortamur, si tamen mens in affectu peccandi non sit.* Ubi vides Pontificem non urgere præcepto, sed hortari tantum Bulgaros ad quotidianam communionem in Quadragesima, quamvis illi diebus saltem Dominicis debuerint Missæ interesse. Toletanum XII. A. 681. Capitulo V. graviter reprehendit quosdam Sacerdotes, qui sacrificium offerentes non communicabant. *Quale erit*, ait, *illud sacrificium, cui nec ipse sacrificans participasse dignoscitur.* Quæ verba satis aperte indicant in ejusmodi sacrificio nullum omnino fuisse qui communicaret; & tamen Concilium non requirit, nisi ut Sacerdos ipse communicet: proinde rata habet ea sacrificia, in quibus solus communicat Sacerdos. Merito itaque Tridentina Synodus Protestanticam illam doctrinam proscripsit Sess. XXIII. Can. VIII. *Siquis dixerit, Missas, in quibus solus Sacerdos Sacramentaliter communicat, illicitas esse, ideoque abrogandas; anathema sit.*

Argumenta contraria refutantur.

Protestantibus nec Scripturarum.

347. Objicitur I. Auctoritas Scripturarum. Lucæ Cap. XXII. ait Christus: *Hoc facite in meam commemorationem.* Ex quibus verbis hoc argumentum instruunt Protestantes. Illud debet necessario fieri in Eucharistiæ celebratione, quod Christus fecit & facien-

ciendum constituit. Atqui Christus Eucharistiam instituens panem fregit, deditque discipulis ut manducarent, & hoc ipsum fieri in perpetuum jussit. Ergo si hoc in Eucharistiæ celebratione non observetur, Missa cum institutione Christi nulla ratione conveniet. II. Actuum Cap. II. dicitur de primis Fidelibus: *Et erant perseverantes in doctrina Apostolorum, & communicatione fractionis panis.* Ergo dispensatio Eucharistiæ fiebat in primitiva Ecclesia, dum Missa celebrabatur. Ergo absque adstantium communione Missa licite celebrari nequit. III. Apostolus I. ad Cor. Cap. XI. opponit Dominicam Cœnam privatæ, aitque, ubi privata cœna agitur, ibi non posse Dominicam Cœnam celebrari: *Convenientibus ergo vobis in unum, jam non est Dominicam Cœnam manducare. Unusquisque enim suam cœnam præsumit ad manducandum.* Atqui quando solus Sacerdos communicat, agitur privata cœna. Ergo quando solus Sacerdos communicat, non celebratur Cœna Dominica. Resp. ad I. D. M. Illud debet necessario fieri quod Christus fecit, si illud pertineat ad substantiam sacræ actionis & Sacramenti, C. M. Secus, N. M. Et sic dist. min. N. C. Non omnia quæ Christus fecit, pertinent ad substantiam sacræ actionis; alias Eucharistia noctu tantum, & cœnantibus aut jam cœnatis, solisque Evangelii Ministris, nec nisi præmissa pedum lotione esset administranda. Igitur oblatio, consecratio, atque participatio Sacerdotis de oblatis ad substantiam Sacrificii pertinent, atque in perpetuum ad Christi imitationem sunt tenenda: certo vero tempore & loco, privatim aut publice, paucis aut multis præsentibus, solo Sacerdote vel multis cum illo communicantibus Eucharistiam conficere, substantiam sacrificii hæc non attingunt. Ad II. N. ult. Conseq. Apostoli potuissent Sacrificium Missæ offerre, etiamsi nullus præsentium de oblatis participasset. Ad III. Resp. I^mo^ D. M. Et nomine Cœnæ Dominicæ intelligit Apostolus ipsam Eucharistiam, N. M. Intelligit convivium ab Eucharistia diversum, in memoriam

Cœnæ

Cœnæ Dominicæ primis temporibus celebrari solitum in ipsis Ecclesiis, quod *Agape* dicebatur, C. M. Cum ditiores Corinthii pauperes excluderent a conviviis suis, quæ in Ecclesiis celebrabant in memoriam ultimæ Cœnæ Dominicæ, merito reprehensi sunt ab Apostolo, quod ipsorum convivia non repræsentarent Cœnam Dominicam, in qua Christus communem simul cum Apostolis cibum habuit, nequidem excluso Juda proditore. Et profecto Apostolum non de Eucharistia, sed de conviviis illis loqui, quæ primis illis temporibus Fideles instituebant in Ecclesiis, manifeste colligitur ex contextu. Quem enim sensum habebunt verba illa Apostoli, siquidem de Eucharistia intelligantur: *Alius quidem esurit, alius autem ebrius est?* cum non ad hoc apposita fuerit mystica corporis & sanguinis Christi mensa, ut venter satiaretur, sed ut mens gratia impleretur: nec potuissent se Corinthii in hoc sacro Convivio ita ingurgitare, ut ebrii dicerentur; cum a sacris ministris non pleni calices, sed modica sacri liquoris portio singulis semel sumenda porrigeretur. Resp. II. N. etiam min. Quamvis solus Sacerdos communicet, Cœna illa dici non potest privata; nemo enim qui de mensa illa participare velit, & dignus sit, excluditur. Profecto cœna illa optimo jure publica dicitur, ad quam omnibus licet accedere, seseque reficere, quamvis unus tantum hoc beneficio utatur, cæteris cœnam illam fastidientibus.

348. Dices. Si Apostolus loco cit. non loqueretur de Cœna Eucharistica, inepte subjunxisset institutionem Eucharistiæ: *Ego enim accepi a Domino quod & tradidi vobis, quoniam Dominus Jesus in qua nocte tradebatur &c.* Atqui hoc dici nequit. Ergo. Resp. N. M. S. Chrysostomus Hom. in locum cit. rationem assignat: *Cur hic meminit Mysteriorum seu Sacramentorum? Quoniam ad præsens argumentum hæc oratio erat ei valde necessaria. Tuus enim, inquit, Dominus omnes eadem mensa est dignatus, licet ea esset valde reve-*

renda,

renda, & longe omnium superaret dignitatem: tu autem eos hac tua parva & vili indignos existimas.

349. Objic. II. Auctoritas Patrum. S. Chrysostomus Hom. III. in Epist. ad Ephesios scribit: *Frustra habetur oblatio quotidiana, cum nemo sit, qui simul participet, - - - Quisquis Mysteriorum consors non est, impudens & improbus adstat. - - - Si quis ad convivium vocatus, manus quidem laverit, & accubuerit, & tamen nihil ciborum gustaverit, nonne infert contumeliam convivatori, a quo fuerat vocatus? An non satius fuerat, eum qui talis est, prorsus non comparuisse?* Ergo S. Chrysostomus sensit, frustraneum & irritum esse sacrificium, in quo solus Sacerdos communicat: neque quidquam utilitatis obtingere posse non participantibus. II. Idem S. Doctor Hom. XVIII. in II. ad Corinthios scribit, in celebratione Eucharistiæ rem non ita se habere sicut in veteri Testamento, in quo solus Sacerdos quædam comedebat. III. S. Basilius in Psal. CXV. prope finem ait: *Non in latebris delitescens sacrificabo, sed publicum exhibebo tibi sacrificium.* Ergo Missas privatas reprobavit. Resp. ad I. C. A. N. C. Cum celebratio Missæ ordinetur partim ad sacrificium Deo offerendum, partim ad populum sacra dape reficiendum, S. Chrysostomus ait frustra oblationem quotidianam haberi, quoad finem nempe posteriorem, si nullus sit qui simul participet. Sane si S. Doctor sensisset frustra celebrari Missas, quatenus ad sacrificium ordinantur, in quibus solus Sacerdos communicat, eas quotidie nec ipse celebrasset, nec a Presbyteris suis celebrari permisisset ea ætate, qua, ut ipse S. Chrysostomus testatur, fideles plerique semel tantum in anno Eucharistiam sumebant. Quæ vero S. Doctor adversus eos subjungit, qui ad sacram mensam raro accedebant, concionatorio modo atque amplificandi gratia dicuntur, ut nimirum auditoribus ostenderetur, quam uberi fructu, abstinendo ab Eucharistia, se ipsos defraudarent. Et sane quamvis sciret plurimos non communicare nisi rarissime, Oratione tamen III. de incomprehen-

Nec Patrum.

sibili Dei natura reprehendit auditores suos, quod finita concione è Templo discederent, & Sacrificio non interefsent, nulla facta communionis mentione. Ad II. Resp. S. Chrysostomus inter Sacrificia novæ & veteris Legis præter alia hoc etiam discrimen statuit, quod in veteri Lege solus Sacerdos victimas ederet, aut saltem majorem partem, populus minorem partem ex immolatis obtineret: in nova autem Lege totam victimam Sacerdos, & totam populus edat, nimirum integrum Christi corpus & sanguinem. Verum hoc non obest Mifsæ, in qua solus Sacerdos communicat: quod enim nunc sæpifsime solus Sacerdos totam victimam edat, non est culpa Sacerdotii aut natura Sacrificii, sed negligentia populi. Ad III. Resp. per sacrificium occultum intelligi a S. Basilio sacrificium Schismaticorum, qui se ab Ecclesia separant, & in suis conventiculis sacrificia offerre præsumunt; paulo post enim subjungit: *Audite qui Ecclesiam relinquitis, & in publicis domibus versati, miseras facitis corporis pretiosi scifsuras. - - Tu Aram erigis ex adverso altaris tibi a Patribus constituti.*

Neque Canonum.

350. Objic. III. Auctoritas Canonum. Canon IX. eorum qui Apostolici dicuntur, jubet excommunicari eos, qui non permanent in Ecclesia usque ad finem Mifsæ, & sacram communionem non accipiunt. II. Anacletus apud Gratianum Can. *Peracta*, de Consecrat. Dist. II. statuit: *Peracta autem consecratione, omnes communicent, qui nolunt Ecclesiasticis carere liminibus. Sic enim & Apostoli statuunt, & Sancta Romana tenet Ecclesia.* Resp. ad I. Canones illos non efse Apostolicos, sed ex variis Conciliis collectos, quandoque etiam erraticis & reprobratis. Et quamvis daretur eos efse genuinos, nihil tamen contra Conclusionem nostram evincitur: siquidem Canon IX. de Clericis tantum loquitur, quos excommunicandos efse dicit, si absque rationabili causa Communionem neglexerint. Ad II. Resp. I. Decretum illud Anacleti, & cæteras Decretales Epistolas usque ad Siricium, quæ in sola collectione Isidori Mercatoris leguntur,

guntur, communi Eruditorum judicio suppositiţias censeri. Resp. II. Decretum illud non omnes promiscue Fideles, sed solos obligat Clericos, Episcopo in diebus solemnibus sacrificanti solemniter ministrantes. Verum si Decreti illius auctoritas quidquam apud Protestantes valeret, minime profecto negarent, in Missa verum Deo offerri Sacrificium; dicitur enim ibi: *Episcopus Deo sacrificans. testes secum habeat, & plures quam alius Sacerdos. In solemnioribus quippe diebus aut septem, aut quinque, aut tres Diaconos qui ejus oculi dicuntur, & Subdiaconos, atque reliquos Ministros secum habeat.*

351. Objic. IV. Auctoritas Liturgiarum. Orationes omnes, quæ juxta antiquissimas Liturgias funduntur durante actione Missæ, non unius sed multorum nomine fiunt, ut v. g. *Dominus vobiscum. Oremus. Orate fratres. Offerimus preclaræ Majestati tuæ de tuis donis ac datis. Quod ore sumpsimus, Domine, pura mente capiamus &c.* Ergo Missæ illæ, in quibus solus Sacerdos communicat, pugnant contra institutionem Eucharistiæ, & traditionem antiquissimam. Resp. C. A. N. C. Quemadmodum Clericus sine socio recitans Breviarium, sæpe plurali numero inter preces utitur, quia omnium nomine Deum laudat, ejusque preces publicæ sunt, ad totam Ecclesiam pertinentes: ita etiam in Missæ Sacrificio, quando illud Sacerdos offert, nemine præter ministrum præsente, verba illa in numero multitudinis profert tum propter communicantes præsentes, si qui adsint: tum etiam propter eos qui alibi communicant spiritualiter, vel etiam Sacramentaliter; omnes enim idem corpus sumus, tam præsentes quam absentes, mutuisque precibus nos invicem juvamus: tum denique quia Missæ Sacrificium est opus totius Ecclesiæ.

Nec Liturgiarum auctoritas.

352. Objic. V. Paritas. Minister verbi & Sacramentorum, quamvis sit publicus minister, non potest tamen verba ad concionem facere, aut baptizare nemine præsente. Ergo etiam Minister non potest Sacrificium offerre, si nullus Sacrificio intersit,

Nec paritas suffragatur.

ac de illo participet, præter ipsum Sacerdotem. Resp. C. A. N. C. Minister ad concionem dicendo, & Sacramenta ministrando, dirigit actionem suam ad populum propter Deum: ideoque nec ad concionem verba facere nisi præsente populo, nec baptizare potest, nisi aliquis adsit baptizandus. At vero Minister Sacrificii sive Sacerdos dirigit actionem suam ad Deum pro populo; nec ad Sacrificium quidquam refert, si multi vel pauci, vel nulli omnino intersint ac communicent, cum Sacrificium ipsi Deo offeratur a Sacerdote pro populo, qui necessario participare non debet de Sacrificio, ut patet ex illo quod in Lege veteri offerebatur pro peccato; is enim pro quo offerebatur, de sacrificio illo non participabat.

ARTICULUS VI.

DE SACRAMENTIS EXTREMAE UNCTIONIS ET ORDINIS.

CONTROVERSIA I.

AN EXTREMA UNCTIO SIT VERUM NOVÆ LEGIS SACRAMENTUM?

CONTRA PROTESTANTES.

Quid sit extrema Unctio, & quæ ejus nomina?

353. *Extrema Unctio* est Sacramentum novæ Legis, ad morbi incommoda perferenda homini ægroto specialia auxilia conferens, peccata & peccatorum reliquias abstergens, ipsamque corporis, ubi animæ saluti expediens fuerit, sanitatem restituens. Varia ac diversa apud Ecclesiasticos Auctores obtinuit nomina; modo enim vocabatur oleum sanctum, oleum benedictionis, unctio Sacramenti, vel sacri olei: modo benedictio sacrati olei, sanctificatio unctionis, oratio cum oleo, unctio infirmorum, spiritualis medicina, ac denique extrema unctio, quod hæc omnium sacrarum unctionum, quas Dominus Salvator noster

ster Ecclesiæ suæ commendavit, ultima administranda sit.

Waldenses & Wickleffus non videntur, extremam Unctionem è Sacramentorum numero expunxisse.

354. Primi è Sacramentorum numero extremam Unctionem ab aliquibus Scriptoribus expunxisse dicuntur Waldenses Sæculo XII., sed forsan immerito; quamvis enim Reynerius Lib. de Waldensibus, Cap. V. de iis scribat: *Sacramentum Unctionis reprobant, quia tantum divitibus datur, & propter plures Sacerdotes ibi necessarios;* ex his tamen solum evincitur, Unctionem extremam despicatui fuisse habitam a Waldensibus ob Presbyterorum quorumdam avaritiam, qui hoc Sacramentum, non nisi numerata magna pecuniæ vi, ideoque solis divitibus administrabant. Et sane Innocentius III. Epist. LXV. præscribit tantum, ut Waldenses ab hæresi redeuntes hanc fidei professionem ederent: *Unctionem infirmorum cum oleo consecrato veneramur.* Quin ipsi Waldenses in professione fidei Uladislao Hungariæ Regi oblata ajunt: *Sacramenta septenario inclusa numero Ecclesiæ Christi utilia esse pandimus*, moxque inter illa extremam Unctionem recensent. In qua fide permanserunt, donec A. 1536. a Farello Calvinianæ factionis ministro seducti, a Majorum suorum doctrina desciverunt. Thomas Waldensis refert, Wickleffum docuisse, *Unctionem extremam Sacramentum non esse.* Verum quis horum verborum sensus sit, ex alia Wichleffi doctrina colligitur, quam illico Waldensis subjungit: *Esse tamen aliquibus unctis Sacramentum, si sic suis precibus Presbyter mereatur.* Quare Wickleffus sensit, extremam Unctionem esse quidem Sacramentum, sed invalide conferri a malo Presbytero; eoquod valorem Sacramentorum pendere voluerit a probitate ministri. Et sane verba Magistri sui ita intellexit Joannes Hus, qui Comment. suo in Epist. S. Jacobi disertis verbis Sacramentum extremæ Unctionis agnoscit. Adde, quod Constantiense utriusque errores, Wickleffi & Hussi recenseat, nulla hujus facta mentione; & suspectum de hæresi inter alia interrogari jubeat, *Utrum credat, quod Christianus contemnens susceptionem Sacramentorum*

torum Confirmationis, extremæ Unctionis, aut solemnizationis Matrimonii peccet mortaliter?

Lutherus & Calvinus omnium primi id facere aggressi sunt.

355. Itaque mille & quingentis annis post conditam a Christo Ecclesiam, primus omnium Lutherus extremam Unctionem Sacramentum non esse ausus fuit asserere Lib. de Captivit. Babyl. Cap. de extr. Unctione, ubi ita scribit: *Ungendorum infirmorum ritui duas additiones sese dignas addiderunt Theologi nostri, unam, quod Sacramentum appellant; alteram, quod extremam faciunt. - - - Igitur Unctionis extremæ nostrum Sacramentum non damno; sed hoc esse, quod ab Apostolo Jacobo præscribitur, constanter nego. - - - Numerabimus tamen ipsum inter ea Sacramenta quæ nos constituimus, ut sunt salis & aquæ consecratio, & aspersio, - - Omitto enim, quod hanc Epistolam non esse Apostoli Jacobi, nec Apostolico spiritu dignam multi valde probabiliter asserant, licet consuetudine auctoritatem, cujuscunque sit, obtinuerit. Tamen si etiam esset Apostoli, dicerem, non licere Apostolis sua auctoritate Sacramentum instituere; hoc enim ad Christum solum pertinebat.* Lutherum sequitur Calvinus Lib. IV. Institut. Cap. XIX. Paragr. XVIII. *Fictitium Sacramentum est extrema Unctio; histrionica hypocrisis, quam citra rationem & sine fructu ad Apostolos* (Catholici) *referre volunt.* Nimirum Calvinus contendit, unctionem illam, de qua S. Jacobus agit, pertinuisse ad donum curationum quod Apostoli ad successores suos non transmiserunt: ex quo concludit, Sacerdotes hodiernos nimia temeritate & arrogantia uti ejusmodi unctione ad sanandos infirmos.

Extremum Unctionem verum esse N. L. Sacramentum ostenditur ex Scripturis.

356. Conclusio. Extrema Unctio est verum Novæ Legis Sacramentum. Prob. Conclusio hæc dogmatica Imo Auctoritate Scripturarum. In Epistola Catholica B. Jacobi Cap. V. dicitur: *Infirmatur quis in vobis? Inducat Presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum ungentes eum oleo in nomine Domini: Et oratio fidei salvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus: & si in peccatis sit, remittentur ei.* Ergo extrema Unctio, de qua certum est hic loqui B. Jacobum, est verum

novæ

novæ Legis Sacramentum. P. C. Ad verum novæ Legis Sacramentum nihil aliud requiritur, quam signum sensibile, promiſsio gratiæ huic signo adnexa, institutio divina, & mandatum hujus ritus observandi. Atqui hæc omnia hic dantur. Ergo. P. m. Datur hic Imo signum sensibile, nimirum materia externa olei, & oratio. *Orent ſuper eum, ungentes eum oleo.* II. Promiſsio gratiæ huic signo adnexa. *Et alleviabit eum Dominus: & ſi in peccatis ſit, remittentur ei.* Nimirum, ut ait Synodus Tridentina Seſs. XIV. Cap. II. in doctrina de Sacram. extr. Unct. *Gratia Spiritus Sancti, cujus Unctio delicta, ſi qua ſint adhuc expianda, ac peccati reliquias abſtergit; & ægroti animam alleviat, & confirmat; magnam in eo divinæ miſericordiæ fiduciam excitando: qua infirmus ſublevatus, & morbi incommoda ac labores levius fert, & tentationibus dæmonis, calcaneo inſidiantis, facilius reſiſtit; & ſanitatem corporis interdum, ubi ſaluti animæ expedierit, conſequitur.* III. Institutio divina; quia Apostolus fidenter promittit sacra illa Unctione alleviandum infirmum, & peccata ejus dimittenda. Atqui nullus, præter Deum, potest ulli elemento vim producendi gratiam & remittendi peccata tribuere. IV. Mandatum datur hujus ritus observandi. *Inducat Presbyteros Eccleſiæ.* Mandatum enim hoc non ad unam Ecclesiam, nec pro aliquo tantum tempore; sed ad omnes Ecclesias, sine ulla limitatione locorum ac temporum dirigitur, sicut alia quæ ibidem præscribit: *Patientes eſtote. Nolite jurare. Triſtatur quis in vobis? Oret. Orate pro invicem ut ſalvemini &c.* Quæ certe spectant omnia tempora, & omnes Fideles, præsentes & futuros.

357. Quod si dicas, agi hic de curatione medica, quia Palestinæ oleum insignis erat præstantiæ ad morbos curandos: aut de unctione mere ordinata ad curationem corporum per donum miraculorum. Resp. N. A. Ad curandos enim morbos non Presbyteri, sed medicæ rei periti fuiſsent vocati. II. Palestinæ oleum quantumcunque præstans sit, vim tamen non habet curandi omnes morbos. III. Apostolus non tantum

tum

tum in Palæstina, sed omnibus Fidelibus ubicunque degentibus scripsit. IV. Donum miraculorum non dimittebat peccata, nec ad solos infirmos ordinabatur.

Patribus. 358. Prob. II. Auctoritate Patrum. Origenes Hom. II. in Leviticum aperte asserit, sicut pœnitentiæ, ita etiam extremæ unctioni, quæ quoddam pœnitentiæ complementum est, promissionem remissionis peccatorum, adnexam esse. *Est adhuc & septima, licet dura & laboriosa per pœnitentiam remissio peccatorum, cum lavat peccator in lacrymis stratum suum, & fiunt ei lacrymæ suæ panes die ac nocte, & cum non erubescit Sacerdoti Domini indicare peccatum suum, & quærere medicinam, secundum eum qui ait: Dixi, pronuntiabo adversum me injustitiam meam Domino, & tu remisisti impietatem cordis mei. In quo impletur & illud, quod Apostolus dicit: Si quis autem infirmatur, vocet Presbyteros Ecclesiæ, & imponant ei manus, ungentes eum oleo in nomine Domini.* Ergo certum erat Origeni, extremæ unctionis ritum tam vere & proprie Sacramentum esse novæ Legis, quam ritum pœnitentiæ. S. Chrysostomus Lib. III. de Sacerdotio, Cap. VI. scribit: *Parentes nos in præsentem, Sacerdotes nos in vitam æternam generant. Atque illi certe ne corporalem quidem interitum a liberis amoliri possunt, neque ingruentem morbum propulsare: cum hi laborantem ac morti jamijam propinquam animam identidem servarint, aliis remissiorem pœnam infligentes, alios prorsus labi non permittentes, non doctrinæ solum atque commonitionis, sed etiam precum præsidio: neque enim solum cum nos regenerant, sed postea etiam condonandorum nobis peccatorum facultatem obtinent. Infirmatur, inquit, inter vos aliquis? accersat Presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum, ungentes eum oleo &c.* S. Innocentius I. initio Sæculi V. interrogatus a Decentio Eugubino Episcopo, an Sacramentum extremæ Unctionis non tantum a Presbyteris, sed etiam ab Episcopo ministrari possit, eoquod Apostolus dicat: *Inducat Presbyteros*, ita respondit: *Cæterum illud superfluum videmus adje-*

adjectum, ut de Episcopo ambigatur, quod Presbyteris licere non dubium est. Nam idcirco de Presbyteris dictum est, quia Episcopi occupationibus aliis impediti, ad omnes languidos ire non possunt. Cæterum, si Episcopus aut potest, aut dignum ducit aliquem a se visitandum, & benedicere & tangere chrismate sine cunctatione potest, cujus est ipsum chrisma conficere. Nam pœnitentibus istud infundi non potest, quia genus est Sacramenti. Nam quibus reliqua Sacramenta negantur, quomodo unum genus putatur posse concedi? Nihil his verbis expressius aut disertius effingi potest. S. Augustinus Serm. CCXV. de Tempore, qui tamen Sermo hodie a plerisque S. Cæsario Arelatensi adscribitur, ait: *Quoties aliqua infirmitas supervenerit, corpus & sanguinem Christi ille qui ægrotat accipiat: & inde corpusculum suum ungat, ut illud quod scriptum est impleatur in eo: infirmatur aliquis, inducat Presbyteros &c. Videte Fratres, quia qui in infirmitate ad Ecclesiam concurrerit, & corporis sanitatem recipere, & peccatorum indulgentiam merebitur obtinere.* Ergo juxta Augustinum, aut si mavis Cæsarium, extrema Unctio est verum Sacramentum, quia ei vis inesse dicitur remittendi peccata.

Auctoritate Conciliorum.

359. Prob. III. Auctoritate Conciliorum. Cabilonense II. A. 813. Can. XLVIII. sic statuit: *Secundum B. Apostoli Jacobi documentum, cui etiam documenta Patrum consentiunt, infirmi oleo quod ab Episcopis benedicitur, a Presbyteris ungi debent. Sic enim ait: Infirmatur quis in vobis? inducat Presbyteros &c. Non est itaque parvi pendenda hujuscemodi medicina, quæ animæ corporisque medetur languoribus.* Ticinense A. 850. Cap. VIII. *Illud quoque salutare Sacramentum, quod commendat Jacobus Apostolus dicens: Infirmatur quis in vobis? &c. solerti prædicatione populis innotescendum est: magnum sane ac valde appetendum mysterium, per quod, si fideliter poscitur, & remittuntur peccata, & consequenter corporalis salus restituitur.* Florentinum in Decreto pro Armenis A. 1439. ait: *Quintum Sacramentum est extrema Unctio.* Tridentinum Sess. XIV. Cap. I.

de extrema Unctione ita loquitur: *Instituta est autem Sacra hæc Unctio infirmorum, tamquam vere & proprie Sacramentum novi Testamenti, a Christo Domino nostro, apud Marcum quidem insinuatum, per Jacobum autem Apostolum ac Domini fratrem fidelibus commendatum ac promulgatum.* Et Can. I. *Si quis dixerit, extremam Unctionem non esse vere & proprie Sacramentum, a Christo Domino nostro institutum, & a B. Jacobo Apostalo promulgatum, sed ritum tantum acceptum a Patribus, aut figmentum humanum; anathema sit.*

Et argumento præscriptionis, tam apud Latinos.

360. Prob. IV. Argumento præscriptionis. Utraque Ecclesia, Latina & Græca, extremam Unctionem ab omni retro memoria, semper, ac sine interruptione administravit tamquam ritum sacrum, a Christo institutum non solum ad allevationem morbi, sed etiam ad remifsionem peccatorum. Ergo semper credidit extremam Unctionem efse verum novæ Legis Sacramentum. P. A. De Ecclesia Latina id diserte tradunt Sæc. V. S. Innocentius I. Epist. ad Decentium. Sæculo VI. S. Cæsarius Arelatensis in Serm. paulo ante laudato. S. Gregorius M. in Sacramentario, ubi ritum describit, quo oleum infirmorum unctioni destinatum debet ab Episcopo consecrari, & Orationes præscribit a Sacerdote recitandas in administratione extremæ Unctionis. Sæculo VII. Theodorus Cantuariensis in Lib. Pœnitentiali. Sæculo VIII. Ven. Beda Comment. in Epist. B. Jacobi. *Hoc*, inquit, *& Apostolos fecisse in Evangelio legimus*, (Marci Cap. VI.) *& nunc Ecclesiæ consuetudo tenet, ut infirmi oleo consecrato a Presbyteris ungantur.* Et Flaccus Alcuinus Lib. de Officiis divinis, aut quicunque sit illius libri auctor, Cap. de Infirmis: *Hac auctoritate* (B. Jacobi) *quotiescunque fidelis infirmatur, ingrediuntur fratres ad ægrotum cum cereis sive incenso ante oleum sanctum, & peragunt omnia, sicut in Sacramentorum libro continetur.* Sæculo IX. Capitularia Caroli M. Lib. VI. Cap. LXXV. & LXXVI. Cabilonense II. Can. XLVIII. Aquisgranense

Can.

Can. V. Moguntinum Cap. XXVI. Ticinense Cap. VIII. Paschasius Ratbertus in Vita Adelardi Abbatis Corbejensis. Sæculo X. Auctor Vitæ S. Oswaldi Eboracensis Episcopi. Sæc. XI. Wibertus Archidiaconus in Vita S. Leonis IX. *Cum intelligeret* (S. Leo IX.) *non diutius retinendum se carnis ergastulo, decrevit, ut quoniam plures Episcoporum, Abbatum, cæterorumque fidelium confluxerant turbæ, eis præsentibus inungeretur sacri olei liquore.* Sæculo XII. S. Bernardus in Vita S. Malachiæ, & Petrus Lombardus Lib. IV. Sent. Dist. XXIII. Litt. A. *Aliud est Sacramentum, scilicet Unctio infirmorum, quæ fit in extremis, oleo per Episcopum consecrato.*

361. Eamdem in Ecclesia Græca viguisse semper atque adhuc vigere doctrinam pari modo ostenditur. Ut enim de Origene ac S. Chrysostomo nihil dicamus, antiquissima Græcorum Euchologia, & recentiores illorum scriptores idem docent, Gregorius Protonsycellus, Petrus Mogilas author Confessionis Orthoxæ, Meletius Syrigus in refutatione Articulorum Cyrilli Lucaris, Jeremias Patriarcha CPolitanus in responsione ad Lutheranos Würtembergenses: item Synodus CPolitana sub Cyrillo-Berrhoeensi & Parthenio, ac Jerosolymitana sub Dositheo contra errores Cyrilli Lucaris, in quibus unanimi calculo statuitur, extremam Unctionem ad septenarium Sacramentorum numerum pertinere. Adde, quod nec Lugdunensis II. Generalis Synodus, nec Florentina quidquam hac de re Græcis objecerint, in jus utique illos vocaturæ, si diversa fuisset a Latinis hac in re Græcorum doctrina.

Quam Græcos.

Argumenta contraria refutantur.

362. Objicitur I. Infirmitas primi argumenti. Epistola, quæ B. Jacobo tribuitur, non est Canonica & divina. Ergo ex Scripturis evinci nequit, extremam Unctionem esse verum novæ Legis Sacramentum. P. A. Imo. Epistolam illam rejiciunt Eusebius Lib. II.

Protestantes perperam objiciunt Catholicis infirmitatem argumenti ex Epist.

B. Jacobi petiti.

II. Hist. Eccles. Cap. XXII. & S. Hieronymus Lib. de Viris illustribus. II. Epistolæ hujus doctrina de fide & operibus opposita est doctrinæ S. Pauli. Resp. N. A. Epistolam hanc Scripturæ Canonicæ ac divinæ partem esse diserte docent Concilia, Laodicenum, Milevitanum, Carthaginense III. Arausicanum II. Florentinum, ac Tridentinum. Et Patres antiquissimi, Origenes Hom. III. in Exodum, & VII. in Josue. S. Athanasius in Synopsi. S. Epiphanius Hær. LXXVI. S. Cyrillus Jerosol. Catech. IV. S. Augustinus Lib. II. de Doctr. Christ. Cap. VIII. S. Innocentius I. in Epist. ad Exuperium. S. Hieronymus Lib. de Viris illustribus, & in Epist. ad Paulinum. Rufinus in Expositione Symboli &c. Ad *prob.* I. N. A. Utriusque verba juvabit adducere. Eusebius loco citato ait: *Hactenus de Jacobo, cujus illa habetur Epistola, quæ prima scribitur inter eas quæ Catholicæ appellantur. Sciendum tamen est, quod a non nullis non recipitur, nec facile quis antiquorum meminit ejus. Nos tamen scimus, istam cum cæteris ab omnibus Ecclesiis recipi.* Et S. Hieronymus loco citato: *Jacobus frater Domini unam scripsit Epistolam, quæ de septem Canonicis est, quæ & ipsa ab alio quodam sub nomine ejus edita asseritur, licet paulatim tempore procedente obtinuerit auctoritatem.* Ubi vides, eam ab utroque admitti tamquam vere Canonicam, licet aliquos referant dubitasse, an Jacobum Apostolum authorem habuerit, & an divino Spiritu fuerit conscripta, donec Ecclesia lapsu temporis dubium omne dissolvit, eamque Epistolam esse ac semper fuisse divinam declaravit. Ad II. N. A. Non vacat modo repetere quæ diximus Tomo V. Artic. II. Controv. III.

Silentium veterum.

363. Objic. II. Silentium Veterum. Scriptores primorum sæculorum, etiam ubi Sacramenta ex instituto expendunt, ut S. Justinus in Apologia utraque pro Christianis, Auctor Hierarchiæ Ecclesiasticæ, S. Cyrillus Jerosol. in Catechesibus &c. nullibi tamen extremæ Unctionis meminerunt. Ergo primitus non crede-

credebatur extremam Unctionem esse Sacramentum. II. Patres primorum sæculorum non meminerunt extremæ Unctionis, etiam dum piorum hominum, e mortali hac vita decedentium, ultimos sensus & facta postrema describunt. Silent: S. Athanasius in Vita S. Antonii Abbatis. S. Gregorius Nazianzenus in Vita sororis suæ Gorgoniæ, & in Oratione funebri Gregorii patris sui, ac S. Basilii. S. Gregorius Nyssenus in Vita S. Gregorii Neocæsariensis, Ephremi, & Macrinæ sororis suæ. Item S. Ambrosius in Oratione funebri Satyri fratris, & Theodosii Augusti. Sulpitius Severus in Vita S. Martini. Silet S. Hieronymus, cum Nepotiani, Paulæ, & Marcellæ obitum describit. Ergo primis saltem quinque sæculis extrema unctio infirmis non administrabatur. Resp. ad I. N. C. Multi ex Patribus priorum sæculorum non scripserunt de extrema Unctione, quia illis defuit scribendi necessitas & occasio; nullus enim hæreticorum Sacramentum illud impugnabat, nullique abusus in ejus celebratione irrepserant. S. Justinus M. data occasione de Baptismo tantum & Eucharistia disserit, quia horum Sacramentorum tractatio necessaria erat ad dissipandas Ethnicorum calumnias. S. Cyrillus Jerosol. in suis Catechesibus, & S. Ambrosius in Libris de Sacramentis ea tantum explicant, quæ pertinent ad recens baptizatos. Auctor Librorum Hierarchiæ Ecclesiasticæ agit tantum de functionibus Hierarchicis, quas Episcopi cum aliqua fidelium consecratione exercent. At quamvis illi extremæ unctionis non meminerint, meminerunt tamen illius Origenes, S. Joannes Chrysostomus, S. Innocentius, S. Cæsarius Arelatensis, S. Gregorius M. Ven. Beda, Theodorus Cantuariensis, Flaccus Alcuinus &c. Ad II. N. C. Variæ hujus silentii causæ assignari possunt. I. Quia extremæ Unctionis susceptio nihil singulare habet, cum sit quotidiano omnium experimento & usu notissima. Atque hac de causa vix umquam sacri Viatici meminerunt, licet certum sit, ex Christi præcepto & disciplina Eccle-

siæ,

siæ, ut constat ex Can. XIII. Nicæni I. Concilii, illud morituris præbitum fuiſse. II. Quia complures sancti Viri, nulla ægritudine prævia, inopina morte abrepti sunt; ut ideo Sacramentum hoc ministrari illis minime potuerit. III. Quia sub nomine pœnitentiæ intelligebatur etiam extrema Unctio, tamquam illius complementum & appendix. Illi igitur, quos veteres Patres & Ecclesiastici Scriptores testantur in exercitio pœnitentiæ obiiſse, facile intelliguntur Sacri Olei Unctionem percepiſse.

Originem hujus unctionis.

364. Objic. III. Origo hujus Unctionis. Extrema Unctio originem suam debet Heracleoni cuidam Valentini hæretici discipulo, cujus Sectatores dicti sunt Heracleonitæ. Ergo non est Sacramentum. R. N. A. Heracleonitæ aqua & oleo simul mixtis ungebant mortuos, ut eſset illa unctio loco Baptismi, inaudita ac peregrina Hebraica nomina adhibentes, ut referunt S. Irenæus Lib. I. adv. Hær. Cap. XVIII. S. Epiphanius Hær. XXXVI. S. Augustinus Lib. de Hæres. Cap. XVI. At vero nos utimur sacra cæremonia a Christo instituta, & a B. Jacobo commendata ac promulgata, atque oleo puro infirmos inungimus ad abstergendas peccatorum reliquias, eosque, si saluti animæ expediat, sanitati restituendos, nec nisi prece simplici & apertiſsima utimur.

Ac rationem.

365. Objic. IV. Ratio. Sacramenta effectum suum producunt ex opere operato. Atqui extrema Unctio effectum suum non producit ex opere operato, sed ex opere operantis. Ergo non est Sacramentum. P. min. Jacobi Cap. V. dicitur: *Et oratio fidei ſalvabit infirmum.* Ergo effectus adscribitur fidei ministri, & suscipientis. Resp. C. M. N. min. Ad *probat.* C. A. N. C. Per orationem fidei non intelligitur fides ministri, aut suscipientis, sed ipsa forma Sacramentalis, quæ dicitur oratio fidei; tum quia in fide totius Ecclesiæ Sacramentum administratur; tum quia sola fide intelligitur, magnumque fidei mysterium continet: quo sensu S. Augustinus Tract. LXXX. in Joan. verbum Sacramentale vocavit *verbum fidei.*

APPEN-

APPENDIX

AD CONTROVERSIAM I.

VARIA QUÆSITA DE EXTREMA UNCTIONE.

Extrema Unctio instituta videtur a Christo. Marci Cap. VI. ante passionem.

366. Quæres I. Quonam tempore Sacramentum extremæ Unctionis fuerit a Christo institutum? Resp. Communior equidem Doctorum Catholicorum sententia est, id post Resurrectionem Christi contigisse; valde probabilem tamen censeo illorum esse opinionem, qui putant extremam Unctionem a Christo fuisse institutam tempore prædicationis suæ, atque ab Apostolis administratam Marci Cap. VI. *Et vocavit* (Christus) *duodecim: & cœpit eos mittere binos; & dabat illis potestatem spirituum immundorum. - - Et exeuntes prædicabant, ut pœnitentiam agerent: & dæmonia multa ejiciebant, & ungebant oleo multos ægros, & sanabant.* Ita Græci plerique omnes sentiunt tam veteres quam recentiores, Victor Antiochenus, Theophilactus, Oecumenius, Simeon Thessalonicensis, Gregorius Protosyncellus, Petrus Mogilas, Meletius Syrigus, aliique. Ex Latinis Ven. Beda, Thomas Waldensis, Alphonsus a Castro, Joannes Maldonatus, Ambrosius Catharinus, Cæsar Calino, Joan. Laurentius Berti, aliique.

367. Dices I. Apostoli eo tempore nondum erant Sacerdotes. Ergo ministrare non poterant extremam Unctionem. II. Qui tunc ungebantur ab Apostolis, non erant baptizati, nec in gravi mortis periculo constituti, quales sunt cæci & claudi. III. Non remittebantur eis peccata, sed sanitati restituebantur. IV. Tridentinum Sess. XIV. Cap. I. de extrema Unct. ait, hoc Sacramentum Marci Cap. VI. fuisse insinuatum, id est, adumbratum. Resp. ad I. N. C. Christus primùm post Resurrectionem suam, eo scilicet tempore quo Presbyteros jam instituerat, a solis Presbyteris Sacramentum hoc administrari voluit, non autem tempore prædicationis suæ, quo ministrum

hujus

hujus Sacramenti stabili lege nondum constituerat. Ad II. N. A. Scriptura non exprimit quidem, eos qui ungebantur baptizatos fuiſse, aut in gravi mortis periculo constitutos; at neque contrarium aſserit. *Ungebant oleo multos ægros.* Ubi advertendum est multos dici, non omnes, ac qualicunque morbo laborantes. Multos autem ab Apostolis fuiſse baptizatos ante paſsionem Christi, colligitur ex Cap. IV. S. Joan. *Quamquam Jeſus non baptizaret, ſed diſcipuli ejus.* Ad III. N. A. Marcus ait l. c. *Et ſanabant.* Quæ verba sanitatem corporis & animæ exprimunt, ac sufficienter indicant illis quibus extremæ Unctionis effectus cogniti sunt ac perspecti. Ad IV. Resp. Verbum illud *inſinuatum*, quod referri potest tam ad institutionem, quam ad figuram, typum ac symbolum Sacramenti extremæ Unctionis, studio ac data opera adhibitum fuit a Tridentinis Patribus, ne nostræ huic, aut adversariorum sententiæ ullum præjudicium inferrent.

Materia remota extremæ Unctionis eſt oleum olivarum ab Epiſcopo benedictum.

368. Quæres II. Quænam sit materia remota Sacramenti extremæ Unctionis? Resp. Oleum olivarum ab Episcopo benedictum. Prob. aſsertio I. Auctoritate Scripturæ. B. Jacobus in Epist. Cathol. Cap. V. ait: *Ungentes eum oleo in nomine Domini.* II. Auctoritate Conciliorum. Florentinum in Decr. pro Armenis ait: *Quintum Sacramentum eſt extrema Unctio, cujus materia eſt oleum olivæ, per Epiſcopum benedictum.* Tridentinum Seſs. XIV. Cap. I. de extr. Unct. *Intellexit enim Eccleſia, materiam eſſe oleum ab Epiſcopo benedictum; nam Unctio aptiſſime Spiritus Sancti gratiam, qua inviſibiliter anima ægrotantis inungitur, repræſentat.* Cabilonense II. A. 813. Can. XLVIII. *Infirmi oleo, quod ab Epiſcopis benedicitur. a Presbyteris ungi debent.* III. Auctoritate Patrum. S. Innocentius I. Epist. ad Decentium: *Non eſt dubium,* (verba Jacobi) *de fidelibus ægrotantibus accipi vel intelligi debere, qui ſancto oleo chriſmatis perungi poſſunt, ab Epiſcopo confecto.* S. Gregorius M. in Sacramentario ait: *Tunc offertur*

Pon-

Pontifici oleum, & benedicit illud tam ipse quam omnes Presbyteri ad ungendum infirmum. Ven. Beda Comment. in Marcum, Lib. II. Cap. XXIV. affirmat, *ab ipsis Apostolis hunc sanctæ Ecclesiæ morem traditum, ut .. ægroti ungantur oleo, Pontificali benedictione consecrato.*

369. Dices I. S. Jacobus in Epistola sua Catholica & Tridentina Synodus oleum præcise assignant pro materia hujus Sacramenti, non autem oleum olivarum. II. Innocentius I. l. c. ait, infirmos sacro oleo chrismatis, ab Episcopo confecto, perungendos esse. Ergo in veteri Ecclesia admiscebatur oleo balsamum. III. Si Sacerdos per errorem, non oleo, sed sacro chrismate infirmum perungeret, Sacramentum esset validum. Resp. ad I. N. A. Hoc ipso quod oleum assignent, oleum olivarum præscribunt; ut enim observat S. Thomas in IV. Sentent. Dist. XXIII. Quæst. I. Art. III. ad I. *Oleum principaliter nominatur olivæ liquor; cum alii liquores ex similitudine ad ipsum, olei nomen accipiant.* Nec aliud sane oleum, quam olivarum Ecclesia umquam adhibuisse legitur. Ad II. N. C. Chrisma quandoque a veteribus appellatum fuit omne unguentum, omnisque liquor quo corpus inungitur. Quod si etiam contra communem & perpetuam Ecclesiæ praxim aliquid balsami infirmorum oleo admisceretur, valori Sacramenti nihil detraheretur, modo admixtio tanta non sit, ut destruat exteriorem olei speciem; ita ut non amplius oleum, sed potius unguentum, aut alterius generis mixtum artificiale censeatur. Ad III. N. A. Christus voluit, ut oleum infirmorum benedicatur & consecretur benedictione accommodata usui ad quem destinatur. Atqui tali benedictione non consecratur oleum Catechumenorum aut chrisma, utpote quæ non destinantur ad ungendos infirmos. Hinc S. Carolus Borromæus in Synodo V. Mediolanensi statuit A. 1579. *Parochus si per errorem aliud oleum, quam quod infirmorum est, ad ægrotum ungendum adhibuerit, etiamsi chrismatis aut Catechumenorum sit, ut erratum emen-*

emendet, olei sacri quod proprium infirmorum est, unctionem eidem adhibeat, tuncque Sacramenti formam iteret.

Benedictio Episcopalis est necessaria necessitate Sacramenti.

370. Quæres III. An benedictio olei ab Episcopo facta, sit necessaria non tantum necessitate præcepti, sed etiam Sacramenti, ita ut Sacerdos invalide illud conferat, si oleo utatur a se vel ab alio simplici Sacerdote benedicto? Resp. affirmative, nisi facultatem a Romano Pontifice obtinuerit, aut nisi Græcus Sacerdos id egerit ex commissione, aut cum facultate sui Episcopi vel expressa vel tacita. Prob. assertio auctoritate Patrum & Conciliorum, quam paulo ante attulimus. Sicut enim oleum, ita etiam benedictio ab Episcopo facta, est de necessitate Sacramenti, quia Patres & Concilia utrumque nullo facto discrimine, assignant. Et sane quamvis etiam ad baptismum aqua benedicta sit necessaria necessitate præcepti, Florentinum tamen in Decreto pro Armenis aquam tantum veram & naturalem tamquam Baptismi materiam statuit. Ergo ex eo quod Florentinum tamquam materiam extremæ unctionis assignet oleum ab Episcopo benedictum, legitime infertur, juxta Florentinum, benedictionem olei ab Episcopo factam, necessariam esse non modo necessitate præcepti sed etiam Sacramenti.

Nisi Rom. Pontifex simplici Presbytero oleum benedicendi veniam fecerit, aut Sacerdotibus suis Græci Episcopi id commiserint.

371. Cæterum dixi in assertione, benedictionem a simplici Presbytero factam obstare valori, nisi is facultatem a Romano Pontifice obtinuerit, aut nisi id fiat a Græcis Sacerdotibus ex commissione expressa vel tacita Episcopi. Siquidem in Ecclesia Orientali mos viget a mille & amplius annis in ea receptus, ut ipsimet Presbyteri, cum se accingunt ad infirmum inungendum, oleum, quo in ea Sacramentali unctione usuri sunt, benedicant, ex tacita nimirum Episcoporum suorum commissione, ut testantur Petrus Arcudius Lib. V. Concordiæ, Cap. II. & Leo Allatius Lib. de Consensu utriusque Ecclesiæ, Cap. XVI. Eumdem morem ab Armenis retineri asserit Joannes XXII. Epist. ad Ossinium Armenorum Regem scribens: *Ipsi etiam Sacerdotes oleum, quod infirmorum dici-*

dicitur, consecrant pro Sacramento Unctionis extremæ; cum tamen id apud nos ad Episcopos solos spectet. Hanc autem Orientalium consuetudinem Ecclesia Latina non solum non improbavit, sed etiam ratam habuit; exstatque Decretum a Clemente VIII. editum, & a Benedicto XIV. confirmatum, in quo permittuntur Italo-Græci in prædicto ritu perseverare. *Circa oleum sanctum infirmorum* (sunt verba Decreti) *non sint cogendi Presbyteri Græci olea sancta, præter chrisma, ab Episcopis Latinis diœcesanis accipere: cum ejusmodi olea ab eis, in ipsa oleorum & Sacramentorum exhibitione, ex veteri ritu conficiantur ac benedicantur.* Vide præclarum Opus Prosperi Lambertini, seu Benedicti XIV. de Synodo Diœcesana, Lib. VIII. Cap. I. Quod si Presbyteris Græcis id licet ex tacita concessione & commissione Episcoporum Orientis, multo magis facultatem hanc dare poterit simplici Presbytero Summus pontifex, quamvis hoc in Ecclesia Latina nunquam factum esse legatur.

Oleum infirmorum ultra annum servari non debet.

372. Rituale Romanum præcipit, ut oleum infirmorum, quod singulis annis feria V. in Cœna Domini ab Episcopo benedicitur, veteri combusto renovetur. Si tamen novum haberi non potest, licitum est uti antiquo. Unde patet, ad valorem hujus Sacramenti non exigi, ut oleum fuerit eo anno benedictum; quamvis oleum alterius anni, extra casum necessitatis, sine peccato usurpari nequeat. Quod si timeatur, ne oleum benedictum ita deficiat, ut sufficere non videatur, neque aliud benedictum haberi queat, oleum non benedictum admisceri poterit in minori quantitate; tunc enim utrumque simul consecratum censetur, quia manet idem moraliter oleum.

373. Dices I. contra utrumque assertionis membrum. S. Jacobus benedictionis ab Episcopo factæ non meminit. Ergo non est de essentia hujus Sacramenti. II. Florentinum solummodo exposuit ritum Ecclesiæ Romanæ, in qua usurpatur oleum ab Episcopo benedictum; non autem intendit exponere, quæ ad substantiam Sacramenti pertinent. III. Bapti-

ptismus est perfectius Sacramentum quam extrema Unctio. Ergo cum ad valorem Baptismi non requiratur aqua benedicta, multo minus ad valorem extremæ Unctionis requiritur oleum benedictum sive ab Episcopo sive a Presbytero. IV. Simplices Presbyteri non posfsunt etiam de consensu Episcoporum benedicere chrisma. Ergo neque oleum infirmorum. Resp. ad I. C. A. N. C. Hoc enim Ecclesia ex traditione Apostolica accepit, satisque id in Florentino & Tridentino insinuavit. Ad II. N. A. cujus nullum vestigium exstat in eo Decreto: quin immo Florentinum brevi compendio intendit Armenos instruere de iis, quæ ad Sacramentorum substantiam & esfsentiam pertinent; dicitur enim in eo Decreto: *Ecclesiasticorum Sacramentorum veritatem, pro ipsosum Armenorum tam præsentium quam futurorum faciliori doctrina, sub hac brevissima redigimus formula. Novæ Legis septem sunt Sacramenta, videlicet Baptismus, Confirmatio &c.* Profecto, si Florentina Synodus ritum solummodo Romanæ Ecclesiæ Armenis exponere voluit, cur non aquæ benedictæ in collatione Baptismi meminit, cum tamen Romana Ecclesia semper, extra casum necefsitatis in quo haberi non potest, utatur aqua benedicta? Ad III. C. A. N. C. Ratio a nobis dari alia nec potest nec debet, quam voluntas Christi Sacramenta instituentis. Voluit Christus, ut benedictio olei ac chrismatis pertineat ad esfsentiam & substantiam Confirmationis & extremæ Unctionis: at vero noluit, ut benedictio aquæ pertineat ad substantiam Baptismi. Congruam hujus voluntatis rationem afsignat S. Thomas Parte III. Quæst. LXXII. Art. III. quia Christus quando a Joanne baptizatus est, contactu corporis sui aquas sanctificavit; unctione vero usus non est, sicque ejus materiam non consecravit. *Et ideo*, ait S. Doctor, *tam chrisma, quam oleum infirmorum prius benedicuntur, quam adhibeantur ad usum Sacramenti.* Ad IV. C. A. N. C. Ratio est iterum voluntas Christi; quæ ex praxi Ecclesiæ dignoscitur. Chrisma neque in Latina neque in Græca Ecclesia a simplici Presbytero

tero umquam benedictum est, sed ab Episcopis solummodo: At vero oleum infirmorum non ab illis tantum, sed a Presbyteris etiam in Græca Ecclesia benedicitur ex antiquissima consuetudine, jam a duodecim sæculis & amplius recepta: neque Græcos idcirco quisquam Latinorum in Lugdunensi II. aut Florentina Synodo in jus vocavit.

Materia proxima est unctio a Sacerdote facta.

374. Quæres IV. Quænam sit ejus materia proxima? Resp. esse unctionem factam a Sacerdote. Prob. assertio. Materia proxima Sacramenti quod in usu consistit, est ipsa materiæ applicatio. Sed unctio est applicatio olei, quod ostendimus esse veram extremæ Unctionis materiam. Ergo unctio est materia proxima hujus Sacramenti. Porro hæc unctio, necessitate non quidem Sacramenti, sed præcepti, debet fieri I^mo in forma Crucis, ut Libri Rituales præscribunt, quo fideles intelligant, non aliunde quam a merito Crucis unctionem hanc, sicut cætera Sacramenta, suam habere virtutem: utque sciant, non aliter quam in hoc signo insidiantis dæmonis impetus propulsari. II^do. Debent præcipua sensuum organa inungi. Florentinum in Decreto pro Armenis septem unctiones enumerat: *Hoc Sacramentum nisi infirmo, de cujus morte timetur, dari non debet: qui in his locis ungendus est; in oculis propter visum, in auribus propter auditum, in naribus propter odoratum, in ore propter gustum vel locutionem, in manibus propter tactum, in pedibus propter gressum, in renibus propter delectationem ibidem vigentem.* III. Utrumque membrum, quod in homine est geminum, ut v. g. duo oculi, duæ aures &c. sub una forma ungendum est, cum duplici tamen cruce: ideoque cavendum est Sacerdoti, ne Sacramenti formam absolvat, priusquam ambo hujusmodi membra perunxerit. IV. Siquis aliqua corporis parte, v. g. manu sit mutilatus, inungenda est pars abscisso membro proxima. V. Si antequam absolutæ sint unctiones, moriatur infirmus, ibi sistere debet Sacerdos, nec ulterius procedere: si vero dubium sit an vivat, prosequenda est unctio sub conditio-

ditione, *Si vivis*. VI. Laicorum manus inunguntur interius in vola, Sacerdotum exterius; pedes vero tam Laicorum quam Sacerdotum in superiore parte, ne sanctum oleum calcari videatur. In fœminis, honestatis gratia, juxta Rituale Romanum unctio renum omittitur, atque etiam in viris, quando infirmus commode moveri non potest: item ex consuetudine in hominibus religiosis. Cæterum unctiones istæ vel fiunt pollice intincto, vel in aliquibus Diœcesibus virgula sacro oleo delibuta, non tantum peste grassante, verum etiam extra omne contagionis periculum: qua in re quilibet tenere debet Ecclesiæ suæ disciplinam.

Valide conferri potest extrema Unctio, quin omnes quinque sensus inungantur.

375. Quæres V. An prædictæ quinque sensuum unctiones, & formæ prolationes, sint de Sacramenti substantia, ita ut invalide conferatur extrema Unctio, si unica tantum corporis pars inungatur, licet forma exprimat omnes sensus? Resp. longe probabilius negative. Ita Sylvius, Serarius, Becanus, Natalis Alexander, Juenin, Tournely, Vanroy, Piette, Simonnet, Boucat &c. Prob. assertio argumento negativo. Neque ex Scriptura, neque ex Conciliis aut Traditione ostendi potest, unius organi inunctionem non sufficere ad valorem hujus Sacramenti, modo integra forma proferatur. Ergo prædictæ quinque sensuum unctiones non sunt necessariæ necessitate Sacramenti, quamvis necessariæ sint necessitate præcepti, neque sine peccato gravi omitti possint extra casum necessitatis, quando scilicet infirmus timetur in momenta moriturus, antequam integer ritus peragi queat. P. A. Ex Scripturis id evinci nequit, quia B. Jacobus non multiplicem, sed unctionem tantum in genere præcipit: *Orent super eum, ungentes eum oleo*. Ergo sicut unica ablutione fit satis illi præcepto Christi Matth. Cap. XXVIII. *Baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti:* ita etiam unica unctione impletur illud B. Jacobi: *Ungentes eum oleo*. At neque ex Conciliis id evincitur. Tridentinum hac de re silet: Florenti-

num

num paulo ante laudatum, septem omnino enumerat unctiones, nullo facto inter illas discrimine, atque etiam unctionem renum, quæ certe ad Sacramenti substantiam non pertinet; cum Rituale Romanum eam præcipiat, pudoris causa in fœminis omitti, & quandoque etiam in viris, quin alia corporis pars pro renibus ungi debeat. Non denique ex Traditione; altum est enim apud veteres Scriptores omnes de membris oleo perungi solitis silentium: Euchologia vero & Rituales libri non eamdem & uniformem, sed variam fuifse Ecclesiæ praxim testantur. In Sacramentario S. Gregorii M. quinque sensuum unctiones præscribuntur, *id eſt, in ſuperciliis oculorum, in auribus de intus, & in narium ſummitate, ſive exterius, et in labiis exterius, & in manibus exterius, id eſt, deforis.* At in Codice Abbatis Rotaldi, & veteri Pontificali Anglicano additas legimus unctionem colli, pectoris, & scapularum. In veteri Pontificali Prudentii Episcopi Tricafsini, & in Codice Tiliano seu Sagiensi imperatam insuper legimus unctionem umbilici, seu loci ubi plus dolor imminet. In Codice manuscripto Forojuliensi, quem produxit Bernardus Maria de Rubeis in Difsertat. de vetustis Liturgiis, jubentur sacro oleo inungi caput in vertice, frons, oculi, aures, nares, labia, guttur, pectus, cor, scapulæ, manus, pedes. Simeon Thessalonicensis Lib. de Sacramentis refert, apud Orientales inungi frontem, genas, mentum, & manus. Theodulphus Aurelianensis Capitular. II. apud Baluzium Tomo VII. Miscellan. afserit, ineunte sæculo IX. tres tantum unctiones a Græcis fieri consuevifse. Ergo cum varia fuerit hac in re praxis Ecclesiarum, solidum argumentum ex Traditione peti non potest, quæ semper debet efse eadem & invariata in Ecclesia Dei.

376. Prob. II. argumento positivo. Pastorale Mechliniense ab Academia Lovaniensi A. 1588. approbatum, & ab Octavio Frangipanio, Episcopo Tricariensi, per Germaniam & Belgium Nuntio Apostolico, ad Diœcesis quoque Coloniensis usum

protra-

protractum, de extrema unctione statuit: *In morbis contagiosis, & peste graßante, ut periculum vitetur, sufficit inungi sensus organum magis ad unctionem expositum aut detectum, dicendo: Per istam sanctam unctionem, & suam piissimam misericordiam, indulgeat tibi Dominus quidquid deliquisti per visum, auditum, odoratum, gustum, tactum, & gressum.* Rituale Parisiense ait: *Si non possit super infirmum fieri nisi unica unctio, ungatur oculus, vel aliud sensuum organum, & cæteris precibus prætermissis, dicatur: Per istam sacri olei unctionem, & suam piissimam misericordiam, indulgeat tibi Deus quidquid peccasti per sensus.* Eamdem praxim approbant Rituales libri Ecclesiarum Cameracensis, Atrebatensis, Genevensis jussu S. Francisci Salesii, aliarumque.

Quænam sit forma extremæ Unctionis?

377. Quæres VI. Quænam sit hujus Sacramenti forma? Resp. esse illa verba, quæ Sacerdos profert infirmum inungendo: *Per istam sanctam Unctionem, & piissimam suam misericordiam, indulgeat tibi Deus quidquid deliquisti per visum, auditum &c. Amen.* Ita Florentinum in Decreto pro Arm. Tridentinum Sess. XIV. Cap. I. de extr. Unct. & Rituale Romanum. Apud Græcos hæc forma in eorum Euchologio legitur: *Pater Sancte, medice animarum & corporum, qui misisti Unigenitum Filium tuum Dominum nostrum Jesum Christum, omnem morbum sanantem, & a morte liberantem, sana quoque hunc servum tuum a corporali spiritualique infirmitate qua detinetur, & vivifica eum per gratiam Christi tui, potentia pretiosæ & vivificæ Crucis, precibus Deiparæ nostræ semper Virginis &c.* Quæ sequuntur, continent invocationem Apostolorum & aliorum Sanctorum, additaque sunt a posterioribus Græcis.

378. Circa formam hujus Sacramenti observo I. Aliqua verba esse necessaria, quia juxta Florentinum in Decreto pro Arm. Sacramenta novæ Legis tribus potissimum constant, rebus tamquam materia, verbis tamquam forma, & persona Ministri, habentis intentionem faciendi quod facit Ecclesia; & quia unctio

de

de se indifferens, debet per verba determinari ad esse Sacramenti. II. Formam Sacramenti extremæ Unctionis non fuisse a Christo Domino institutam in specie infima, hoc est, non fuisse certis ac determinatis verbis præscriptam; ut patet ex diversis formulis, quæ ab Ecclesia Latina usurpabantur in administratione hujus Sacramenti. III. Quamvis forma repetatur, quoties diversum membrum inungitur, non plura tamen, sed unum esse Sacramentum; quia illæ plures formæ partiales ordinantur ad unum eumdemque finem seu effectum, scilicet ad significandam & causandam perfectam curationem vulnerum spiritualium. IV. Theologorum non unam esse sententiam, quænam verba ad esentiam formæ pertineant. Apud Græcos verba hujus formæ sunt esentialia: *Pater Sancte, sana hunc servum tuum a spirituali infirmitate.* Apud Latinos quidam contendunt, omnes voces pertinere ad esentiam Sacramenti, præter illas, *sanctam, & piissimam misericordiam.* Alii putant sufficere ista: *Indulgeat tibi Dominus quidquid deliquisti:* alii volunt, exprimendam etiam esse actionem Ministri: *Per istam unctionem;* sicut exprimi debet in collatione Baptismi per illas voces, *Ego te baptizo.* V. Theologos omnes in eo convenire, omnia verba in Rituali contenta, proferenda esse, nihilque sine flagitio omitti posse. VI. Formam, qua nunc Latina & Græca Ecclesia utuntur, esse deprecatoriam, ac per modum orationis, ut patet verba formæ expendenti. Quod si dicas: effectus orationis non est infallibilis; effectus vero Sacramentalis est infallibilis. Ergo forma non potest esse deprecatoria. Resp. D. A. Effectus orationis, ut est opus operantis, non est infallibilis, C. A. Ut est opus ex institutione Christi elevatum ad esse Sacramentale, N. A. VII. De fide esse, quod ejusmodi forma deprecatoria sit conveniens; quia Tridentinum Sess. XIV. Can. III. de extr. Unct. ait: *Si quis dixerit, extremæ Unctionis ritum & usum, quem observat Sancta Romana Ecclesia, repugnare sententiæ B. Jacobi Apostoli, ideoque eum mutandum, posseque*

a Christianis absque peccato contemni; anathema sit. Verum Tridentinum ita laudavit formam deprecatoriam, ut non declaraverit indicativam fore irritam.

Forma indicativo modo pronuntiata, probabilius non reddit irritum hoc Sacramentum.

379. Quæres VII. An forma hujus Sacramenti necessario sit deprecativa, ita ut indicativo modo pronuntiata, irritum reddat Sacramentum? Resp. probabilius negative. Ita Albertus M. Richardus, Durandus, Paludanus, Tannerus, Estius, Menardus, Morinus, Juenin, Tournely, Martene, Serarius, Boucat, Le Drouven &c. quamvis a gravi flagitio excusari non posset, qui contra Ecclesiæ institutum, indicativam formam privata auctoritate substitueret. Prob. assertio Imo. Forma absoluta & indicativa, non secus ac deprecatoria, exprimere potest effectum Sacramenti ejusque virtutem. Ergo neutra præ alia pertinet ad essentiam & valorem Sacramenti. IIdo ac præcipue. Complures nobilissimæ Ecclesiæ in administratione hujus Sacramenti olim usæ sunt forma indicativo modo pronuntiata. Ergo cum dici nequeat, illas Sacramentum hoc invalide administrasse, ad valorem Sacramenti perinde est, sive quis indicativa sive deprecatoria forma utatur. P. A. Ecclesia Mediolanensis antiquissima illa forma Ambrosiana utebatur, quam refert S. Bonaventura in IV. Sent. Dist. XXIII. Art. I. Quæst. IV. *Ungo te oleo sanctificato, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, ut more militis uncti præparatus ad certamen, aëreas possis superare potestates.* Similis huic forma legitur in Tiliano, seu Sagiensi Rituali. In Sacramentario S. Gregorii M. dicitur: *Inungo te oleo sancto, sicut unxit Samuel David in Regem & Prophetam: operare creatura olei in nomine Patris omnipotentis, ut non lateat illic spiritus immundus; neque in membris illius, neque in medullis, neque in ulla compagine membrorum, sed in te inhabitet virtus Dei altissimi.* Idem ferme dicitur in vetusto Halitgarii ad Ebbonem Rhemensem codice. In veteri Suessionensis Ecclesiæ Rituali, quando auris dextera inungebatur, Sacerdos dicebat: *In nomine Patris, & Filii,*

Filii, *& Spiritus Sancti*, *accipe sanitatem in nomine Domini. Amen.* Et in unctione pedum: *Accipe sanitatem in nomine Domini nostri Jesu Christi. Surge*, *& ambula.* In antiquo Pontificali Narbonensi: *In nomine Patris*, *& Filii*, *& Spiritus Sancti regnantis in sæcula sæculorum*, *accipe sanitatem corporis*, *& remissionem peccatorum tuorum*, In Libro Sacramentali Veneto, quem Leo X. approbavit, hæc legitur formula: *Ungo te oleo sancto*, *ut hac unctione protectus*, *fortiter stare valeas adversus aëreas catervas*, *in nomine Patris &c.* Plures ex variis vetustis Ritualibus formas exhibent Hugo Menardus in notis ad Sacramentarium S. Gregorii M. & Martene Lib. I. de antiquis Ecclesiæ ritibus, in quibus solum adhibetur verbum *ungo*, absque alio additamento, e quo deprecatio colligi, aut fingi queat.

380. Dices I. B. Jacobus in sua Epist. Catholica, Cap. V. ait: *Orent super eum - - Et oratio fidei salvabit infirmum.* Ergo voluit unctionem fieri sola oratione. Ergo forma deprecativa est de essentia Sacramenti extremæ Unctionis. II. Tridentinum Sess. XIV. Cap. I. ait: *Intellexit Ecclesia* (ex verbis B. Jacobi) *formam deinde esse illa verba*, *Per istam sanctam unctionem &c.* Ergo cum ista verba sint deprecatoria, intellexit Ecclesia ex verbis B. Jacobi præscriptam esse formam deprecatoriam. Resp. ad I. C. A. D. C. Ergo voluit unctionem fieri sola oratione explicita & formali, N. C. Oratione vel formaliter, vel virtualiter & implicite tali, C. Consec. Ubicunque invocatur Deus, ibi oratio vero quodam sensu agnoscitur, quæ sufficit ad implendum præceptum Christi a B. Jacobo promulgatum. Talis autem invocatio supremæ Dei potestatis in formis etiam indicativis, quas paulo ante adduximus, deprehenditur. Ad II. N. C. Ecclesia ex verbis B. Jacobi intellexit, verba illa, *Per istam sanctam Unctionem &c.* esse formam convenientem quidem, at non necessariam ut perficiatur Sacramentum.

Ministri hujus Sacramenti non sunt laici seniores, sed Sacerdotes.

381. Quæres VIII. Quinam sit necessarius hujus Sacramenti Minister? Resp. contra Protestantes, Ministros necessarios extremæ Unctionis non esse seniores laicos, sed solos Ecclesiæ Presbyteros, sive Sacerdotes. Prob. assertio hæc dogmatica Imo Auctoritate Scripturæ. Jacobi Cap. V. dicitur: *Infirmatur quis in vobis? Inducat Presbyteros Ecclesiæ.* Vox autem hæc Græca, *Presbyter*, quamvis secundum etymologiam significet ætate seniorem, in Scripturis tamen novi Testamenti ubicunque agitur de muniis Ecclesiasticis, per Presbyteros numquam intelliguntur ætate seniores, sed gradus & Sacerdotii dignitate majores, ut v. g. Act. Cap. XV. v. 2. I. ad Timoth. Cap. V. v. 17. I. Petri Cap. V. v. 1. Adde quod Jacobus non dicat Presbyteros simpliciter, sed Presbyteros Ecclesiæ, hoc est, illos qui ad Ecclesiæ regimen, & curam fidelium, ad ministerium sacrum & publicas Ecclesiæ functiones specialiter sunt consecrati, quales non sunt Laici seniores, sed Sacerdotes solummodo. II. Auctoritate Patrum, quos in probatione Conclusionis dogmaticæ laudavimus. III. Ex constanti & numquam interrupta praxi Ecclesiæ tam Latinæ quam Orientalis. IV. Auctoritate Conciliorum. Florentinum in Decreto pro Armenis ait: *Minister hujus Sacramenti est Sacerdos.* Tridentinum Sess. XIV. Cap. III. de extr. Unct. *Jam vero quod attinet ad præscriptionem eorum, qui & suscipere & ministrare hoc Sacramentum debent, haud obscure fuit illud etiam in verbis prædictis traditum; nam & ostenditur illic, proprios hujus Sacramenti ministros esse Ecclesiæ Presbyteros, quo nomine, eo loco, non ætate seniores aut primores in populo intelligendi veniunt, sed aut Episcopi, aut Sacerdotes ab ipsis rite ordinati per impositionem manuum Presbyterii.* Et Can. IV. *Siquis dixerit, Presbyteros Ecclesiæ, quos B. Jacobus adducendos esse ad infirmum inungendum hortatur, non esse Sacerdotes ab Episcopo ordinatos, sed ætate seniores in quavis communitate; ob idque proprium extremæ Unctionis ministrum non esse solum Sacerdotem; anathema sit.*

382.

382. Ad valorem itaque hujus Sacramenti requiritur, ut a Sacerdote administretur; cui non obest, quod Sacerdos sit excommunicatus, depositus &c. quia administratio hujus Sacramenti non est actus jurisdictionis, sicut absolutio in Sacramento Pœnitentiæ; sed exercitium est potestatis in Ordinatione Sacerdotali acceptæ. Ut vero licite extrema Unctio administretur, necessaria est jurisdictio ordinaria vel delegata in infirmum, qualem habet Parochus, vel alius cui ipse commiserit. Hinc Religiosi præsumentes hoc Sacramentum ministrare Clericis aut Laicis, absque Parochi facultate, ipso facto excommunicationem incurrunt Summmo Pontifici reservatam, ut constat ex Clementina unica de Privilegiis. In casu tamen necessitatis, quo alioquin infirmus sine hoc Sacramento moriturus esset, quilibet Sacerdos tam regularis quam sæcularis potest ac debet ex charitate illud ministrare, quia tunc Ecclesia hanc facultatem concedere censetur.

383. Dices I. S. Innocentius Epist. ad Decentium, Cap. VIII. scribit: *Non est dubium*, (verba B. Jacobi) *de fidelibus ægrotantibus accipi vel intelligi debere, qui sancto oleo chrismatis perungi possunt: quo ab Episcopo non solum Sacerdotibus, sed omnibus Christianis licet, in sua aut suorum necessitate inungendo.* Ergo initio sæculi V. ministri hujus Sacramenti erant etiam laici. II. Ven. Beda Comment. in Cap. V. B. Jacobi interpretans hæc verba, *Inducat Presbyteros*, ait: *Infirmi moneri debent, ut seniorum adjutorio curari se meminerint; neque ad juniores minusque doctos causam suæ imbecillitatis referant.* III. Diaconi possunt valide Sacramentum excellentius, nempe Baptismi, administrare. Ergo etiam valide administrare possunt Sacramentum Unctionis extremæ. Resp. ad I. C. A. N. C. Alphonsus a Castro, Dominicus Soto, Valentia, Tournely, Simonnet, Piette, Boucat &c. putant, Innocentium loqui de Unctione non Sacramentali, quæ unice fiebat ad medendos corporis languores. Cum enim viderent fideles, extremæ Unctionis beneficio plures

infir-

infirmos in pristinam restitui sanitatem, cœperunt eodem sacro oleo uti, sed absque omni forma sacramentali, atque eo ferme modo quo aqua benedicta nunc frontem tingimus, ad sui aliorumque curandas infirmitates. Cujus rei fidem faciunt Rufinus Lib. II. Hist. Eccles. Cap. IV. Palladius Hist. Lausiacæ, Cap. XX. Severus Sulpitius in Vita S. Martini, Cap. XXI. S. Gregorius Turonensis in Vitis Patrum, Cap. IV. & clarius constat ex Vita S. Gotbardi apud Surium die IV. Maji, & Vita S. Genovefæ, atque ex Ordine Romano, ubi dicitur: *Tunc offeratur Pontifici oleum de ampullis, quas offerunt populi ad ungendos tam infirmos quam energumenos.* Contrà, Card. Bellarminus, Jansenius Gandavensis, Maldonatus, Baronius, Suarius, Estius, Le Drouven, atque ipse Benedictus XIV. Lib. VIII. de Synodo, Cap. IV. putant, Innocentium locutum esse de unctione Sacramentali, non activa, sed passiva, hoc est, non de collatione, sed de receptione Sacramenti. Cum enim aliquibus persuasum forte fuerit, oleo sancto solos inungi posse Sacerdotes a quibus conficitur, eo pacto, quo in veteri atque etiam in nova Lege quædam aliæ sacræ unctiones sunt Regum & Sacerdotum propriæ; ad hunc refellendum errorem docet ibidem Innocentius, oleum sanctum confici quidem ab Episcopo, aliis adjuvantibus inferioris ordinis Presbyteris, non tamen ut subinde ipsi soli, verum etiam ut omnes Christiani positi in vitæ discrimine ungantur. Ad II. Resp. Bedam loco cit. loqui de Confessione, quam tunc infirmi, si ante non fecerint, facere debent Presbytero, ut patet ex illis verbis: *Causam suæ imbecillitatis referant.* Unde monet. in Confessarium eligendum esse potius Sacerdotem seniorem & doctum, quam juniorem minusque peritum. Intelligebat enim Beda locum illum B. Jacobi non solum de extrema Unctione, sed etiam de Sacramento Pœnitentiæ, propter verba quæ in Epist. B. Jacobi illico subsequuntur, *Confitemini alterutrum peccata vestra.* Unde hæc verba,

Infir-

Infirmatur quis in vobis, non solum de corporis, sed etiam animæ infirmitate interpretatur. Cæterum quamvis daretur loqui Bedam de extrema tantum Unctione; per seniores tamen non intelligit Laicos, sed Sacerdotes provectioris ætatis, quos ad ministerium hoc junioribus minus doctis præferendos esse ait; quia plerumque auctoritate, doctrina atque experientia junioribus præcellunt, aptioresque sunt ad infirmos instruendos ac solandos. Ad III. N. C. Ratio disparitatis est voluntas Christi, nobis tum per B. Jacobum, tum per antiquissimam Ecclesiæ praxim, ac Tridentini Concilii sententiam sufficienter manifestata.

Ad valorem extremæ Unctionis perinde est, sive ab uno, sive a pluribus Sacerdotibus conferatur.

384. Quæres IX. An ad valorem hujus Sacramenti perinde sit, sive ab uno, sive a pluribus Sacerdotibus administretur? Resp. affirmando. Prob. I^ma^ pars assertionis I^mo^ Auctoritate Pontificum. S. Innocentius Epist. ad Decentium ait: *Cæterum si Episcopus aut potest, aut dignum ducit, aliquem a se visitandum, & benedicere & tangere chrismate, sine cunctatione potest, cujus est ipsum chrisma conficere.* Ergo si solius Episcopi ministerium sufficit, (neque enim collegam illi assignat Innocentius,) sufficiet etiam unius Sacerdotis ministerium. Alexander III. Cap. *Quæsivit*, Extra, de Verb. signific. ait: *Nos itaque tibi taliter duximus respondendum, quod Sacerdos uno præsente Clerico, & etiam solus, potest infirmum ungere.* II. Ex usu & praxi Latinæ Ecclesiæ jam a pluribus sæculis, cujus ritum & usum nec repugnare sententiæ B. Jacobi, neque mutari, privata nempe auctoritate, neque sine peccato contemni posse definivit Tridentina Synodus Sess. XIV. Can. III. de extr. Unct. III. Exemplis Sanctorum. In Vita S. Eugendi, qui sæculo VII. floruit, apud Bollandum ad diem I. Januarii, legitur: *Vocato uno ad se de Fratribus, cui cum libertate peculiari olim perungendi infirmos onus iniunxerat, secretissimo quoque sibi, pectusculum petiit, ut moris est, inungi.* B. Mauram a solo Prudentio Tricassino sæculo IX. inunctam fuisse, testatur ipse Prudentius in ejus Vita. S. Gregorius Turonensis Lib. I. Hist.

Hist. Cap. XLI. refert, Artemium febre correptum ab uno S. Nepotiano visitatum, atque oleo sancto perunctum. IV. Auctoritate Theologorum, ac præcipue S. Thomæ, qui Lib. IV. contra Gentes, Cap. LXXIII. ait: *Quamquam enim congruum sit hoc Sacramentum a pluribus ministrari; si tamen unus solus Presbyter adsit, intelligitur hoc Sacramentum perficere, in virtute totius Ecclesiæ cujus minister existit, & cujus personam gerit.* Neque repugnat hæc assertio verbis Apostoli dicentis, Cap. V. *Inducat Presbyteros;* utitur enim B. Jacobus plurali numero pro singulari, quod Scripturis familiare est, quemadmodum jam olim advertit S. Augustinus Lib. III. de Consensu Evangelistarum, Cap. XVI.

In Ecclesia Latina olim plures sæpe adhibebantur Sacerdotes.

385. Prob. altera pars assertionis. In Ecclesia Latina plures olim in administratione hujus Sacramenti adhibebantur Sacerdotes, atque etiamnum adhibentur in Ecclesia Græca. Ergo pluralitas Ministrorum non obest valori extremæ Unctionis. P. A. de Ecclesia Latina. In Sacramentario S. Gregorii M. apud Menardum legitur: *Multi enim Sacerdotum infirmos perungent insuper in quinque sensus.* Idem præscribebant Ritualia, Cadurcense, Rutenense, ac Tutelense apud Martene de Antiq. Eccles. ritibus, Lib. I. Cap. VII. Art. III. Paragr. III. & Constitutiones Angliæ a Guillelmo Lyndewodo collectæ, quod etiam reperitur in Constitutionibus Odonis Episcopi Parisini apud Harduinum Tomo VI. Parte II. Colum. 1941. Eparchius in Vita Caroli Magni scribit: *Oleo sancto inunctus est ab Episcopis.* Ticinense Concilium A. 850. Capit. VIII. de infirmo sacro oleo inungendo statuit: *Debet eum Presbyter congruenter admonere, quatenus ad hanc spiritualem curam, secundum propriæ possibilitatis vires, vicinos quoque Presbyteros invitet.* Reynerus Lib. contra Waldenses, Cap. V. de Waldensibus scribit: *Sacramentum Unctionis etiam reprobant, quia tantum divitibus datur; & propter plures Sacerdotes ibi necessarios.* Immo morem hunc adhuc Sæculo XIII. viguisse, colligitur ex S. Thoma,

qui

qui Lib. IV. contra Gentes, Cap. LXXIII. scribit: *Quia hoc Sacramentum perfectæ curationis effectum habet, & in eo requiritur copia gratiæ, competit huic Sacramento, quod multi Sacerdotes intersint, & quod oratio totius Ecclesiæ effectum hujus Sacramenti adjuvet.*

Quod etiamnum fit in Ecclesia Græca.

386. In Ecclesia Græca, nostris etiam temporibus, septem adhibentur Presbyteri, sive propter septem dona Spiritus Sancti, vel ob septem peccata capitalia, vel denique quia septenarius numerus in Scripturis valde commendatur, & non caret mysterio. Hi assumpta lampade in septem remos divisa, & purissimo olivarum oleo referta, unusquisque fusis precibus modo in Ecclesia, modo etiam in domo ægrotantis, si præ infirmitate illuc adduci non potest, benedicunt oleum, quotiescunque hoc Sacramentum administrant, eoque ægrotantem inungunt, ut refertur apud Simeonem Thessalonicensem Lib. de Sacram. Goarium in notis ad Euchologium, & Leonem Allatium Lib. IV. de Consensu Ecclesiæ Orientalis & Occidentalis, Cap. XVI. Addit Petrus Arcudius Corcyræus Lib. V. de Concordia, Cap. III. *In eo munere perfungendo, quamvis varias singuli orationes recitent, eamdem tamen formam Sacramenti omnes iterant.* In necessitate tamen, quando septem inveniri Sacerdotes nequeunt, paucioribus contenti sunt, nempe tribus; numquam tamen unico, ut testatur Arcudius Lib. V. Cap. VI. *Græci statuunt, ne unus Presbyter hoc conferat Sacramentum, atque ut audio, CPoli si non fuerint ad minus tres, sed unus contulerit, vel etiam duo, ab officio deponuntur.*

Observanda circa Ministrorum numerum.

387. Circa hæc, quæ de Ministrorum numero in conferendo extremæ Unctionis Sacramento diximus, observo I^mo^ graviter errare Græcos, tum quod ne in necessitate quidem hoc Sacramentum ab unico Sacerdote administrari permittant; quem errorem aperte reprobat Synodus Provincialis Ruthenorum, habita Zamosciæ A. 1720. atque a Benedicto XIII. A. 1724. confirmata: tum quod singuli Sacerdotes qui adsunt, in iisdem corporis partibus infirmum ungant,

& formam Sacramenti proferant; quia sic toties iteratur Sacramentum, quot adsunt Sacerdotes. II. Seclusa necefsitate, si nimirum Minister qui membrum aliquod inunxit, subito deficiat, non pofse nunc in Ecclesia Latina a pluribus Sacerdotibns eidem infirmo simul hoc Sacramentum licite administrari; quia integrum non est, a norma recedere, in Rituali præscripta. III. Si tamen plures Sacerdotes simul re ipsa illud Sacramentum conficerent, haud dubie ratum fore illud & validum, modo singuli diversos inungant infirmi sensus, & quilibet congruentem inuncto sensui formam pronuntiet. Si enim unus ungeret, & alter formam proferret, haud dubie foret invalidum, ut patet v. g. in Baptismo & Confirmatione; quia tunc sua veritas formæ non constaret. IV. Non licitum modo, sed etiam laudabile efse, ut Sacerdoti Sacramentum hoc administranti plures afsistant Sacerdotes, non ut omnes simul extremam Unctionem partialiter conferant, sed ut preces conjungant. Atque ideo S. Carolus Borromæus in Concilio IV. Mediolanensi, Parte II. Cap. VI. Parochum graviter admonet, *ut id extremæ Unctionis Sacramentum miniſtraturus, quot commode poteſt, Presbyteros & Clericos adhibere ſtudeat, ſuperpelliceo indutos, qui ipſum & miniſtrantem & precantem, pietatis orationisque ſtudio in eo miniſterio adjuvent.*

Extrema Unctio ſolis adultis periculoſe ægrotantibus conferri poteſt.

388. Quæres X. Quodnam sit hujus Sacramenti subjectum? Resp. Fideles adulti, graviter ac periculose ægrotantes. Prob. afsertio I^mo^ Auctoritate Scripturarum. Jacobi Cap. V. dicitur: *Infirmatur quis in vobis? Inducat Presbyteros Eccleſiæ.* Quibus verbis sanos excludi, Doctores omnes unanimi consensu tenent. II. Auctoritate Patrum, quos in probatione Conclusionis dogmaticæ exhibuimus. III. Auctoritate Conciliorum, Cabilonensis II. Can. XLVIII. A. 813. Aquisgranensis A. 836. Can. V. Moguntini A. 847. Cap. XXVI. Ticinensis A. 850. Cap. VIII. Florentinum in Decreto pro Armenis ait: *Hoc Sacramentum niſi infirmo, de cujus morte timetur,*

tur, dari non debet. Quibus verbis exprimitur necessitas tum præcepti, tum Sacramenti. Si enim juxta institutionem Christi hoc Sacramentum valide posset etiam sanis administrari, Ecclesia non posset illos excludere; quandoquidem sani sæpissime majori cum reverentia ac fructu Sacramentum illud susciperent, quam infirmi. Tridentinum Sess. XIV. Cap. III. de extr. Unct. ait: *Declaratur etiam, esse hanc Unctionem infirmis adhibendam, illis vero præsertim, qui tam periculose decumbunt, ut in exitu vitæ constituti videantur: unde & Sacramentum exeuntium nuncupatur.* IV. Ex usu & praxi Ecclesiæ, quæ non nisi periculose ægrotantes inungi permittit.

389. Ex his colliges I. Sacramentum hoc sano, aut non periculose ægrotanti collatum, esse irritum. II. Sacramentum hoc non esse conferendum iis, qui sano corpore sunt in periculo mortis, ut v. g. capite plectendis, prælium aut periculosam navigationem ingressuris, mulieri proximæ partui &c. Quia licet de eorum morte timeatur, non sunt tamen infirmi. At vero senio confecti, etiamsi non adeo infirmi videantur, extrema Unctione donandi sunt, quia ipsa senectus est morbus, mortem propediem allaturus. III. Neque infantibus aut pueris, qui usum rationis nondum sunt consecuti. Quod si tamen rationis compotes pueri in gravem inciderint morbum, & doli ac culpæ judicentur capaces, poterunt infirmorum oleo liniri, quod rectius sancitum legimus inter Synodalia statuta Ecclesiarum Cadurcensis, Rutenensis, & Tutelensis, atque Rituali Argentinensi & Mechliniensi. IV. Idem dicendum esse de amentibus & furiosis, si lucida intervalla numquam habuerint, & de surdis, mutis ac cæcis simul a nativitate; hi enim sunt hujus Sacramenti incapaces, eoquod numquam voluntatem illud suscipiendi habuerint. V. Extremam Unctionem exhibendam esse iis, qui subita vi morbi oppressi sensibus ita destituuntur, ut nullum Sacramenti hujus desiderium significare valeant; quia de quolibet fideli præsumendum est, fuisse hoc Sacra-

mentum petiturum, si potuiſset, nisi de illo contrarium constet. Quod si ille peccator eſset notorius, in manifesto peccato mortali constitutus, aut publice excommunicatus, non eſset huic impertienda extrema Unctio, nisi ex probabilibus conjecturis, aut unius saltem fide digni testimonio colligi poſset, sinceræ pœnitentiæ signa dediſse.

Ultima tamen vitæ periodus non est expectanda.

390. Cæterum ad inungendum infirmum expectanda non est ultima ejus vitæ periodus, qua extremum agat spiritum, ut prioribus sæculis sæpiſsime fieri solebat ex falsa ac stolida fidelium persuasione, qui ab hoc Sacramento vehementer abhorrebant, putantes, post receptam semel extremam Unctionem, non amplius licere conjugatis, si convalescerent, ad conjugale opus reverti, nullique fas eſse deinceps carnes comedere, nudisque pedibus incedere. Quocirca plures Synodi sæculo XIII. celebratæ, populum hunc errorem dedoceri solerter curarunt, ut Wigorniensis in Anglia A. 1240. Cap. XIX. & Exoniensis A. 1287. Cap. VI. Tomo VII. Collectionis Harduinianæ. Animadverso itaque gravi amittendæ vitæ periculo, antequam infirmus mente dejiciatur, mature administranda est extrema Unctio, ut ægrotus illius effectum eo certius consequatur, nempe sanitatem corporis, si id expediat saluti animæ, & remiſsionem peccatorum. Sanitatem corporis non operatur extrema unctio per modum miraculi, (quod tamen in illis circumstantiis, si tamdiu differatur donec de ægroti salute conclamatum sit, omnino foret neceſsarium,) sed virtute quadam supernaturali illa quidem, quodam modo tamen ordinaria, quæ causas naturales adjuvat. At neque peccatorum remiſsionem eo in rerum articulo operari potest: nec enim peccata venialia remittit hoc Sacramentum absque aliqua eorum displicentia, nec lethalia delere valet sine eorundem detestatione, eaque saltem imperfecta contritione, quæ est neceſsaria ad veniam & justificationem consequendam in Sacramento Pœnitentiæ. Ejusmodi autem actus cum certe elicere nequeat qui est sensibus ac mente

jam

jam destitutus, nisi forte eos jam antea elicuerit, Sacramenti hujus effectibus fraudatur.

391. Dices I. Græci pœnitentes etiam corpore sanos inungunt, ut testantur Goarius in notis ad Euchologium Græcorum, Leo Allatius Lib. IX. de perpetua consensione Ecclesiæ Orientalis & Occidentalis, Cap. XVI. Petrus Arcudius Lib. V. Concordiæ, Cap. IV. Quinimmo ipsemet Episcopus, postquam feria V. majoris hebdomadæ infirmorum oleum solemni ritu consecravit, non jubet illud asservari ad ægrotos suo tempore deferendum, sed totum statim insumit, omnes inungendo adstantes. Denique Joannes Nathanael Presbyter, ac magnus Oeconomus Cretensis, apud Arcudium Lib. V. Cap. IV. respondens ad quæsita sibi facta a Viviano Episcopo Anagnino circa mores Græcorum, inter cætera narrat, Græcos Sacerdotes loco satisfactionis in Sacramentali Confessione pœnitentibus imponendæ, solere interdum, haud exigua tamen accepta mercede, eosdem sancto Oleo inungere, ut tali pacto a peccatorum reliquiis, pænisque pro iis subeundis absolvantur. II. Quamvis Græci in Concilio Florentino de omnibus rationem reddere jussi fuerint, in quibus a Latinis differrent; nulla tamen lis iis fuit hac de re intentata. Ergo Latina Ecclesia tacite approbavit hanc Græcorum consuetudinem. III. Apud Latinos etiam extrema Unctio sæpius sanis & integris collata est. Hugo Flaviniacensis in Chronico Virdunensi refert, Odiliam, Herimanni Comitis filiam, quæ a Richardo Abbate Monasterii S. Vitoni de futura sequenti die ejus morte præmonita fuerat, licet corpore sana nullam gravedinem pateretur, liquore tamen sancti olei inunctam, inter verba orationis spiritum efflavisse. Auctor Vitæ S. Hedwigis, Cap. VIII. refert, eam, priusquam ægrotare cœpisset, voluisse extremæ Unctionis Sacramento muniri. Plura exempla affert Martene de Antiquis Ecclesiæ ritibus, Tomo I. Lib. I. Cap. VII. Artic. I. Ad I^mum multi respondent cum Goario, unctionem illam, qua

apud

apud Græcos sani inunguntur, non esse Sacramentalem, neque ut Sacramentum, sed ut meram cæremoniam a Græcis observari, quæ si quid posit, non virtute propria & ex opere operato, sed vel ex dantium vel recipientium pietate ac fide posit. Quod si vero ab aliquibus Græcis animo verum conficiendi Sacramentum ritus hic perageretur, facere non possum quin Petri Arcudii Corcyræi, Viri apud Græcos doctissimi, Lib. V. Concordiæ, Cap. IV. hac de re judicium ratum habeam: *Ego præsentem morem Græcorum, qui pœnitentes, quamvis bene valentes, in omnibus iis corporis partibus, adhibita quoque forma Sacramenti, non aliter atque infirmos inungunt; nulla ratione probare possum; & si sordidi quæstus gratia id faciunt, eo magis detestandus est. Cum enim subjectum non sit aptum ad recipiendum Sacramentum (quando neque graviter quis infirmatur & ad mortem, ut requirit Apostolus & exponunt sacri Doctores) frustra temereque illud* (benevalentibus) *Græci administrant. - - - Græci vero, qui alios novitatis accusant - - respondeant ipsi, a quo istud acceperint, ut contra doctrinam Apostolicam sanos ungere debeant?* Illud certum est, Innocentium IV. Epist. ad Ottonem Episcopum Tusculanum, Legatum suum, vetuisse, ne Græci Presbyteri pœnas canonicas in tribunali pœnitentiæ imponendas, solius unctionis suscipiendæ onere commutarent. Hoc ipsum Innocentii IV. Decretum nuper instauravit Benedictus XIV. Tom. I. Bullarii, Constitutione LVII. *Etsi Pastoralis*, in qua Pontifex ait: *Nulli per Sacerdotes, vel Confessarios, pro satisfactione pœnitentiæ unctio aliqua solummodo injungatur; infirmis vero, juxta verbum Jacobi Apostoli, Unctio exhibeatur extrema.* Ad II. Resp. Ex silentio Florentini Concilii id unum inferri potest, sapientissimis illis Patribus fuisse persuasum, sanctam Unctionem a Græcis Sacerdotibus non adhiberi hominibus benevalentibus tamquam Sacramentum, sed veluti meram cæremoniam, & Sacramentalem quamdam benedictionem. Græci enim, qui de singulis suis ritibus coacti sunt in Florentino rationem reddere, gra-

vem

vem utique reprehensionem non evasissent, si comperti fuissent hac in re a communi & constanti Ecclesiæ Latinæ traditione ac praxi aberrare. Cæterum an non aliqui Græcorum vel turpi rerum sacrarum ignorantia, vel malitia, post Florentini tempora, a majorum suorum sententia hac in re discesserint, certum mihi & exploratum non est. Ad III. Resp. Exempla illa extraordinaria esse, & profecta ab aliquo peculiari Spiritus Sancti afflatu, homines interdum a legibus providentiæ ordinariæ solventis. Dici etiam potest verisimiliter, in prædictis rerum circumstantiis, eos qui de proxime secutura morte divinitus admoniti fuere, jam tum cœpisse lethali morbo interius laborare, quo cito ad interitum properabant, quamquam exterius sani apparerent.

Extrema Unctio in eodem subjecto iterari potest.

392. Quæres XI. An hoc Sacramentum possit in eodem subjecto iterari? Resp. posse iterari, sed non durante eodem infirmitatis statu ac periculo. Prob. Ima pars assertionis Imo, quia B. Jacobus nullo præfixo numero, ait Cap. V. *Infirmatur quis in vobis? Inducat Presbyteros Ecclesiæ.* Quæ verba, cum sint indefinita, idem significant, ac ista Quotiescunque quis infirmatur, inducat Presbyteros. II. Auctoritate Tridentini, quod Sess. XIV. Cap. III. de extr. Unct. ait: *Quod si infirmi post susceptam hanc Unctionem convaluerint, iterum hujus Sacramenti subsidio iuvari poterunt, cum in aliud simile vitæ discrimen inciderint.* III. Ex usu & praxi Ecclesiæ, ut patet ex Rituali Romano, aliarumque Ecclesiarum. IV. Ratione Theologica. Ima est: omne Sacramentum characterem non imprimens, sæpius potest in eodem subjecto iterari. Atqui extrema Unctio est Sacramentum characterem non imprimens. Ergo. IIda. Medicina sanans toties iterari debet, quoties infirmitas iteratur. Atqui infirmitas sæpius iteratur, quia sæpius iterantur peccata; & extrema Unctio est medicina sanans, delens peccata. Ergo.

393. Dices I. Goffridus Abbas Vindocinensis, & Ivo Carnotensis Episcopus sæculo XII. docuerunt adver-

versus Petrum Lombardum, & Ven. Petrum Cluniacensem, repeti non amplius poſse hoc Sacramentum, semel in vita legitime collatum. II. Quoties iteratur, injuria infertur extremæ Unctioni, ac si modicæ aut nullius eſset efficaciæ semel collata. III. Unctio Baptismalis ac Confirmatoria, sacrorum item Vasorum & Ecclesiarum iterari nequit. Ergo neque Unctio infirmorum. IV. Unctio extrema est veluti publicæ pœnitentiæ appendix. Ergo quemadmodum unica erat publica pœnitentia, ita etiam unica sit oportet infirmorum unctio. Resp. ad I. Goffridi & Ivonis auctoritati præponendam eſse auctoritatem Ecclesiæ, quæ usu suo ac praxi Magistri Sententiarum ac Vèn. Petri Cluniacensis sententiam ratam habuit, suffragante ei clariſsimis verbis Concilio Tridentino. Ad II. N. A. cum ratione addita. Pœnitentia, Eucharistia, ac Matrimonium absque injuria iterantur. Ergo etiam extrema Unctio; quia iteratio non arguit inefficaciam Sacramenti, sed infirmi neceſsitatem, qui succrescentibus novis peccatis, nova indiget medicina. Ad III. C. A. N. C. Unctiones illæ non iterantur, quia per modum consecrationis fiunt, vel quia earum aliquæ effectum perennem habent, ut in Baptismo & Confirmatione: porro quod semel Deo est consecratum, tale in æternum manet: & cujus effectus perpetuus est, iteratione non indiget. At vero Unctio infirmorum non ad consecrandum, sed ad medendum adhibetur; nec habet effectum permanentem, quia characterem non imprimit, & gratia per illam acquisita amitti potest. Ad IV. N. A. Cur enim privatæ pœnitentiæ appendix non dicatur? Certe est complementum Sacramenti Pœnitentiæ, quod administrari solet sine publica pœnitentia. Ergo cum sæpius in vita eidem homini administrari poſsit Sacramentum Pœnitentiæ, poterit etiam eidem homini sæpius administrari Sacramentum extremæ Unctionis. Denique quod semel tantum conceſsa sit in veteri Ecclesia pœnitentia publica, id non ex rei natura, sed ex dispositione Ecclesiæ oriebatur.

394.

394. Prob. etiam altera pars aſsertionis, Imo ex Tridentino paulo ante citato, quod ait, hujus Sacramenti subsidio juvari poſse infirmos, si in aliud simile vitæ discrimen inciderint. Ergo durante eodem statu morbi, noluit Concilium Unctionem sacram repeti. II. Ex usu & praxi Ecclesiæ, ut constat ex Ritualibus. III. Auctoritate Theologorum, præcipue S. Thomæ III. Parte in supplem. Quæst. XXXIII. Artic. II. Denique IV. Ratione Theologica. Sacramentum hoc, durante eodem infirmitatis statu ac periculo semel collatum, sufficit ad curationem spiritualem. Ergo non est iterandum. Cæterum durante eadem infirmitate, si post susceptam extremam Unctionem morbus ita remittat, ut ægrotus mortis periculum evasiſse videatur; sed antequam convalescat: iterum in vitæ discrimen relabatur, etiam juxta præsentem disciplinam, absque scrupulo, poterit denuo sacra Unctione muniri, quemadmodum diserte tradit S. Thomas in IV. Sentent. Dist. XXIII. Quæst. II. Artic. IV. pluresque Synodi statuerunt, Lingonensis A. 1404. Senonensis A. 1524. Carnotensis A. 1526. Quibus consentiunt Ritualia, Romanum, Argentinense &c. Neque hac in re Parochi scrupulose nimium se gerere debent; sed si dubitent, an revera morbi status mutationem subierit, seu num idem vel diversum sit vitæ periculum in quo ægrotus versatur, expedit ut ad Sacramenti iterationem propendeant, eo quod hæc iteratio conformior sit veteri Ecclesiæ consuetudini, & per eam novum spirituale subsidium ac levamen infirmo obveniat.

Non tamen durante eodem infirmitatis statu & periculo.

395. Dices. In antiquo Codice manuscripto S. Remigii Sæculo X. exarato, & prolato ab Hugone Menardo in notis ad Sacramentarium S. Gregorii M. statuitur, infirmos vita periclitantes per septem continuos dies & Christi corporis viatico recreandos, & sancto oleo eſse perungendos. Eumdem ritum clarius adhuc & magis aperte præscribunt Theodulphus Aurelianensis in suo secundo Capitulari a-

pud Baluzium Tomo VII. Miscell. aliique multi antiqui libri Rituales apud Martene de Antiq. Eccl. ritibus, Lib. I. Cap. VII. Art. II. Ergo durante eodem statu & periculo, extrema Unctio potest iterari. Resp. I. incertum esse, fuerintne omnes unctiones illæ Sacramentales, an cæremoniales tantum, excepta una. Resp. II. N. C. Quidquid enim sit de antecedente, usus postea invaluit, ab universa Ecclesia receptus, a Theologis communi calculo approbatus, & Synodorum ac Ritualium auctoritate roboratus, ut semel dumtaxat in eadem infirmitate ac statu morbi extrema Unctio adhibeatur: una siquidem necessarias suppeditat vires ad illa incommoda evitanda quæ morbus affert, quo actu æger laborat. Vide plura in præclaro Opere Prosperi Lambertini seu Benedicti XIV. de Synodo Diœcesana, Lib. VIII. ex quo pleraque, quæ de extrema Unctione hactenus dicta sunt, delibavimus.

Quinam sint effectus extremæ Unctionis?

396. Quæres XII. Quinam sint effectus extremæ Unctionis? Resp. plures esse. Ac I^mo quidem est augmentum gratiæ habitualis, connotans specialia auxilia, quibus absterguntur peccatorum reliquiæ, ex peccatis originali & personalibus contractæ, id est, propensio ad malum, torpor ad bonum operandum, gravedo quædam animam deprimens quo minus ad cœlestia se erigat, mœror & anxietas quæ morti vicinum vexare solet, & diffidentiam provocat. Ex quo sequitur, animum ægroti alleviari, spirituali hilaritate perfundi, magnamque in eo misericordiæ divinæ fiduciam excitari. II. Remissio pœnæ temporalis peccatis debitæ, juxta dispositionem & devotionem recipientis Sacramentum. III. Condonatio culparum venialium, atque etiam mortalium in certis casibus, quando nimirum peccata remissa non fuerunt in Sacramento Pœnitentiæ propter occultum atque ignoratum aliquem defectum ministri, aut etiam ipsius suscipientis: vel post absolutionem commissa sunt, sed memoria exciderunt, deposito tamen affectu ad illa, & elicita contritione saltem imperfecta quæ sufficit

ficit ad valorem Sacramenti Pœnitentiæ: vel quando denique ægrotus propter privationem usus rationis ac sensuum factus est incapax Confessionis, nec antea habuit contritionem perfectam. IV. Sanitas corporis. Hic tamen effectus non absolutus est, sed conditionatus, si nimirum saluti animæ expediat.

397. Prob. assertio Imo Auctoritate Scripturarum. Jacobi Cap. V. dicitur: *Oratio fidei salvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus, & si in peccatis sit, remittentur ei.* Ubi verba illa, *salvabit infirmum*, quartum effectum, a nobis paulo ante descriptum indicant. *Et alleviabit eum Dominus*, primum & secundum. *Et si in peccatis sit, remittentur ei*, tertium significant. Si enim Apostolus de remissione etiam mortalium in certis casibus non loqueretur, particula illa dubitationis *si* opus non erat, cum certum sit in aliquibus venialibus, quoad vivimus, nos versari, ut paulo ante B. Jacobus dixerat Cap. III. v. 2. *In multis offendimus omnes.* II. Auctoritate Conciliorum. Cabilonense II. Can. XLVIII. extremam Unctionem vocat *medicinam, quæ animæ corporisque medetur languoribus.* Ticinense Cap. VIII. *Sacramentum, per quod remittuntur peccata.* Florentinum in Decreto pro Armenis: *Effectus extremæ Unctionis est mentis sanatio; in quantum autem expedit, etiam corporis.* Tridentinum Sess. XIV. Cap. II. de extr. Unct. ait: *Res etiam hæc* (sive effectus) *gratia est Spiritus Sancti, cujus Unctio delicta, si qua sint adhuc expianda, ac peccati reliquias abstergit; & ægroti animam alleviat & confirmat; magnam in eo divinæ misericordiæ fiduciam excitando: qua infirmus sublevatus, & morbi incommoda ac labores levius fert, & tentationibus dæmonis calcaneo insidiantis, facilius resistit; & sanitatem corporis interdum, ubi saluti animæ expedierit, consequitur.* Et Can. II. *Siquis dixerit, sacram infirmorum Unctionem non conferre gratiam, nec remittere peccata, nec alleviare infirmos; sed jam cessasse, quasi olim tantum fuerit gratia curationum; anathema sit.* Eosdem effectus enumerat S. Carolus Borro-

romæus in Instructione de extr. Unct. *Prima utilitas & effectus hujus Sacramenti est, quod peccati reliquias tollit, tamquam complementum Sacramenti Pœnitentiæ. Quæ reliquiæ peccata esse intelliguntur, sive mortalia sive venialia, quæ post alia Sacramenta remanent; potest enim fieri, ut ignorante eo qui commisit, vel non valente confiteri, peccatum mortale remaneat, in quo delendo ita hoc Sacramento juvatur, ut fieri possit eum per hoc Sacramentum salvari, qui alioquin fuisset damnandus.* IV. Auctoritate unanimi Theologorum, S. Thomæ Lib. IV. contra Gentes, Cap. LXXIII. item in IV. Sentent. Dist. XXIII. Quæst. I. Artic. II. Et Parte III. in Supplem. Quæst. XXX. Artic. I. V. Ratione congrua, quam afsignat Tridentinum Sefs. XIV. in proœmio doctrinæ de extr. Unct. *Clementissimus Redemptor noster, qui servis suis quovis tempore voluit de salutaribus remediis adversus omnia omnium hostium tela esse prospectum, quemadmodum auxilia maxima in Sacramentis aliis præparavit, quibus Christiani conservare se integros, dum viverent, ab omni graviore spiritus incommodo possint, ita extremæ Unctionis Sacramento finem vitæ, tamquam firmissimo quodam præsidio munivit. Nam etsi adversarius noster occasiones per omnem vitam quærat & captet, ut devorare animas nostras quoquo modo possit: nullum tamen tempus est, quo vehementius ille omnes suæ versutiæ nervos intendat ad perdendos nos penitus, & a fiducia etiam, si possit, divinæ misericordiæ deturbandos, quam cum impendere nobis exitum vitæ perspicit.*

398. Dices I. Sacramentum Pœnitentiæ valet ad abstergendas peccati reliquias. Ergo extrema Unctio non fuit ad id instituta. II. Etiam post perceptam extremam Unctionem, remanent in iis qui convaluerunt, natura in malum propensa, torpor ad bene operandum, vitiosi habitus &c. ut ostendit experientia. Ergo peccatorum reliquiæ per illam non abstergentur. III. Sacramentum extremæ Unctionis institutum fuit per modum medicinæ spiritualis. Ergo sicut medicina supponit vitam in eo qui curatur: ita

ex-

extrema Unctio supponit vitam spiritualem in eo cui exhibetur. Ergo non remittit peccata gravia. IV. Sacramenta instituta sunt ad animæ sanctificationem. Ergo sanitas corporis non potest esse effectus hujus Sacramenti. V. Sequeretur, quod sanitas deberet semper recuperari, nisi ponatur obex a suscipiente, quia effectus Sacramentorum est infallibilis. At vero id falsum esse quotidiana docet experientia. VI. Non sunt a Ministris Ecclesiæ expectanda & intendenda miracula. Atqui sanatio supra naturæ vires est miraculum. Ergo Ministri Ecclesiæ eam nec intendere nec expectare debent, quando infirmos inungunt. Resp. Ad I. N. C. Quia peccatorum reliquiæ hominem periculose decumbentem magis premunt ac vexant, præsentiori remedio, atque ad id potissimum instituto opus habet. Ad II. C. A. D. C. Peccatorum reliquiæ non absterguntur, immutando naturalem corporis habitudinem & dispositionem, C. Consec. Vigorem & robur adversus illas tribuendo, N. Consec. Reliquiæ peccatorum abstergi dicuntur, quatenus sacra Unctio animam exhilarat, confirmat, fortemque reddit in propria infirmitate. Ad III. Resp. Sacramentum hoc fuisse institutum per modum medicinæ, quæ non tantum habet vim sanandi, sed etiam infundendi vitam spiritualem, si forte infirmus eam per peccatum amiserit. Ad IV. D. A. Instituta sunt ad animæ sanctificationem ex fine primario, C. A. Unice ac privative, N. A. & D. C. Ergo sanitas corporis non potest esse effectus primarius, C. Consec. Effectus secundarius, & sub conditione, si ad salutem animæ expediat, N. Consec. Ad V. N. sequelam. Solus effectus primarius & absolutus infallibiliter sequitur, si nullus ponatur ei obex. At vero sanitas corporis est effectus hujus Sacramenti secundarius & conditionatus, si id nimirum saluti animæ conducat. Cum ergo raro contingat, ut ad æternam hominis vitam utile sit sanitatem ejus corporalem restitui, multique malitia sua obicem ponant Sacramento, mirum non est, si pauci post sacræ Unctio-

nis

nis susceptionem a morbo recreantur. Ad VI. C. M. N. min. Juxta S. Thomam ad verum miraculum duo requiruntur, ut nimirum opus excedat naturæ vires, & ut fiat præter ordinem a Deo constitutum. Jam vero quando Sacramentum extremæ Unctionis confertur, si id saluti animæ expediat, sanatio fit equidem virtute Sacramenti, estque supra naturæ vires; attamen fit juxta leges a Deo præscriptas, & secundum ordinem a Deo constitutum, ideoque absque miraculo. Pari de causa justificatio impii, licet naturæ vires excedat non est miraculum.

Effectus primarius extremæ Unctionis non est remissio peccatorum, sed gratiæ sanctificantis augmentum cum jure ad gratias actuales, quæ dantur ad corroborandum ægrotum.

399. Quæres XIII. Quinam sit effectus primarius extremæ Unctionis? Resp. non est remissio peccatorum, sive venialium, sive mortalium, sed gratiæ sanctificantis augmentum cum jure ad gratias actuales, quæ dantur ad alleviandum & corroborandum hominis ægrotantis animum contra morbi molestias ac dolores, & tentationes diaboli. Prob. I^mo^ Ratione Theologica. Communis & constans Ecclesiæ doctrina est, duo tantum esse Sacramenta mortuorum, Baptismum scilicet & Pœnitentiam. Ergo extrema Unctio per se, atque ex primaria Christi intentione peccata mortalia non remittit, alioquin foret Sacramentum mortuorum. II. Auctoritate Tridentini, quod definivit lapsis post baptismum Sacramentum Pœnitentiæ necessarium esse necessitate medii saltem in voto. Atqui hoc dogma non videtur conciliari posse cum ea sententia, quæ docet extremam Unctionem peccatis mortalibus remittendis per se, primo, & ex principali Christi intentione sufficere: in hac enim hypothesi possent peccata mortalia sola Unctione, secluso Sacramento Pœnitentiæ expiari. III. Auctoritate S. Thomæ, Qui in Supplem. ad III. Partem, Quæst. XXX. Art. I. ait: *Respondeo dicendum, quod quodlibet Sacramentum est institutum principaliter ad unum effectum, quamvis etiam alios, ex consequenti, inducere possit: & quia Sacramentum efficit quod figurat, ideo ex ipsa significatione Sacramenti, debet accipi ejus principalis effectus. Adhibetur autem hoc Sacramentum secundum modum cujus-*

dam

dam medicationis, ſicut Baptiſmus per modum ablutionis: medicina autem eſt ad pellendam infirmitatem. Unde principaliter hoc Sacramentum eſt inſtitutum ad ſanandam infirmitatem peccati: ut ſicut Baptiſmus eſt quædam ſpiritualis regeneratio, & pœnitentia quædam ſpiritualis ſuſcitatio: ita & extrema Unctio ſit quædam ſpiritualis ſanatio vel medicatio. Sicut autem corporalis medicatio præſupponit corporalem vitam in medicato, ita ſpiritualis ſpiritualem: & ideo hoc Sacramentum non datur contra defectus quibus ſpiritualis vita tollitur, ſcilicet contra peccatum originale vel mortale ſed contra illos defectus, quibus homo ſpiritualiter infirmatur, ut non habeat perfectum vigorem ad actus vitæ, gratiæ, vel gloriæ. Et hic defectus nihil aliud eſt, quam quædam debilitas & ineptitudo, quæ in nobis relinquitur ex peccato actuali vel originali: & contra hanc debilitatem homo roboratur per hoc Sacramentum. Pari ratione primarius extremæ Unctionis effectus eſse nequit remiſsio venialium; quia illa sunt sufficiens materia Sacramenti Pœnitentiæ, quod a Christo primario institutum fuit ad delenda peccata tam mortalia quam venialia. Ergo effectus Sacramento Pœnitentiæ proprius non potest dici primario & per se ab altero Sacramento produci; ita enim singula Deus disposuit, ut proprii unicuique Sacramento effectus corresponderent.

400. Dices I. Quamvis extrema Unctio per se primario remittat in aliquibus casibus mortalia, non tamen ea remittit sine Pœnitentiæ Sacramento saltem in voto. Ergo ex illa Concilii Tridentini doctrina nihil potest inferri. II. B. Jacobus Cap. V. ait: *Si in peccatis ſit, remittentur ei.* Et Tridentinum Seſs. XIV. Cap. II. *Delicta, ſi qua ſint adhuc expianda, ac peccati reliquias abſtergit.* Ergo remiſsio peccatorum aſsignatur pro effectu hujus Sacramenti. III. Si extrema Unctio supponit in suscipiente vitam spiritualem, numquam remittet mortalia: neque aliquid haberet circa remiſsionem peccatorum, quod reliquis

Sa-

Sacramentis vivorum non sit commune. IV. Ille est effectus primarius & principalis Sacramenti, qui importatur in ejus forma. Atqui remissio peccatorum importatur in forma extremæ Unctionis: *Indulgeat tibi Deus quidquid deliquisti.* Ergo. Resp. ad I. N. A. Si enim extrema Unctio per se ac primario remitteret mortalia, opus non foret voto Sacramenti Pœnitentiæ, cum id ex eo tantum capite requiratur, quia a Christo primario ac principaliter institutum fuit in remissionem peccatorum. Ergo cum Tridentinum Sess. XIV. Cap. IV. doceat, Sacramentum Pœnitentiæ vel in re vel in voto esse omnibus post baptismum lapsis necessarium necessitate medii; optime a nobis infertur, doctrinam adversariorum difficulter conciliari cum Tridentino: neque amplius sacro oleo inunctis necessarium fore Sacramentum Pœnitentiæ necessitate medii vel in re vel in voto; cum illi Sacramentum extremæ Unctionis susceperint; quod adversarii a Christo institutum volunt primario atque ex principali intentione in remissionem mortalium. Ad II. Resp. remissionem peccatorum & a B. Jacobo, & a Tridentino Concilio assignari pro effectu hujus Sacramenti secundario, non autem primario. Ad III. N. A. Quamvis extrema Unctio ex primaria institutione supponat in suscipiente vitam spiritualem; nihil tamen obstat, quo minus ex secundaria quadam institutione valere possit ad remittenda in quibusdam casibus peccata mortalia, modo infirmus eam contritionem habeat, quæ requiritur in Sacramento Pœnitentiæ ad veniam delictorum obtinendam. Hoc autem peculiare, neque cæteris vivorum Sacramentis commune, habet extrema Unctio, quod secundario in quibusdam casibus peccata etiam gravia deleat, quæ suscipiendo reliqua vivorum Sacramenta, in nullo casu remittuntur, ut singillatim de Eucharistia diximus Num. XV. & XVI. Ad IV. Resp. utrumque effectum, primarium ac secundarium, importari in forma extremæ Unctionis, nempe remissionem peccato-

rum

rum quoad reliquias peccati, quæ tolluntur per actualia auxilia gratiæ, quibus animus ægroti corroboratur, & ad fiduciam divinæ misericordiæ excitatur: tum etiam remissionem peccatorum quoad culpam, qui secundarius est hujus Sacramenti effectus.

401. Prob. etiam altera pars assertionis ratione multiplici. Ima est. Extrema Unctio est complementum Sacramenti Pœnitentiæ. Atqui illud non perficit, per se ac primario remittendo peccata. Ergo reliquias peccatorum abstergendo, & animam adversus infirmitatem ex peccatis relictam confirmando ac roborando. II. Hoc Sacramentum institutum fuit pro solis ægrotis periculose decumbentibus. Ergo Christus, ut articuli mortis necessitati, quæ sane maxima est, provideret per extremæ unctionis Sacramentum, illud primario instituit contra defectus quibus homo spiritualiter infirmatur, sive contra defectum vigoris ad eliciendos actus salutares, qui nihil aliud est quam torpor & debilitas ex peccatis relicta. III. Unctio exterior, in qua Sacramentum hoc confertur, pugiles ad pugnam disponit & corroborat. Ergo, quia Christus Sacramentum hoc instituit in unctione, recte dicitur illud ad hunc finem primario instituisse, ut hominis ægrotantis animum, morbi vehementia debilitatum, corroboraret contra torporem ex peccatis commissis superstitem, dolores corporis, & dæmonis tum maxime ferocientis insultus. Ergo Sacramentum hoc per se primo institutum est ad conferenda homini periculose ægrotanti specialia gratiæ auxilia, quibus juvetur & confortetur.

Extrema Unctio non est necessaria necessitate medii ad salutem.

402. Quæres XIV. Quænam sit hujus Sacramenti necessitas? Resp. cum S. Thoma, Suario, Estio, & communioni Theologorum, Unctionem extremam, quamvis maxima sit ejus utilitas, neque necessariam esse necessitate medii ad salutem, neque necessitate præcepti divini aut humani: ideoque, per se loquendo, infirmum sub peccato gravi non teneri ad suscipiendum hoc Sacramentum. Dixi Imo. *Per se loquendo;* fieri enim potest per accidens, ut infirmus hoc

Sacramentum recusando graviter peccet ratione contemptus formalis; qualis tamen non statim ideo datur, quod commoditas opportuna non desit hoc Sacramentum suscipiendi, ac nihilominus non suscipiatur. Item ratione scandali, quando nimirum ex eo quod æger extremam Unctionem recuset, Sacramentum hoc ab aliis contemneretur. Dixi II. *Sine peccato gravi*; a peccato enim veniali talis negligentia excusari non potest; non quidem ob violationem præcepti alicujus particularis & specialis, sed ob quamdam salutis incuriam, & prodigalitatem boni spiritualis.

403. Prima pars afsertionis ab omnibus Theologis admittitur, & facile probatur; tum quia extrema Unctio supponit gratiam & amicitiam Dei per Sacramentum Pœnitentiæ, cujus est complementum: tum quia gratia confortans animam ægroti potest aliunde haberi: neque Ecclesia de aliquorum æterna salute umquam ex eo capite dubitavit, quod vi morbi a nobis abrepti sint, antequam infirmorum oleo ungerentur.

Neque necessitate præcepti divini aut humani.

404. Prob. etiam altera pars afsertionis. Nullum ostendi potest præceptum stricte per se obligans ad susceptionem hujus Sacramenti, sive in Scripturis, sive in Traditione, sive in Decretis Conciliorum ac Pontificum. Ergo præceptum hoc, sive divinum sive Ecclesiasticum nominetur, afseri non debet. Equidem quilibet homo, præsertim sub finem vitæ, vitare tenetur propinquum peccandi periculum, & animæ interitum: At omifsio extremæ Unctionis per se nec interitum animæ, nec propinquum periculum consentiendi suggestionibus dæmonis inducit; sed infirmus hoc damnum & periculum aliis modis potest a se avertere, v. g. confugiendo ad Deum per ferventem orationem &c.

405. Dices I. B. Jacobus in Epist. Catholica, Cap. V. ait: *Inducat Presbyteros Ecclesiæ.* Ergo Apostolus præcipit Sacerdotes induci. II. Tridentinum Sefs. XIV. Cap. III. damnat eos qui dicunt, hanc Unctionem *mandatum Dei* non habere. Colonien-

niense I. A. 1538. ait: *Hæc sacra Unctio impendatur cum expositione mandati Apostoli.* Cabilonense II. ait, quod infirmi *debeant* a Presbyteris oleo inungi. Resp. ad I. N. C. Verba illa sunt hortantis, non præcipientis. Ad II. iterum N. C. Hæc sacra Unctio dicitur habere mandatum Dei, non quod mandatum illud impositum sit fidelibus de suscipiendo hoc Sacramento; sed quod impositum sit Ecclesiæ ministris, ut petentibus Sacramentum hoc tali ritu administrent. Et sane Tridentinum Sess. XIV. Cap. I. non ait, extremam Unctionem fuisse ab Apostolo præceptam, sed commendatam & promulgatam. Verbum *debet*, uti alias sæpe, ita etiam hic intelligendum est non de debito stricte tali, quod importat præceptum; sed de debito convenientiæ, maximamque hujus Sacramenti utilitatem indicat, qua se privant illud negligentes.

CONTROVERSIA II.

AN SACRA ORDINATIO MINISTRORUM ECCLESIÆ SIT VERUM NOVÆ LEGIS SACRAMENTUM?

CONTRA PROTESTANTES.

Hierarchia Ecclesiastica quid. & quotuplex sit?

406. Hierarchia Ecclesiastica significat Principatum sacrum, qui est in ordine supernatuli gratiæ, totusque versatur in functionibus sacris. Dici itaque potest sacer Ordo, in Lege nova a Christo institutus, mediante scientia & operatione per ejus imitationem & præceptorum observantiam ad charitatem adducens, & secundum actiones sibi proprias, ad Dei similitudinem pro modo suo ascendens. Alia est Hierarchia Ordinis, alia Jurisdictionis. Hierarchia *Ordinis* tota refertur ad Eucharistiæ mysterium, daturque inter illos, qui sacris Ordinibus initiati sunt, ascendendo per gradus diversorum Ordinum, ut per hos diutius probati, digniores perveniant ad Presbyteratum, & inde ad culmen Sacerdotii, quod est Episcopatus. Hierarchia *Jurisdictionis* appellatur Ordo

do sacer in Ecclesia, per actionis sacræ potestatem subditos ad mandatorum observationem & Dei similitudinem adducens. Unde etiam ex iis qui ad Sacerdotii apicem, nempe ad Episcopatum evecti sunt, aliqui altiorem, alii inferiorem in eodem gradum, si Jurisdictionem spectemus, occupant, dum Episcopi Metropolitanis, hi Patriarchis, isti denique summo in terris Christi Vicario ordinatissime subjiciuntur. Porro sacra hæc jurisdictio exercetur vel pro foro interno super corpus Christi mysticum, illuminando & perficiendo ipsum per doctrinam, & Sacramentorum administrationem, & purgando per Baptismi & Pœnitentiæ Sacramenta: vel pro foro externo per potestatem coactivam in subditos etiam invitos, definiendo, præcipiendo, ac puniendo.

Datur in Ecclesia Hierarchia sacra.

407. Dari in Ecclesia sacram Hierarchiam definivit Tridentina Synodus Sess. XXIII. Can. VI. *Siquis dixerit in Ecclesia Catholica non esse Hierarchiam divina ordinatione institutam, quæ constat ex Episcopis Presbyteris, & Ministris; anathema sit.* Et merito sane id statuerunt Tridentini Patres. Nam I^mo^ datur in Ecclesia potestas divinitus ordinata. Matth. Cap. XVI. ait Christus B. Petro: *Et tibi dabo claves regni cœlorum. Et quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum & in cœlis: & quodcunque solveris super terram, erit solutum & in cœlis.* Clavium autem nomine significatur jus regendi Ecclesiam, & peragendi omnia quæ ad illius regimen spectant, qualia sunt ordinatio Ministrorum, absolutio a peccatis, Evangelii prædicatio, Scripturarum interpretatio, excommunicandi authoritas &c. II. Dantur in Ecclesia charismata; quia per Sacramentum Ordinis confertur Spiritus Sancti plenitudo, & potestas ministrandi Sacramenta, ad Fidelium sanctificationem instituta. III. Actio denique datur; quia Apostoli, & eorum successores actus hierarchicos semper exercuerunt, & etiamnum exercent, subditos purgando, illuminando, perficiendo. Ergo re vera datur in Ecclesia principatus quidam sacer & spiritualis, nempe Hierarchia Ecclesiastica.

408.

Pluresque Ordines majores & minores.

408. Quod præcipue Hierarchiam Ecclesiasticam constituit, est sacer Ordo, sive sacra illa actio & consecratio, qua Clerico potestas specialis stabiliter confertur ad sacrosanctum Christi corpus consecrandum, & ad alia Ecclesiastica ministeria rite & ex ordine obeunda. Plures esse Ordines, fide divina credendum esse statuit Tridentina Synodus Sess. XXIII. Can. II. *Si quis dixerit, præter Sacerdotium non esse in Ecclesia Catholica alios Ordines, & majores & minores, per quos, velut per gradus quosdam, in Sacerdotium tendatur; anathema sit.* Cujus rationem congruam assignat eadem Sess. XXIII. Cap. II. *Cum autem divina res sit tam sancti Sacerdotii ministerium; consentaneum fuit, quo dignius & majori cum veneratione exerceri posset, ut in Ecclesiæ ordinatissima dispositione plures & diversi essent ministrorum Ordines, qui Sacerdotio ex officio deservirent, ita distributi, ut qui jam clericali tonsura insigniti essent, per minores ad majores ascenderent.* Ex his tres, nempe Presbyteratus, Diaconatus, & Subdiaconatus, *Majores* & sacri appellantur, quia speciali quadam ratione reddunt homines sacratos; majora enim tractant, & omnia sacratiora pertingunt, proximeque accedunt ad inserviendum altari pro confectione sacrosanctæ Eucharistiæ. Alii vocantur Ordines *minores*, non ludibrii & contemptus gratia, sed comparate ad ministros superiores, nempe Presbyteros, Diaconos, & Subdiaconos, quibus ministrant; & quia tam prope ad sacrum altare non accedunt.

In Ecclesia Latina constanter fuere septem Ordines.

409. In Ecclesia Latina constanter fuere septem Ordines, ut docet Tridentinum Sess. XXIII. Cap. II. *Nam non solum de Sacerdotibus, sed & de Diaconis sacræ litteræ aperte mentionem faciunt - - Et ab ipso Ecclesiæ initio sequentium Ordinum nomina, atque uniuscujusque eorum propria ministeria, Subdiaconi scilicet, Acolythi, Exorcistæ, Lectoris, & Ostiarii, in usu fuisse cognoscuntur, quamvis non pari gradu.* Sæculo III. S. Cornelius Papa in Epist. ad Fabium Antiochenum, quam refert Eusebius Lib. VI. Hist. Eccles. Cap. XLIII.

XLIII. alias XXXV. describens Clericos, qui erant Romæ initio Schismatis Novatiani, ait: *Ergo ille Evangelii vindex ignorabat unum Episcopum eße oportere in Ecclesia Catholica; in qua tamen sciebat (quomodo enim illud nescire potuisset?) Presbyteros quidem eße quatuor & quadraginta: septem autem Diaconos, totidemque Subdiaconos: Acolythos duos & quadraginta: Exorcistas & Lectores cum Ostiariis quinquaginta duos.* Concilium Carthaginense IV. A. 398. agit de Presbyteris Cap. III. de Diaconis Cap. IV. de Subdiaconis Cap. V. de Acolythis Cap. VI. de Exorcistis Cap. VII. de Lectoribus Cap. VIII. de Ostiariis Cap. IX. horumque graduum conferendorum ritum & formam præscribit. Ordines eosdem enumerant S. Gregorius M. in suo Sacramentario. S. Isidorus Hispalensis Lib. VII. Etymologiarum, Cap. XII. Alcuinus Lib. de Offic. divinis, Cap. XXXII. Amalarius Fortunatus Lib. II. de Offic. divinis, a Cap. VII. ad Cap. XIII. inclusive. Rabanus Maurus Lib. I. de Institut. Clericorum. Anastasius Bibliothecarius in Vita Caji & Sylvestri Pontificum. Ivo Carnotensis in Serm. de sacrorum Ordinum excellentia. Hugo Victorinus Lib. II. de Sacramentis, Parte III. Cap. V. Petrus Lombardus Lib. IV. Sentent. Dist. XXIV. S. Thomas in Supplem. ad III. Partem, Quæst. XXXVII. Artic. II. aliique veteres Scholastici.

Non tamen plures; licet plura darentur Clericorum officia.

410. Porro nihil nos cogit, ut præter enumeratos septem Ordines admittamus plures alios, quorum nomina in antiquis monumentis reperiuntur. Nam diversa nomenclatura ex eo proveniebat, quod iis qui aliquo ex quatuor minoribus Ordinibus initiati erant, varia committerentur officia. Ex istorum officiorum diversitate Clerici non nulli vocabantur *Laborantes*, seu *Foßarii*, qui curandis & sepeliendis fidelium corporibus operam impendebant: *Parabalani*, qui ad curanda debilium ægra corpora deputabantur: *Oeconomi* Ecclesiarum: *Apocrisiarii*, qui tamquam procuratores omnes causas Ecclesiasticas, ad eos a quibus manda-

tum

tum acceperant attinentes, in Aula Imperatoris agerent: *Hermeneutæ*, seu Interpretes, qui ex una in aliam linguam transferebant tam lectiones Scripturarum, quam Sermones ab Episcopis ad populum habitos: *Defensores* pauperum, & Ecclesiarum: *Custodes Martyrum: Catechistæ*, seu *Doctores audientium*, id est, Catechumenorum: *Notarii*, constituti primitus ad acta Martyrum conscribenda. Hæc aliaque erant, non diversorum Ordinum, sed diversorum officiorum nomina, quæ minorum Ordinum Clericis, aut etiam Subdiaconis imponebantur. *Cantoris* nomen non Ordinis sed officii fuisse ex eo colligitur, quia a simplici Presbytero sine consecratione, quamvis sub aliqua verborum formula, conferebatur, ut patet ex Carthaginensi IV. Cap. X. *Psalmista, id est, Cantor potest absque scientia Episcopi, sola jussione Presbyteri, officium suscipere cantandi, dicente sibi Presbytero: Vide, ut quod ore cantas, corde credas; & quod corde credis, operibus comprobes.*

Apud Græcos per veram & distinctam ordinationem quatuor tantum gradus & ordines conferebantur.

411. Dixi, in Ecclesia Latina constanter ac semper fuisse septem Ordines. In Græca enim Ecclesia, quamvis diversa officia viguerint, per veram tamen & distinctam ordinationem & consecrationem quatuor tantum gradus & Ordines videntur fuisse collati, nempe Presbyteratus, Diaconatus, Subdiaconatus, & Lectoratus. Patet id I^mo^ ex consensu omnium Euchologiorum Ecclesiæ Græcæ, in quibus horum quatuor graduum nomina exprimuntur, & singillatim ritus notantur in eorum collatione observandi, ne levi quidem facta mentione Acolythi, Exorcistæ & Ostiarii. II. Quia Canones, qui dicuntur Apostolici, XLII. & XLIII. item Auctor Constitutionum Apostol. magno in pretio apud Græcos habitus, Lib. VIII. Cap. XVI. de Exorcistis, Ostiariis, & Acolythis altum silent. III. Quando Concilia Generalia declarant, non promovendos esse ad Episcopatum alios, quam qui omnes alios Ordines prius susceperint, quatuor dumtaxat graduum meminerunt. Sardicense A. 347. Can. XIII. ait: *Osius Episcopus dixit: Et hoc necessarium*

rium arbitror, ut diligentissime tractetis, si forte aut dives, aut scholasticus de foro, aut ex administratore Episcopus fuerit postulatus, ut non prius ordinetur, nisi ante & Lectoris munere, & officio Diaconi, aut Presbyteri fuerit perfunctus: & ita per singulos gradus, si dignus fuerit, ascendat ad culmen Episcopatus. Constantinopolitanum IV. A. 869. Act. X. Can. V. statuit: *Si vero quis per nullam suspicionem prædictæ concupiscentiæ expectationis, sed propter ipsum bonum humilitatis, quæ est circa Christum Jesum, abrenuntians mundo, fiat Clericus, aut Monachus; & omnem gradum Ecclesiasticum transigens, per definita nunc tempora irreprehensibilis inventus extiterit & probatus; ita ut in gradu Lectoris annum compleat, in Subdiaconi vero duos, sitque Diaconus tribus, & Presbyter quatuor annis; bene placuit huic sanctæ & universali Synodo eligi hunc & admitti.* IV. S. Joannes Damascenus in Dialogo contra Manichæos scribit: *Principium insuper de ordine quoque dicitur: prima dignitas Lector est; deinde Subdiaconus; post Diaconus; post Presbyter: atque ita demum Episcopus dicitur.* V. Joannes VIII, Epist. ad Basilium Imp. A. 879. scribit: *Volumus, ut promoveatur per singulos gradus Ecclesiasticos probatus, ut sit primum Lector, deinde Acolythus* (pro Subdiacono hic ponitur Acolythus) *postea Diaconus, tum Presbyter, post hæc Episcopus.* VI. Innocentius IV. A. 1254. in Epist. ad Card. Ottonem Episcopum Tusculanum, Sedis Apostolicæ in Cypro Legatum, scribit: *Ad hæc volumus, & expresse præcipimus, quod Episcopi Græci* (regni Cypri, in quo tunc Latinorum ritus prævalebat) *septem ordines secundum morem Ecclesiæ Romanæ de cætero conferant, cum hucusque tres de minoribus circa ordinandos neglexisse vel prætermisisse dicantur. Illi autem qui sunt jam taliter ordinati per eos, propter nimiam ipsorum multitudinem, in sic susceptis Ordinibus tolerentur.* VII. Justinianus Imperator Novella III. Cap. I. omnes & singulos Clericorum Ordines enumerans, quos in majore Ecclesia Constantinopolitana sacro ministerio fungi debere decernit,

cernit, ait: *Sancimus non ultra ſexaginta Presbyteros in ſanctiſſima majore Eccefia eſſe, Diaconos autem maſculos centum, & quadraginta fœminas, Subdiaconos autem nonaginta, Lectores autem centum & decem, Cantores viginti quinque, ita ut ſit omnis numerus reverendiſſimorum Clericorum Sanctiſſimæ majoris Eccleſiæ, in quadringentis viginti quinque: & inſuper centum exiſtentibus iis qui vocantur Oſtiarii.* Et novella CXXIII. Cap. XIX. *Presbyteros autem, & Diaconos, & Subdiaconos, Cantores & Lectores, quos omnes Clericos appellamus, res quolibet modo ad eorum dominium venientes, habere ſub ſua poteſtate præcipimus.*

412. Opponunt adversarii S. Ignatium M. qui in Epist. ad Antiochenos ait: *Saluto Sanctum Presbyterium - - Diaconos - - Subdiaconos - - Lectores, Cantores, Oſtiarios, Laborantes, Exorciſtas, Confeſſores - - Janitrices - - Virgines - - Viduas.* Et Laodicenum Concilium Can. XXIV. *Quoniam non oportet altari deſervientes, a Presbyteris uſque ad Diaconos, & deinceps ordinis Eccleſiaſtici omnes, uſque ad miniſtros, aut pſaltes, aut exorciſtas, aut oſtiarios, aut etiam eos qui in propoſito continentiæ ſunt, tabernas intrare.* Item Gabrielem Philadelphiensem, qui in Lib. de Sacramento Ordinis testatur, septem in Ecclesia Græca eſse Ordines: & Simeonem Theſsalonicensem, qui apud Goarium ait, Acolythorum ordinationem paulo ante in usu fuiſse in Ecclesia Theſsalonicensi. Verum ad hæc momenta facile responderi potest. Epistola ad Antiochenos est supposititia, & ab eruditis Ignatio paſsim abjudicatur. Vide quæ de Ignatii Epostolis diximus Tomo I. Num. 143. Exorcistæ & Ostiarii, quorum meminit Laodicena Synodus Can. citato, non fuerunt per actionem sacram, distinctam ac peculiarem ordinati, pluresque eorum, qui officium quodlibet, sive ministerium Ecclesiasticum, juſsu Episcopi aut Presbyteri, a Clerico quolibet, quin & interdum a laico ad tempus susceptum, Ordinem vocabant, ut testatur Balsamon apud Goarium pag. 370. *Offi-*

cia Ecclesiastica abusive gradus vocantur; est enim proprie gradus Sacerdotum, Diaconorum, Subdiaconorum, & Lectorum: officia autem sunt honores, & victus subministrationes. Gabriel Philadelphiensis, junior est scriptor, quam ut possit auctoritate sua infringere, quæ ex antiquissimis Græcorum Euchologiis, ex Sardicensi ac Constantinopolitana IV. Synodo, atque ex Novellis Justiniani attulimus. Simeonem quod attinet, vera is fortasse scripsit. Cum enim Thessalonicensis Ecclesia ad sæculum usque VIII. pertinuerit ad Romanum Patriarchatum, atque ab eo primum avulsa fuerit a Leone Isaurico Imperatore Iconomacho, mirum non est, diu viguisse in illa Ecclesiæ Romanæ disciplinam ordinandi Acolythos. Quod si dicas, saltem præter quatuor illos, alium apud Græcos fuisse Ordinem, nempe Cantorum. Resp. Cantorum Ordinem distinctum non fuisse ab Ordine Lectorum, ut patet ex iis quæ in Euchologio Græcorum dicuntur de Ordinatione Lectoris, ubi hic titulus præfigitur: *Ordo, qui observari solet in Ordinatione Lectoris & Psaltis.*

413. Equidem Benedictus XIV. Tomo I. Bullarii, Constitut. LVII. *Etsi Pastoralis*, Paragr. VII. Num. VII. statuit, ut Clericus Græcus, Lector tantum institutus, si a Sede Apostolica facultatem obtineat ritu Latino ad majores Ordines ascendendi, *Antequam Subdiaconus ordinetur, tres minores Ordines omissos debeat ritu Latino suscipere. Si vero præter Lectoris Ordinem ad Subdiaconatum etiam ritu Græco ascendit, & ex dispensatione itidem Apostolica facultas sibi facta sit cæteros Ordines ritu Latino suscipiendi, antequam inter Diaconos cooptetur, ex minoribus Ordinibus Exorcistatum tatummodo supplere cogitur, cum per Subdiaconatum Græco ritu collatum, Acolythatum & Ostiariatum recepisse censeatur.* At ex eo non evincitur, Acolythatum & Ostiariatum per veram ac distinctam Ordinationem ac consecrationem a Græcis Episcopis conferri, adhibita peculiari materia ac forma utriusque Ordinis, sicut Latina Ecclesia in more positum habet.

414.

Protestantium errores circa sacram Ordinationem.

414. Sacram illam cæremoniam, eam præcipue qua Presbyteri inaugurantur, verum esse novæ Legis Sacramentum, constans fuit non modo Ecclesiæ Catholicæ, verum etiam omnium populorum qui Christiani appellabantur persuasio, jam inde a primis temporibus ad sæculum usque XVI. quo Lutherani errores maxime ab odio Clericalis Ordinis, & turpi erga Laicos assentatione prodierunt, Primus itaque omnium Lutherus Sacramentum Ordinis veræ Christi Ecclesiæ incognitum fuisse, novumque esse Papisticæ synagogogæ commentum impudentissime effutiit Lib. de Capt. Babyl. Philippus Melanchton in Apologia Confess. Augustanæ, Artic. XIII. admittit deputationem ministrorum ad prædicandum Evangelium tanquam verum Sacramentum: at vero sacram illam actionem, qua Sacerdotes & Ministri Ecclesiæ inaugurantur, humanum esse commentum, ideoque e Sacramentorum numero expungendam pronuntiat: qua in re consentientem habuit Calvinum Lib. IV. Institut. Cap. X. Protestantes, qui Lutheri aut Calvini errores sectantur, sacram Ordinationem contemnunt, nullamque distinctionem Clericorum aut Laicorum admittunt, sed omnes æqualiter Sacerdotes & Evangelii ministros esse contendunt: aut si qua distinctio inter eos stantuenda sit, eam ex hominum æstimatione & arbitrio pendere autumant; adeo ut plebei, & quivis e trivio homines, statim atque populus jusserit; Sacerdotes evadant, & ad ejus nutum in ordinem laicorum redigantur. Qua in re veterum quorumdam hæreticorum mores ac instituta imitantur, quos Tertullianus Lib. de Præscript. Cap. XLI. insectatur: *Ordinationes eorum temerariæ, leves, inconstantes: nunc Neophytos conlocant, nunc sæculo obstrictos, nunc Apostatas nostros, ut gloria eos obligent, quia veritate non possunt. Nusquam facilius proficitur quam in castris rebellium, ubi ipsum esse illic, promereri est. Itaque alius hodie Episcopus, cras alius: hodie Diaconus, qui cras Lector: hodie Presbyter, qui cras laicus. Nam & laicis Sacerdotalia munia injungunt.*

Aliquam saltem Ministrorum Ecclesiæ Ordinationem, verum esse N. L. Sacramentum ostenditur ex Scripturis.

415. Conclusio. Aliqua saltem Ordinatio, qua sacri inaugurantur Ministri, est verum ac proprie dictum novæ Legis Sacramentum. Prob. Conclusio hæc dogmatica Imo argumento in Scripturis fundato. Ad Sacramentum vere ac proprie tale, juxta ipsos etiam adversarios, requiritur & sufficit, ut sit signum externum, a Deo permanenter institutum, adnexam habens promifsionem gratiæ, & divinum mandatum externum illud signum usurpandi. Atqui tale signum est aliqua saltem Ordinatio, qua sacri inaugurantur Ministri. Ergo aliqua saltem Ordinatio, qua sacri inaugurantur Ministri, est vere ac proprie dictum novæ Legis Sacramentum. P. min. Nam I. Ordinatio est signum externum & sensibile, quia fit per impositionem manuum & traditionem instrumentorum, certis quibusdam adhibitis verbis, quibus potestas ordinato collata exprimitur. II. Est signum a Deo institutum. Ut enim Apostolus scribit ad Ephes. Cap. IV. *Ipse* (Christus) *dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios vero Evangelistas, alios autem Pastores & Doctores, ad consummationem Sanctorum in opus ministerii, in ædificationem corporis Christi.* Ubi *Pastorum* nomine intelliguntur saltem Episcopi & Presbyteri. III. Signum hoc institutum est a Deo permanenter, ut ostendit perpetua ac numquam interrupta praxis Ecclesiæ, ac succefsio Pastorum ab Apostolis ad nostra usque tempora, atque ipsa sana ratio id suadet; quia Christus concedens Apostolis potestatem Eucharistiam consecrandi, & fideles a peccatis absolvendi, Ecclesiæ per eos fundandæ atque ædificandæ in perpetuum provisum efse voluit. IV. Habet adnexam promifsionem gratiæ. I. ad Timoth. Cap. IV. *Noli negligere gratiam, quæ in te est, quæ data est tibi per prophetiam, cum impositione manuum Presbyterii.* Et II. ad Timoth. Cap. I. *Admoneo te, ut resuscites gratiam Dei, quæ in te est per impositionem manuum mearum.* V. Habet mandatum Dei ordinandi certo ritu Ministros. Actuum Cap. XIII. dicitur: *Ministrantibus autem illis Domino, & jejunan-*

junantibus, *dixit illis Spiritus Sanctus: Segregate mihi Saulum & Barnabam, in opus ad quod aſſupſi eos. Tunc jejunantes, & orantes, imponentesque eis manus dimiſerunt illos.* Et Cap. XIV. *Cum conſtituiſſent* (Paulus & Barnabas) *illis per ſingulas Eccleſias Presbyteros, & oraſſent cum jejunationibus, commendaverunt eos Domino, in quem crediderunt.* Actuum Cap. VI. *Hos* (septem Diaconos) *ſtatuerunt ante conſpectum Apoſtolorum: & orantes impoſuerunt eis manus.* Ad Titum Cap. I. scribit Apostolus: *Hujus rei gratia reliqui te Cretæ, ut ea quæ deſunt corrigas, & conſtituas per civitates Presbyteros, ſicut & ego diſpoſui tibi.* Apostoli autem minime ausi fuiſsent ministros Ecclesiæ propria auctoritate constituere, & potestatem sibi arrogare conferendi gratiam per impositionem manuum suarum, nisi Christus hanc eis potestatem dediſset, & ritum hunc usurpari præcepiſset.

416. Prob. II. Auctoritate Patrum, qui Ordinationem vocant Sacramentum, ajuntque gratiam per illam conferri, atque a Deo institutam fuiſse. S. Ignatius M. Epist. ad Smyrneos scribit: *Omnes Epiſcopum ſequimini, ut Chriſtus Patrem, & Presbyterorum Collegium, ut Apoſtolos: Diaconos revereamini, ut ex Dei præcepto miniſtrantes.* S. Gregor. Nyssenus Orat. in Bapt. Christi: *Verbi Chriſti vis, Sacerdotem auguſtum & honorandum facit novitate benedictionis a communitate vulgi ſegregatum: cum enim heri ac tempore ſuperiori unus e multitudine ac plebe eſſet, repente redditur præceptor, præſes, - - - eaque contingunt ei, cum nihil vel corpore vel forma mutatus ſit; ſed quod ad ſpeciem externam attinet, ille ſit qui erat, inviſibili quadam vi ac gratia inviſibilem animam in melius transformatam gerens.* S. Joan. Chrysostomus Lib. III. de Sacerdotio; *Sacerdotium ipſum in terra quidem peragitur; ſed in rerum cœleſtium claſſem ordinemque referendum eſt: atque id perquam merito.* S. Augustinus Lib. II. contra Epist. Parmeniani, Cap. XIII. probat contra Donatistas amitti non poſse Ordinem, sicut nec Baptismum: *Ipſi*

Patribus.

(Do-

(Donatistæ) *explicent, quomodo Sacramentum baptizati non possit amitti, & Sacramentum ordinati possit amitti. --- Si enim utrumque Sacramentum est, quod nemo dubitat; cur illud non amittitur, & illud amittitur? Neutri Sacramento injuria facienda est.* Et Lib. de Bono conjugali, Cap. XXIV. *Quemadmodum si fiat ordinatio Cleri ad plebem congregandam, etiamsi plebis congregatio non subsequatur, manet tamen in illis ordinatis Sacramentum Ordinationis; & si aliqua culpa quisquam ab officio removeatur, Sacramento Domini semel imposito non carebit, quamvis ad judicium permanente.* S. Leo M. Epist. XI. alias LXXXI. ad Dioscorum Alexandrinum, Cap. I. præscribens modum & tempus conferendi ac suscipiendi Ordinationem a jejunis, docet istud ex traditione Apostolica descendere: *Ut intelligamus, quanta & dantium & accipientium devotione curandum sit, ne tantæ benedictionis Sacramentum negligenter videatur impletum.* S. Anastasius II. Papa Epist. I. ad Anastasium Augustum, Cap. VII. *Sacratissimum Serenitatis tuæ pectus agnoscat, quod nullum de his, vel quos baptizavit Acacius, vel quos Sacerdotes sive Levitas secundum Canones ordinavit, ulla eos ex nomine Acacii portio læsionis attingat, quo forsitan per iniquum tradita Sacramenti gratia, minus firma videatur.* S. Gregorius M. aut quiscunque alius pervetus Author Expositionis in Lib. I. Regum, Lib. III. Cap. V. *Is qui promovetur, bene foris ungitur, si intus virtute Sacramenti roboretur.*

417. Prob. III. Auctoritate Conciliorum. Florentinum in Decreto pro Armenis ait: *Sextum Sacramentum est Ordinis.* Tridentinum Sefs. XXIII. Cap. III. ait: *Cum Scripturæ testimonio, Apostolica traditione, & Patrum unanimi consensu perspicuum sit, per sacram Ordinationem, quæ verbis & signis exterioribus perficitur, gratiam conferri; dubitare nemo debet, Ordinem esse vere & proprie unum ex septem sanctæ Ecclesiæ Sacramentis.* Et Can. III. *Siquis dixerit, Ordinem, sive sacram Ordinationem non esse vere & proprie Sacramentum, a Christo Domino institutum, vel esse figmentum*

quod-

quoddam humanum, excogitatum a viris rerum Ecclesiasticarum imperitis, aut esse tantum ritum quemdam eligendi ministros verbi Dei & Sacramentorum; anathema sit. Can. IV. *Siquis dixerit, per sacram Ordinationem non dari Spiritum Sanctum, ac proinde frustra Episcopos dicere, Accipe Spiritum Sanctum; aut per eam non imprimi characterem; vel eum, qui Sacerdos semel fuit, laicum rursus fieri posse; anathema sit.* Neque mirandum est, quod vetustiora Conciliorum Decreta hic a nobis non proferantur; cum nullus hæreticorum ante Lutherum negaverit, sacram Ordinationem verum esse novæ Legis Sacramentum: ideoque Conciliis nulla fuerit imposita necessitas id definiendi quod a nemine negabatur.

Atque argumento præscriptionis.

418. Prob. IV. Argumento præscriptionis. Ecclesia tam Latina quam Græca, etiam ea quæ schismate a nobis divisa est: item Nestoriani, Jacobitæ, Copti, Armeni, Æthiopes, & quotquot Christiano nomine gloriantur, semper professi sunt atque etiamnum profitentur, Ordinationem sacram verum esse novæ Legis Sacramentum, ut patet ex omnibus eorum Euchologiis tam antiquis quam recentioribus, ex responsione Jeremiæ CPolitani ad Theologos Würtembergenses, ex Synodis CPolitanis sub Cyrillo, Parthenio, Dionysio, ac Jerosolymitana sub Dositheo: item ex Gabriele Philadelphiensi, Meletio Alexandrino, Gregorio Protosyncello, Meletio Syrigo, Petro Mogila &c. Ergo doctrina vere Apostolica ac divina est, Ordinationem sacram esse verum ac proprium novæ Legis Sacramentum.

Quamvis non omnibus ordinationibus ratio Sacramenti conveniat.

419. Dixi in Conclusione, *aliquam* saltem Ordinationem sacram esse verum novæ Legis Sacramentum. Quod enim omnibus Ordinationibus ratio Sacramenti non conveniat, nimirum Subdiaconatui ac minoribus Ordinibus, plurimi ex ipsis Catholicis ultro concedunt. De Episcopatu multi dubitant, an sit Sacramentum a Sacerdotio distinctum; de Diaconatu paucissimi ac vix aliqui: de Presbyteratu nullus. Et sane siqua Ordinatio est vere ac proprie novæ Legis Sacramentum, quod paulo ante invicte ostendimus,

ea

ea certe est Ordinatio Presbyteri; cum per eam maxima potestas, eaque supernaturalis, nempe consecrandi Eucharistiam, & pœnitentes subditos absolvendi a peccatis, Sacerdotibus conferatur.

Protestantium exceptiones.

420. Dices I. Illa manuum impositio, cujus mentio fit in Scripturis novi Testamenti, non erat signum Sacramentale, sed ritus quidam ab Apostolis usurpari solitus dum pro aliquo orabant, vel quando infirmitates corporis curabant, juxta illud Marci Cap. XVI. *Super ægros manus imponent, & bene habebunt.* II. Gratia illa quæ data fuit Timotheo per impositionem manuum Pauli, non fuit gratia sanctificans, sed gratis data, nempe donum miraculorum, linguarum, prophetiæ ac doctrinæ. Ergo ex illo loco Apostoli nihil evincitur. P. A. Apostolus ipse eam gratiam non vocat Χαριν, quæ vox gratiam sanctificantem plerumque sonat; sed Χαρισμα, quo vocabulo gratiæ gratis datæ designantur: aitque datam fuiſse per prophetiam, seu quod idem est, in prophetiam, vel in utilitatem aliorum. Quin ipsi etiam Patres in Caput IV. I^mæ^ ad Timotheum, gratiam hanc interpretantur donum prædicendi futura: & S. Joan. Chrysostomus Hom. XIII. in eumdem locum, per gratiam illam intelligit auctoritatem docendi. III. Scriptura nullibi memorat institutum fuiſse a Christo Ordinem Presbyteratus; neque tempus aliquod hujus institutionis a nobis statui potest. IV. Christus in ultima Cœna manus non imposuit Apostolis. Ergo eos non constituit Sacerdotes. V. Ordinatio, si quam Apostoli perceperunt a Christo, non erat Sacramentalis. Ergo neque Ordinatio, quam Apostoli aliis dein contulerunt, fuit vere Sacramentalis. VI. Ordinatio in veteri Ecclesia nihil aliud fuit quam mera deputatio ad sacrum ministerium: in Vita enim S. Gregorii Neocæsariensis refert S. Gregorius Nyssenus, ipsum tridui itinere diſsitum, a Phædimo Amasacensium Episcopo consecratum fuiſse Neocæsariensis civitatis Episcopum.

421.

421. At facili negotio hæc Adversariorum argumenta subruuntur. Ad I. itaque Resp. N. A. Manuum impositionem, ab Apostolis in consecrandis ministris usurpatam, verum fuiſse Sacramentum, manifestum est tum ex eo, quod adnexam illi fuiſse gratiam ex Scripturis constet; tum quia in illo Apostoli testimonio I. ad Timoth. Cap. V. *Manus cito nemini impoſueris, neque communicaveris peccatis alienis*, exponi non potest illa manus impositio de oratione, sed tantum de cæremonia sacra, qua Ecclesiæ ministri ordinantur: non enim communicat peccatis alienis qui orat pro alio, licet indigno, sed qui indignum ordinat. Ad II. N. A. Apostolus, posteaquam II. ad Timoth. Cap. I. dixerat: *Admoneo te, ut reſuſcites gratiam Dei, quæ eſt in te per impoſitionem manuum mearum*, illico explicat gratiam illam, & subjungit: *Non enim dedit nobis Deus ſpiritum timoris; ſed virtutis, & dilectionis, & ſobrietatis.* Ubi spiritus dilectionis certe gratiam sanctificantem denotat, tamquam principium & fontem amoris nostri erga Deum propter se, atque erga proximum propter Deum. Ad *prob.* Resp. per το Χαϱισμα non tantum gratias gratis datas, sed etiam gratiam sanctificantem denotari, atque hoc sensu sæpius Apostolum usum fuiſse hoc vocabulo, ut v. g. ad Rom. Cap. V. *Sed non ſicut delictum, ita & donum.* (in Græco textu dicitur Χαϱισμα) *Si enim unius delicto multi mortui ſunt: multo magis gratia Dei & donum in gratia unius hominis Jeſu Chriſti in plures abundavit.* Et I. ad Cor. Cap. XII. *Æmulamini autem chariſmata meliora. Et adhuc excellentiorem viam vobis demonſtro. Si linguis hominum loquar, & Angelorum, charitatem autem non habeam &c.* Ubi vides charitatem, seu gratiam sanctificantem vocari a B. Paulo charisma excellentius. I. ad Timoth. Cap. IV. ait Apostolus gratiam illam datam fuiſse *per prophetiam;* at hoc nomine probabilius non intelligit effectum productum per impositionem manuum, sed causam impellentem ac moventem, sive revelationem sibi factam de ordinando Timotheo, juxta il-

A Catholicis facile eliduntur.

lud I. ad Timoth. Cap. I. v. 18. *Hoc præceptum commendo tibi fili Timothee, secundum præcedentes in te prophetias, ut milites in illis bonam militiam.* Et quamvis daretur, concessum fuisse Timotheo donum prophetiæ in sua Ordinatione, ad utilitatem aliorum; minime tamen sequitur, datam ei etiam non fuisse gratiam sanctificantem, seu spiritum dilectionis, cum utraque gratia recte simul conciliari queat. Eadem responsio datur ad auctoritatem Chrysostomi & Hieronymi, qui gratiam sanctificantem non excludunt, sed de gratiis gratis datis potius loquuntur, tamquam de effectu hujus Sacramenti notiore, qui ex Gratia sanctificante collata in Ordinatione tamquam fructus ex radice pullulabat. Ad III. N. A. Presbyteratus fuit a Christo institutus in ultima Cœna, cum nempe Apostolis suis eorumque in Sacerdotio successoribus dedit potestatem consecrandi corporis sui verbis illis Lucæ Cap. XXII. *Hoc facite in meam commemorationem*, uti semper Catholica intellexit & docuit Ecclesia: alteram vero partem potestatis Sacerdotalis, quæ in dimittendis peccatis versatur, iisdem post Resurrectionem suam Christus concessit, quando Joan. Cap. XX. dixit: *Accipite Spiritum Sanctum. Quorum remiseritis peccata remittuntur eis.* Ad IV. Resp. Ex silentio Scripturarum legitime inferri nequit, Christum non imposuisse manus Apostolis; cum non omnia in Scripturis contineantur, quæ Christus egit. Verum quidquid sit de veritate Antecedentis, optimo jure N. Conseq. Christus sine impositione manuum potuit Apostolis Presbyteratum conferre, quia potestatem excellentiæ habebat, quæ non erat alligata signis exterioribus, sicut potestas Ecclesiæ. Ad V. N. C. Christus Apostolis potestatem concessit ordinandi, consecrandi, & remittendi peccata, ita signis exterioribus alligatam, ut non nisi illis adhibitis ministros Ecclesiæ Ordinare, Eucharistiam conficere, ac peccatores cum Deo reconciliare, gratiamque possent conferre. Quamvis vero Apostolorum Ordinatio, a Christo facta, Sacramentalis non

fuisset;

fuisset; nihilo tamen minus effectus omnes Sacramentalis Ordinationis illa habuisset: sicut in die Pentecostes gratiam corroborantem datam fuisse Apostolis non ambigitur, quamvis ipsum Confirmationis Sacramentum eis non fuerit administratum. Ad VI. N. A. Ex ea narratione id solummodo infertur, S. Gregorium Thaumaturgum tunc absentem, electum fuisse Episcopum a Phœdimo, ac postea præsentem fuisse consecratum. Scribit enim loco cit. S. Gregorius Nyssenus, S. Gregorium Thaumaturgum non obiisse Episcopale officium, nisi *omnibus post hæc, quæ fieri solent, legitimis, seu solemnibus in eo peractis.*

Ordinationem Episcopi verum esse Sacramentum a Presbyteratu distinctum, evincitur ex Scripturis.

422. Quæres I. An Ordinatio Episcopi sit verum ac proprie dictum Sacramentum? Resp. Episcopatum, quatenus includit potestatem & jus conferendi Ordines, & alia hierarchica officia exercendi, probabilius peculiarem esse Ordinem a Presbyteratu distinctum, verum ac proprie dictum novæ Legis Sacramentum, & diversum imprimere characterem. Prob. assertio I^{mo}. In Ordinatione Episcopali nihil deest eorum, quæ requiruntur ad verum & proprie dictum Sacramentum; hæc enim habet signum sensibile nempe impositionem manuum Episcopalium, traditionem instrumentorum, certamque formam: est juris divini sive a Deo instituta. Act. Cap. XX. *Attendite vobis, & universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei:* confert augmentum gratiæ sanctificantis, ac jus ad actualia auxilia, ut digne peragantur munia Episcopalia, quemadmodum patet ex Apostolo I. ad Timoth. Cap. IV. *Noli negligere gratiam, quæ in te est, quæ data est tibi per impositionem manuum Presbyterii.* Et II. ad Timoth. Cap. I. *Admoneo te, ut resuscites gratiam Dei, quæ in te est per impositionem manuum mearum.* Ubi Apostolus loquitur de Ordinatione Episcopali, ut Patres docent. Ergo Ordinatio Episcopalis est vere ac proprie Sacramentum, & Ordo a Presbyteratu distinctus.

Et Patribus.

423. Prob. II. Auctoritate Patrum & Scriptorum Ecclesiasticorum. Clemens Alexandrinus Lib.

VI. Stromatum ait, in Ecclesia *esse progressiones Episcoporum, Presbyterorum, Diaconorum, quæ sunt imitationes gloriæ Angelicæ, & illius œconomiæ ac dispensationis.* S. Epiphanius Hær. LXXV. refellens Aërium, qui Episcopos cum Presbyteris confundebat, Ordinem Presbyteratus distinguit ab Ordine Episcopali. *Episcoporum Ordo,* inquit, *ad gignendos patres præcipue pertinet; hujus enim est patrum in Ecclesia propagatio. Alter* (nempe Ordo Presbyterorum) *cum patres non possit, filios Ecclesiæ regenerationis lotione producit; non tamen patres aut magistros.* S. Leo M. Epist. LXXXIV. ad Anastasium Thessalonicensem, Cap. IV. Subdiaconatus Ordinem vocat quartum a capite: *Si in hoc ordine, qui quartus est a capite, dignum est custodiri; quanto magis in primo, aut secundo, vel tertio servandum est, ne aut Levitico aut Presbyterali honore, aut Episcopali excellentia quisquam idoneus æstimetur, qui se a voluptate uxoria necdum frænasse dignoscitur.* Ergo juxta S. Leonem primus Ordo est Episcoporum, secundus vero Presbyterorum, ideoque diversi sunt. Idem Epist. LXXXVII. ad Episcopos Mauritaniæ Ordinationem Episcopalem diserte vocat *Sacramentum,* cui injuriam irrogari ait, bigamum ordinando Episcopum. Theodoretus Lib. IV. Hist. Eccles. Cap. XXI. refert, Mosen quemdam designatum Saracenorum Episcopum Sæculo IV. adduci non potuisse, ut a Lucio Ariano Episcopo in Alexandrinam Cathedram intruso, Episcopus ordinaretur; cujus rei hanc reddidit rationem: *Absit, ut tua manus me consecret: nam tua invocatione Spiritus Sancti gratia in neminem descendit.*

Ex Tridentino.

124. Prob. III. Auctoritate Tridentini, quod Sess. XXIII. Can. IV. anathema dicit illi, qui dixerit frustra Episcopos in Ordinatione dicere, *Accipe Spiritum Sanctum.* Ergo etiam in Ordinatione Episcopali cum Episcopus consecrator dicat promovendo in Episcopum, *Accipe Spiritum Sanctum,* confert illi gratiam sanctificantem, ideoque verum ac proprium conficit Sacramentum. Atque hoc ipso argumento utuntur

tur adversæ sententiæ Theologi, ut evincant Ordinationem Diaconi esse verum Sacramentum.

425. Prob. IV. Ratione Theologica. Consecratio Episcopalis imprimit characterem distinctum a Presbyterali, ac proprium. Ergo est verum Sacramentum, cum sola Sacramenta vim habeant imprimendi characterem. P. A. Illa Ordinatio imprimit distinctum ac proprium characterem, quæ confert ordinato potestatem spiritualem indelebilem. Atqui Ordinatio Episcopi confert ordinato potestatem spiritualem ordinandi ministros Ecclesiæ, & Sacramentum Confirmetionis dispensandi, quam nulla alia Ordinatio confert: atque hæc potestas est indebilis, quæ nec depositione, nec degradatione, nec hæresi, nec ulla denique jurisdictionis suspensione auferri potest. Ergo Ordinatio Episcopi distinctum ac proprium ordinato imprimit characterem. Adde, quod nulla prorsus sit ratio, cur Ordinatio Episcopalis extendat solummodo characterem Presbyteratus, & non potius novum imprimat. Præterea si Presbytero & Diacono ad exercendas suorum Ordinum proprias functiones, immo ipsis etiam conjugatis ad ferenda onera matrimonii necessaria est gratia peculiaris: multo magis ea indiget Episcopus, propter majorem officii sui excellentiam & difficultatem.

Ac ratione Theologica

426. Dices I. Juxta communissimam Theologorum sententiam septem dantur Ordines, quos Tridentinum recenset Sess. XXIII. Cap. II. omisso Episcopatu. II. Ordinum distinctio ac varietas repetitur ex habitudine quam habent ad consecrationem, vel dispensationem Eucharistiæ. Atqui hæc est eadem in Presbytero quæ in Episcopo. III. Si Episcopatus est Sacramentum, poterit quis valide inaugurari Episcopus ante susceptum Presbyteratus Ordinem. Atqui talis inauguratio juxta omnes foret invalida. P. M. Subdiaconus potest per saltum valide, quamvis illicite, ordinari Presbyter, omisso etiam Diaconatu. Ergo etiam a pari. IV. Episcopalis character neque esset superior charactere Sacerdotali, quia nulla datur

Adversariorum argumenta diluuntur.

tur potestas sublimior potestate conficiendi Eucharistiam: neque esset inferior, quia Episcopatus est apex Sacerdotii. Resp. ad I. Si Ordines sumantur relate ad Eucharitiam, prouti loco cit. sumuntur a Tridentina Synodo, plures non sunt quam septem; quia Ordinum sic sumptorum supremus, est potestas consecrandi Eucharistiam, quam æque habent Presbyteri ac Episcopi. Si vero sumantur relate ad subjecta Ordinum, non septem amplius sed octo erunt Ordines: Sacerdotium enim, ratione subjectorum illud inæqualiter participantium, in duos gradus recte dividitur, quorum uterque sub eodem genere continetur. Inferior species, sive Sacerdotium minus solam includit potestatem conficiendi Eucharistiam, & dicitur Presbyteratus: superior species, præter potestatem conficiendi Eucharistiam, involvit etiam potestatem ordinandi ministros, sive hanc ipsam potestatem conficiendi Eucharistiam aliis etiam communicandi, diciturque Sacerdotium majus, sive Episcopatus. Similem responsionem dare coguntur ipsi adversarii. Objicientibus enim, si tres Ordines majores sunt Sacramenta, non septem tantum, ut Catholica docet Ecclesia, sed omnino novem dari Evangelicæ Legis Sacramenta; reponere aliud nec possunt, nec debent, quam septem tantum dari species Sacramentorum: tres autem majores Ordines esse tantum tres diversas species infimas Sacramenti Ordinis; ideoque novem dari Sacramenta in specie infima, septem vero tantum in specie superiori. Ad II. Resp. I. N. M. Ordinum distinctio ac varietas non tantum repeti debet ex habitudine quam habent consecrandi Eucharistiam, sed etiam ex habitudine ad diversa ministeria Ecclesiastica: Sacerdotium autem majus, præter potestatem conficiendi Eucharistiam, dicit etiam potestatem ordinandi, chrisma conficiendi, ac fideles confirmandi. Resp. II. Episcopatus involvit etiam specialem habitudinem, indirectam & remotam, ad Eucharistiam, quatenus scilicet dat jus & potestatem ordinandi Sacerdotes, qui eam consecrant ac perficiunt.

ciunt. Ad III. N. M. Cum enim Ordinatio Episcopalis sit Sacramentum, quo quis ex Sacerdote simplici fit summus Sacerdos, non potest quis in Episcopum valide consecrari, qui prius non fuerit Sacerdos ordinatus; quia character Episcopalis pendet a Sacerdotali, tamquam a præsupposito necessario & essentiali: per se enim atque ex essentia sua prius est esse Sacerdotem, quam ordinari posse summum Sacerdotem, sive Episcopum. Ex quo etiam sequitur, neminem posse per unam eamdemque Ordinationem Episcopalem fieri simul Sacerdotem & Episcopum; quia ordinatio Episcopalis & Presbyteralis sunt duo Sacramenta distincta, quæ proinde effectus distinctos producunt. Ad *probat.* C. A. N. C. Diaconatus non est pars essentialis Presbyteratus, in quo eminenter tantum & virtualiter continetur, ideoque ad Presbyteratum non requiritur nisi per accidens, & ex præscripto Ecclesiæ, ut quis licite Presbyter ordinari possit: at vero Presbyteratus est pars essentialis Episcopatus, in quo formaliter continetur tamquam pars illius; non enim potest esse, aut mente concipi Episcopus sine Sacerdotio, cum Episcopatus sit summum Sacerdotium, vel apex Sacerdotii, ideoque in suo conceptu Presbyteratum involvat. Ad IV. Resp. Episcopalem characterem adæquate sumptum, perfectiorem esse Presbyterali, quia ad plura se extendit, & Presbyteralem includit. Quod si vero inadæquate sumatur pro ea sui parte, quam imprimit Ordinatio Episcopalis, intensive minus perfectus est Presbyterali, quia potestas consecrandi Eucharistiam est omnium summa ac præstantissima; extensive tamen perfectior est Presbyterali, quia ad plura se extendit.

Ad licentiam Ordinationis Episcopalis, jure Ecclesiastico, tres requiruntur Episcopi.

427. Quæres II. Quot Episcopi requirantur ad Ordinationem Episcopalem? Resp. ad licentiam jure Ecclesiastico requiruntur tres Episcopi; non tamen ad valorem, si accedat Summi Pontificis dispensatio: immo etiam citra illius dispensationem. Prob. Ima pars assertionis Imo Auctoritate Canonum & Concilio-

rum.

rum. Canon I. eorum qui Apostolici dicuntur, antiqui nihilominus, quamvis non ab Apostolis sanciti, ita statuit: *Episcopus a duobus vel tribus Episcopis ordinetur.* Arelatense I. A. 814. Can. XX. *De his qui usurpant sibi, quod soli debeant Episcopos ordinare, placuit ut nullus hoc sibi præsumat, nisi aßumptis secum aliis septem Episcopis: si tamen non potuerit septem, infra tres non audeat ordinare.* Nicenum I. Can. IV. *Episcopum convenit maxime quidem ab omnibus, qui sunt in provincia Episcopis ordinari. Si autem hoc difficile fuerit, aut propter instantem necessitatem, aut propter itineris longitudinem; tribus tamen omnimodis in id ipsum convenientibus, tunc ordinatio celebretur. Firmitas tamen eorum quæ geruntur, per unamquamque provinciam Metropolitano tribuatur Episcopo.* Antiochenum A. 341. Can. XIX. & Sardicense A. 347. Can. V. optant, ut omnes provinciæ Antistites intersint Ordinationi comprovincialis sui, aut saltem plures adesse Episcopos. Carthaginense II. A. 390. Can. XII. *Placet omnibus, ut inconsulto Primate cujuslibet provinciæ, tam facile nemo præsumat, licet cum multis Episcopis in quocunque loco, sine ejus, ut dictum est, præcepto Episcopum ordinare. Si autem necessitas fuerit, tres Episcopi, in quocunque loco sint, cum Primatis præcepto ordinare debeant Episcopum.* Carthaginense III. A. 397. Cap. XXXIX. *Forma antiqua servabitur, ut non minus quam tres sufficiant, qui fuerint a Metropolitano destinati ad Episcopum ordinandum.*

428. Prob. II. Auctoritate Patrum & Pontificum. Author Constitutionum Apostolicarum Lib. III. Cap. XX. ait: *Jubemus, ut a tribus Episcopis Episcopus ordinetur, & ut minimum a duobus, ita ut ab uno constitui non possit.* S. Cyprianus Epist, LXVIII, ad Plebes in Hispania consistentes: *Diligenter de traditione divina, & Apostolica observandum est & tenendum, quod apud nos quoque, & fere per provincias universas tenetur, ut ad ordinationes rite celebrandas, ad eam plebem, cui præpositus ordinatur, Episcopi ejusdem provinciæ proxi-*

proximi quique conveniant. S. Greg. M. in Respons. ad Interrogationes Augustini Cantuariensis, Cap. VIII. ait: *Cum igitur Deo auctore, ita fuerint Episcopi etiam in propinquis sibi locis ordinati, per omnia, Episcoporum Ordinatio sine aggregatis tribus vel quatuor Episcopis fieri non debet.* S. Greg. III. Epist. I. ad Bonifacium Moguntinum: *Quoties Episcopos consecraveris, duo vel tres conveniant tecum Episcopi, ut Deo sit gratum quod geritur, & eis convenientibus, ipsisque præsentibus consecres.*

Non tamen ad valorem, si accedat Rom. Pontificis dispensatio.

429. Prob. altera pars assertionis. Certum est, Romanos Pontifices sæpius dispensasse atque etiamnum dispensare, non modo in remotis Indiarum regnis, sed etiam in nostris regionibus, præcipue in Germania, quæ ob diœcesium amplitudinem paucos respective numerat Episcopos, ut Electus consecrari queat ab uno tantum Episcopo, assistentibus illi duobus aliis in dignitate Ecclesiastica constitutis, v. g. duobus Abbatibus. Ergo non modo probabilius, sed omnino practice certum est, consecrationem Episcopalem, ab uno tantum Episcopo factam, si accesserit Summi Pontificis dispensatio, esse ratam ac validam: secus tam petens quam concedens gravissime peccarent; quia tam ipsa Episcopalis consecratio, quam Ordinationes aliæ a tali Episcopo factæ, exponerentur periculo nullitatis.

Immo etiam citra illius dispensationem. Quod ostenditur auctoritate Ecclesiæ.

430 Prob. tertia pars assertionis 1mo Auctoritate Ecclesiæ, quæ consecrationem Episcopalem ab uno tantum vel duobus Episcopis factam, etiam citra dispensationem Summi Pontificis, ratam habuit. Theodoretus Hist. Eccles. Lib. V. Cap. XXIII. diserte testatur, Evagrium consecratum fuisse Episcopum Antiochenum a solo Paulino: nihilominus tamen Ordinationem hanc approbavit Latina Ecclesia, quæ in Synodo Romana & Capuana Evagrii causam discussit. Ipse S. Innocentius I. Epist. XIV. ad Bonifacium, Alexandrum legitimum Antiochenæ Ecclesiæ Episcopum agnovit, quibusdam præscriptis conditionibus, quarum una erat, ut eos qui ab Evagrio ordinati fuerant, ipse reciperet cum honoribus ac gradibus suis.

suis. Synesius Epist. LXVII. ad Theophilum narrat, Siderium a solo Philone Cyrenensi in Episcopum Palæbiscum contra leges Ecclesiæ ordinatum fuisse: ac nihilosecius pro vero eum habitum fuisse Episcopo ait a magno Athanasio, qui Siderium, majoribus regendis idoneum, Ptolomaidem commigrare jussit, ut Metropolitanæ illi Ecclesiæ præesset. Concilium Regense A. 439. Ordinationem Armentarii, qui a duobus tantum Episcopis, non expetitis comprovincialium litteris, & sine consensu Metropolitani, Ebredunensium Antistes consecratus fuerat, Can. II. tamquam Ecclesiæ legibus contrariam improbat, eumque Episcopali munere privat: nihilo secius tamen Can. V. ab ipso hactenus ordinatos, si vitæ inculpatæ fuerint, permittit in suis Ordinibus permanere; ipsum vero Armentarium jubet quidem in posterum a faciendis Ordinationibus abstinere, facta tamen illi potestate baptizatos confirmandi, ita *ut per omnia semper se inferiorem Episcopo, superiorem Presbytero agat.* Ergo Regenses Patres sentiebant, Ordinationem Episcopi, à duobus tantum Episcopis factam, esse quidem illicitam, validam tamen; alias ordinatos ab Armentario reordinari jussissent, nec ipsi Armentario concessum fuisset baptizatos confirmare.

S. Gregorii M.

431. Prob. II. singillatim Auctoritate S. Gregorii M. qui Lib. XII. Epist. XXXI. ad octavam Augustini Anglorum Episcopi interrogationem ita respondit: *Et quidem in Anglorum Ecclesia, in qua adhuc solus tu Episcopus inveniris, ordinare Episcopum non aliter nisi sine Episcopis potes. Nam quando de Galliis Episcopi venient, illi in Ordinationem Episcopi testes tibi assistent.* Ergo plures Episcopi non requiruntur ad valorem Ordinationis Episcopalis, sed tantum ad licentiam. Reponunt aliqui I^{mo} vitiatam esse hanc S. Gregorii lectionem, cum genuina ita sonet: *Ordinare Episcopos non aliter nisi cum Episcopis potes.* II. S. Gregorium hic dispensasse cum Augustino, ut ipse solus possit aliquos valide ac licite ad Episcopatum promovere sine assistentia aliorum Episcoporum. Verum-

rum Resp. ad I. N. A. Nostram lectionem exhibent plura manuscripta, pluresque editiones tam antiquæ quam recentiores, quas inter est etiam Maurina, eique aperte suffragantur tum verba subsequentia, tum præcedentia, *in qua adhuc ſolus tu Epiſcopus inveniris.* Ut quid enim hæc verba præmiſiſset Gregorius, si voluiſset Augustinum in Anglia Episcopos ordinare non poſse, aliis Episcopis non aſsistentibus? Lectioni huic fidem adstruit Ven. Beda, qui Lib. II. Hist. Angl. Cap. XXIII. narrat, Justum & Mellitum ab Augustino fuiſse Episcopos consecratos absque opera Gallicanorum Antistitum, & Laurentium similiter ab eodem inauguratum fuiſse absque præsentia Justi & & Melliti. Ad II. N. A. Quemadmodum Augustinus non petiit, ut secum dispensaretur, sed ut quid facto opus eſset, instrueretur: *Peto, ſi longinquitas itineris magna interiacet, ut Epiſcopi facile non poſſint convenire, an debet ſine aliorum Epiſcoporum præſentia Epiſcopus ordinari?* ita etiam S. Gregorius non dispensavit cum Augustino, ut valide poſsit, sed solum quid licite poſsit in casu neceſsitatis, declaravit. Quamvis autem in eadem Epistola præcipiat, ut extra casum neceſsitatis ad Ordinationem Episcopalem plures conveniant Episcopi; id tamen non exigit ad valorem Ordinationis, neque ad jus divinum recurrit, sed eas aſsignat causas, ex quibus præceptum solummodo Ecclesiasticum inferri potest: nempe ut hæc Ordinatio fiat cum majore solemnitate, & Episcoporum aſsistentium gratulatione, eorumque precibus adjuvari poſsit is qui ordinatur Episcopus. *Certe enim*, ait l. c. S. Gregorius, *dum conjugia in mundo celebrantur, conjugati quique convocantur, ut qui in via jam conjugii præceſserunt, in ſubſequenti quoque gaudio miſceantur. Cur non ergo in hac ſpirituali Ordinatione, qua per ſacrum myſterium homo Deo conjungitur, tales conveniant, qui vel in profectu ordinati Epiſcopi gaudeant, vel pro ejus cuſtodia omnipotenti Domino preces pariter fundant?*

432. Prob. III. Ratione. Quilibet Episcopus habet plenitudinem Sacerdotii; neque majorem habent po-

Ac ratione Theologica

potestatem Ordinis tres Episcopi simul sumpti, quam eorum quilibet. Ergo quemcunque Ordinem conferre pofsunt tres Episcopi, eumdem potest etiam unicus conferre; præcipue cum adversarii solide ostendere nequeant, Christum aliter statuifse; & Ordo Romanus ac Pontificale Romanum ex tribus Episcopis, qui Ordinationi Episcopali intersunt, unum tantum *Consecratorem*, duos alios vero perpetuo appellent *Afsistentes*. Altera ratio est, quia si ex divina institutione proflueret, ut sint tres qui unum Episcopum valide ordinent, Summus Pontifex non tam facile saltem, & sine urgente necefsitate pofset dispensare, ut Electus ab uno tantum Episcopo consecretur. Atqui hoc sæpe fit. Ergo. Neque videtur dici pofse, hanc efse Christi institutionem, ut ordinarie Episcopalis Ordinationis ministri sint tres Episcopi; extraordinarie autem ex commifsione vel dispensatione Pontificia unum sufficere: sicut minister ordinarius Confirmationis ex divina institutione est Episcopus, extraordinarius vero atque ex commifsione & dispensatione Romani Pontificis est simplex Sacerdos. Nam posterius hoc invictis rationibus ostenditur; at non prius illud: nec de voluntate ac intentione Christi ex eo judicandum est, quid fieri absolute potuerit, sed quid factum sit; quod ex Scriptura & traditione potifsimum colligitur.

433. Dices I. S. Cyprianus Epist. LXVIII. ad Clerum & Plebes in Hispaniis constitutas ait, de traditione divina & Apostolica observandum efse ut ad Ordinationem Episcopalem conveniant comprovinciales Episcopi. II. S. Anacletus Epist. II. scribit, Apostolos formam dedifse suis succefsoribus, *ut non minus quam a tribus Episcopis, reliquis omnibus afsensum præbentibus, nullatenus Episcopus ordinetur, & communi voto Ordinatio celebretur*. Idem repetit S. Anicetus in Epist. ad Episcopos Galliæ. S. Damasus Epist. V. de Chorepiscopis scribit: *Quod autem Episcopi non sint, qui minus quam a tribus sunt ordinati Episcopis, omnibus patet, quoniam ut bene nostis, prohibitum a Sanctis*

ctis

ctis est Patribus, ut qui ab uno vel a duobus sunt ordinati Episcopis, nec nominentur Episcopi; Si nomen non habent, qualiter officium habebunt? Idem dicitur in Epistola Joannis III. ad Episcopos Galliæ & Germaniæ. III. Concilium Regense A. 439. Can. II. ita de Ordinatione Armentarii Ebredunensis, a duobus Episcopis facta, pronuntiat: *Itaque Ordinationem, quam Canones irritam definiunt, nos quoque evacuandam esse censuimus: in qua prætermissa trium præsentia, nec expetitis comprovincialium litteris, Metropolitani voluntate quoque neglecta, prorsus nihil quod Episcopum faceret, ostensum est.* IV. Novatianus sæculo III. cum Romæ non inveniret tres, a quibus ordinaretur Episcopus, tres ex alia Italiæ provincia advocavit Episcopos, a quibus crapula oppressis ordinatus fuit, ut scribit S. Cornelius Papa Epist. ad Fabium Antiochenum, apud Eusebium Hist. Eccles. Lib. VI. Cap. XXXV. Ergo jam tum communis erat fidelium opinio, invalidam esse Ordinationem Episcopalem, quæ a tribus Episcopis facta non fuisset. Resp. ad I. verba illa, *Ex traditione divina, & Apostolica observatione*, non indicant jus ac præceptum divinum, sed exempla dumtaxat aliqua, in Scripturis expressa, electionis factæ, approbante & suffragium ferente populo & Clero; alias sequeretur, approbationem populi jure divino requiri ad valorem Ordinationis Episcopalis, quod utique adversarii non concedunt. Præterea non ea tantum quæ ad Sacramentorum essentiam, sed quæ etiam ad cæremonias pertinent, quandoque ex Apostolica traditione habemus, ut v. g. mixtionem áquæ cum vino, quando conficitur Eucharistia. Ad II. Resp. Epistolas illas Anacleti, Aniceti, Damasi, & Joannis III. supposititias esse. Et quamvis genuinæ forent, nil aliud sequeretur, quam Ordinationem Episcopalem, ab uno tantum vel duobus Episcopis factam, esse illicitam, sicque ordinatum privari in pœnam functionibus & honore sui Ordinis. Ad III. N. C. Regensis Synodus Armentarii Ordinationem, ut antea diximus, validam fuisse censuit, quia ab eo ordina-

tos

tos in Clero permisit remenere absque alia nova Ordinatione, ipsique Armentario facultatem concessit baptizatos confirmandi. Quare Ordinationem illius irritam & evacuandam pronuntiavit, quantum ad collationem jurisdictionis Episcopalis in actu secundo, & juris regendi Ecclesiam. Ad IV. N. C. Id enim a Novatiano ex eo capite factum est, ne si legem Ecclesiasticam aperte hac in re transgrederetur, magna apud Catholicos idcirco laboraret invidia, sicque non nisi paucissimos inveniret, qui partes suas sectarentur.

Potestatem Jurisdictionis a Rom. Pontifice immediate in Episcopos profluere asserunt Patres.

434. Quæres III. A quonam Episcopi immediate suam potestatem accipiant? Resp. Potestatem Ordinis immediate ab ipso Deo accipiunt, quia solus Deus gratiam sanctificantem largiri, & characterem imprimere potest, homine nil nisi nudum ministerium præbente: potestatem vero Jurisdictionis Episcopalis immediate a Romano Pontifice. Ita communissima Theologorum. Prob. assertio I^mo^ Auctoritate Patrum. Tertullianus in Scorpiaco, Cap. X. ait: *Si adhuc clausum putas cœlum, memento claves ejus hic Dominum Petro, & per eum Ecclesiæ reliquisse.* S. Optatus Milevitanus Lib. VII. contra Parmenianum: *Bono unitatis B. Petrus, cui satis erat, si postquam negavit, solam veniam consequeretur, & præferri omnibus Apostolis, meruit, & claves regni cœlorum communicandas cæteris solus accepit.* Dupinius ea verba, *claves communicandas cæteris*, non ad Petrum, sed ad Christum referenda esse contendit; accepisse nempe Petrum claves, quas Christus etiam cæteris esset communicaturus. At Dupinii interpretatio ex eo aperte refellitur, quod unitatis origo in Petro dicitur instituta, quia claves accepit: si autem Christus noluisset claves per eum aliis communicare, nihil conduceret ad unitatem commendandam, quod ipse Petrus easdem claves accepisset. S. Cyprianus Lib. de Unitate Ecclesiæ, posteaquam Sedem Petri comparavit capiti, radici, fonti, ac Soli, subjungit Cap. IV. *Sic & Ecclesia Domini luce perfusa, per orbem totum radios suos*

por-

porrigit. Unum tamem lumen eſt, quod ubique diffunditur, nec unitas corporis ſeparatur: ramos ſuos in univerſam terram copia ubertatis extendit, profluentes largiter rivos latius expandit: Unum tamen caput eſt, & origo una. S. Gregorius Nyssenus Tract. adversus eos qui castigationes ægre ferunt, ait: *Per Petrum Epiſcopis dedit claves cœleſtium bonorum.* S. Innocentius I. Epist. ad Patres Carthagine congregatos scribit: *Scientes quid debeatur Apoſtolicæ Sedi: cum omnes hoc loco poſiti, ipſum ſequi deſideremus Apoſtolum* (Petrum) *a quo ipſe Epiſcopatus, & tota auctoritas nominis hujus emerſit.* Et Epist. ad Patres Milevitanos: *Quoties fidei ratio ventilatur, arbitror omnes Fratres & Coepiſcopos noſtros, non niſi ad Petrum, id eſt, ſui nominis & honoris auctorem, referre debere, velut nunc retulit veſtra dilectio.* S. Leo M. Serm. III. de Aſsumptione sua ait: *Magnum & mirabile, dilectiſſimi, huic viro* (B. Petro) *conſortium potentiæ ſuæ tribuit divina dignatio; & ſiquid cum eo commune cæteris voluit eſſe Principibus, numquam niſi per ipſum dedit, quidquid aliis non negavit.* Et Epist. X. alias LXXXIX. ad Episcopos provinciæ Viennensis, Cap. I. *Hujus muneris Sacramentum ita Dominus ad omnium Apoſtolorum officium voluit pertinere, ut in B. Petro Apoſtolorum omnium ſummo principaliter collocaret; ut ab ipſo, quaſi quodam capite, dona ſua velut in corpus omne diffunderet.* Atque horum Patrum auctoritas, quibus acceſserunt S. Thomas, S. Bonaventura, S. Antoninus, ac plerique Theologi, merito præferenda videtur Facultati Parisiensi, quæ sententiam hanc damnaſse ac reprobaſse dicitur in aſsertionibus Joannis Sarazin, Nicolai Quadrigarii, & Francisci Guillou.

Et ratione oſtenditur.

435. Prob. II. Ratione. Nam I. Pontifici Romano jure divino cura propria & singularis incumbit illarum Ecclesiarum, quæ proprio Episcopo carent; quia, ut S. Leo M. Epist. X. alias LXXXIX. ad Episcopos provinciæ Viennensis scribit, B. Petro, *cum præ cæteris ſolvendi & ligandi tradita ſit poteſtas, paſcendarum*

tot

tot ovium cura ſpecialius demandata eſt. Ergo quando Pontifex Episcopum constituit, onus & officium proprium illius regendæ Eeclesiæ, quod ipse Sede vacante sustinuerat, Episcopo tradit. Atque hac ratione omnis Episcopalis potestas prius in Romano Pontifice, quam in Episcopis existit, & ab illo ad omnes derivatur. II. Patriarchæ & Metropolitæ jurisdictionem suam immediate a Sede Apostolica obtinuerunt, quando eis a Summis Pontificibus aſsignatæ fuerunt provinciæ, quarum spirituali regimini præeſsent; cum certum sit, Christum Ecclesiam suam non distribuiſse in Patriarchatus, provincias, ac diœceses. Ergo etiam quando Pontifices sive per se, sive Patriarcharum ac Metropolitanorum opera, destinarunt Episcopis particulares Ecclesias regendas, per hanc subditorum destinationem vere, proprie, ac immediate jurisdictionem dederunt. III. Dum a Summo Pontifice uniuntur Episcopatus, confertur jurisdictio Episcopo; quandoquidem ei subjiciuntur fideles, in quos post unionem potest quod ante illam non poterat, munia Episcopalia exercere: cum autem dividuntur Episcopatus, subtrahuntur Episcopo subditi, in quos post divisionem non potest quod ante divisionem poterat, actus jurisdictionis exercere. Ergo sicut Pontifex unione vel divisione diœcesium jurisdictionem Episcoporum auget vel minuit: ita etiam dum Episcoporum electionem ratam habet, Episcopalem eis confert jurisdictionem. Atque id denotare omnino videntur verba, quibus Pontifex in creandis Episcopis utitur: *Providemus Eccleſiæ N. de perſona N. & præficimus eum in Patrem, & Paſtorem, & Epiſcopum ejusdem Eccleſiæ, committentes ei adminiſtrationem in temporalibus & ſpiritualibus, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen.* IV. Jurisdictio actualis separari potest ab Ordine Episcopali, ut patet in Episcopis titularibus nostro etiam ævo, atque olim in Regionariis, qui aliquando, dum res ex sententia non ceſsit, sine diœcesi remanserunt: item in illis qui solius honoris gratia Episcopi consecrabantur, de

qui-

quibus consuli posſunt Sozomenus Lib. VI. Hist. Eccles. Cap. XXXIV. & Nicephorus Callistus Lib. XI. Cap. IV. Ergo actualis jurisdictio non immediate a Deo, sed a Romano Pontifice confertur.

436. Cæterum notandum est, quod oppositæ sententiæ patroni, quamvis contendant jurisdictionem immediate a Deo Episcopis conferri, nihilominus ultro concedant, ac porro concedere teneantur, eam conferri cum subordinatione ad Romanum Pontificem, ita ut gravibus & justis de causis, si Ecclesiæ necesſitas aut utilitas id exigit, posſit Romanus Pontifex hanc jurisdictionem vel augere, vel arctioribus limitibus circumscribere, vel omnino tollere.

Adverſariorum argumenta.

437. Dices I. Act. Cap. XX. dicitur: *Attendite vobis & univerſo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei.* Ad Ephes. Cap. IV. *Ipſe dedit quosdam quidem Apoſtolos, quosdam autem Prophetas, alios autem paſtores & doctores.* Ergo Episcopi potestatem suam habent immediate a Deo. II. Episcopi sunt succesſores Apostolorum, ut Patres docent unanimi consensu. Ergo cum Apostoli immediate ab ipso Christo jurisdictionem suam acceperint, idem dicendum est etiam de Episcopis. II. Summus Pontifex immediate a Deo accipit jurisdictionem. Ergo a pari etiam Episcopi. IV. Ordo Episcopalis exerceri nequit absque jurisdictione. Ergo Deus qui confert Ordinem, confert etiam jurisdictionem. V. Apostoli per orbem dispersi, per se constituerunt Episcopos in civitatibus, & alios constituendi facultatem impertiverunt. Ad Titum Cap. I. *Hujus rei gratia reliqui te Cretæ, ut ea quæ deſunt corrigas, & conſtituas per civitates Presbyteros, ſicut & ego diſpoſui tibi.* VI. Romanus Pontifex Episcopos vocat *Fratres* & *Collegas*; quia nimirum ab uno communi Patre Deo, Ecclesiæ præficiuntur. VII. Episcopi Græci schismatici non habent a Romano Pontifice jurisdictionem, sed a Deo. Ergo & reliqui Episcopi. VIII. Si Episcopi a Romano Pontifice haberent suam jurisdictionem, sequeretur I^{mo}, mortuo Pontifice, cesſare Episcoporum auctori-

ritatem; sicut præciso capite pereunt omnia membra. IIdo. Episcopos plurimos, qui nempe suberant Patriarchis Alexandrino, Antiocheno, Constantinopolitano, Jerosolymitano, non habuiſse jurisdictionem; quia nec ordinabantur, nec confirmabantur a Romano Pontifice.

Evertuntur. 438. At leviora sunt hæc argumenta, ut oppositam sententiam nobis persuadeant. Ad I. itaque Resp. N. C. Verba illa ostendunt quidem Episcopatum immediate a Deo institutum fuiſse; at non significant ipsam jurisdictionem Episcopis a Deo immediate fuiſse collatam. Exemplum habemus in Sacerdotio, quod quamvis a Deo immediate institutum fuerit, non nisi tamen ab Episcopo Presbyter jurisdictionem immediate accipit, v. g. ad excipiendas valide & licite Confeſsiones. Voluit itaque Christus, præter Romanum Pontificem totius Ecclesiæ Catholicæ Rectorem, particularibus Ecclesiis præficiendos eſse Pastores: atque hoc sensu dicuntur Episcopi positi a Spiritu Sancto regere Ecclesiam Dei; ac Tridentinum aſserit Seſs. XXIII. Can. VI. Ecclesiæ Hierarchiam fuiſse divina ordinatione institutam: nec alio sensu intelligendus est S. Bernardus Lib. III. de Considerat. ad Eugenium scribens: *Erras, si ut summam, ita & solam institutam a Deo vestram auctoritatem Apostolicam existimas.* At non hoc ipso voluit Deus illis jurisdictionem Episcopalem per se immediate conferre: immo, ne facilis pateret via ad unitatem rescindendam, a Patribus dicitur voluiſse, ut tota auctoritas a Petro ejusque Succeſsoribus, tamquam a fonte, in reliquos Episcopos proflueret. Ad II. D. A. Episcopi sunt, & dicuntur a Patribus succeſsores Apostolorum in Episcopatu, C. A. Succeſsores in Apostolico munere, N. A. Apostolorum munus extraordinarium fuit; ideoque succeſsores in hoc munere non reliquerunt. Episcopi itaque ab Apostolis propagati sunt, quia Ordinis sui originem per continuatam Consecrantium seriem ad Apostolos referunt: & in Apostolorum locum succedunt quoad gra-

gradum regiminis, & curam particularium Ecclesiarum a Pontifice in ipsos translatam, non vero quoad Apostolatum. Neque enim singuli vi sui muneris, more Apostolorum, habent doctrinæ infallibilitatem, nec mifsionem immediatam, nec copiam Spiritus Sancti, nec scientiæ plenitudinem, nec donum linguarum aut miraculorum, quæ singularia fuere dona, & Apostolatus privilegia. Ad III. C. A. N. C. Romanus Pontifex proprie non succedit B. Petro ut Apostolo, sed ut Pastori totius Ecclesiæ; & ideo ab illo immediate habet jurisdictionem, a quo eam habuit B. Petrus. At vero Episcopi succedunt Apostolis ratione Ordinis Episcopalis tantum, non quoad potestatem & amplitudinem rerum gerendarum, quæ cum efset Apostolorum propria, atque extraordinaria, cum ipsis Apostolis extincta est: sicut privilegia personarum juxta vulgatas regulas desinunt, ipsis personis decedentibus. Accedit, quod Papa in terris superiorem non habeat, qui ipsi jurisdictionem impertiat: at vero Episaopi habent superiorem, a quo pofsint accipere suam auctoritatem, nempe Romanum Pontificem. Ad IV. N. C. Jurisdictio, cum tantum requirat superioris voluntatem, potest per hominem, nempe per Romanum Pontificem conferri. Ad V. Resp. ex eo nihil evinci. Præterquam enim quod hæc potestas in cæteris Apostolis, solum B. Petrum si excipias, fuerit extraordinaria; Apostoli potestatem constituendi Episcopos aliis non communicarunt sine consensu B. Petri, cum & ipsi acceperint a Christo claves, quibus uterentur cum subordinatione ad Petrum, utpote qui dignitate capitis super ipsos eminebat. Ad VI. Resp. Episcopos vocari a Papa *Fratres* ratione Ordinis Episcopalis, in quo sunt æquales; *Collegas* vero, quia afsumuntur a Pontifice ad onus pastorale sustendandum. Cum enim Romano Pontifici cura Ecclesiæ universalis commifsa sit, quam per se solus gerere nequit, curam hanc cum Episcopis dividit. Ad VII. Resp. Episcopos schismaticos & hæreticos notorios, ac nominatim excommunicatos, nullam prorsus

sus habere jurisdictionem, sive a Deo sive a Romano Pontifice collatam: ideoque omnes actus jurisdictionis Ecclesiasticæ ab eis exercitos, irritos esse atque invalidos. Ad VIII. Resp. negando utramque sequelam. Magnum est inter naturale & mysticum caput discrimen: siquidem membra corporis naturalis conservari nequeunt, nisi continuum a capite influxum recipiant; at vero membra capitis mystici, præsertim ministerialis & externi, pendent quidem a capite ut fiant, non tamen ut conserventur. Itaque Episcopalis jurisdictio semel collata, non amittitur moriente qui dedit, sed moriente qui accepit, aut auferente qui potest auferre. Neque opus est etiam, ut Pontifex immediate creet aut consecret Episcopos; sed satis est, si immediate, id est, per Patriarchas & Metropolitas qui jurisdictionem a Romano Pontifice obtinuerunt.

Diaconatus verum est Ordinis Sacramentum.

439. Quæres IV. An Diaconatus verum sit ac proprie dictum Sacramentum? Resp. affirmative. Ita communis & certa Theologorum, qui oppositam Durandi & Cajetani sententiam temeritatis arguunt. Prob. assertio I^{mo}. Diaconatus est signum sensibile gratiæ, a Christo permanenter institutum. Ergo est verum ac proprie dictum Sacramentum. P. A. Est signum *sensibile*, quia in Latina & Græca Ecclesia, immo ab ipsis etiam Apostolis collatus fuit Diaconatus per impositionem manus & certa verba, ut liquet ex Cap. VI. Act. *Hos* (septem Diaconos) *statuerunt ante conspectum Apostolorum: & orantes imposuerunt eis manus.* Et signum *gratiæ*, quia hæc ipsa impositio manus cum oratione adjuncta nihil aliud est, quam divinæ gratiæ ac Sancti Spiritus invocatio, & signum præsentis divinæ protectionis ac virtutis, ut patet tum ex Ordinatione Episcopali Timothei, de qua Apostolus I. ad Timoth. Cap. IV. v. 14. & II. ad eumdem Cap. I. v. 6.: tum ex dispositionibus, quas postularunt Apostoli in Diaconis ordinandis, nempe ut essent *viri boni testimonii, pleni Spiritu Sancto, ac sapientia.* Act. Cap. VI. Quæ certe denotant sanctita-

tem

tem & gratiam ministerii, ad quod promovendi erant. Unde ibidem v. 8. Stephanus *plenus gratia & fortitudine* dicitur statim ab Ordinatione accepta. *A Christo institutum;* Apostoli enim ritum illum non usurpassent, nisi a Christo sic edocti ac jussi fuissent. Et Tridentinum Sess. XXIII. Can. VI. definivit, esse *in Ecclesia ex divina ordinatione Hierarchiam institutam, quæ constat ex Episcopis, Presbyteris & Ministris,* qua postrema voce saltem Diaconi intelliguntur. Ergo Diaconatus a Christo est institutus. *Permanenter,* ut patet ex constanti & inviolata Ecclesiæ praxi, ab Apostolicis ad nostra usque tempora. Prob. II. Authoritate Tridentini, quod Sess. XXIII. Can. IV. docet, in sacra Ordinatione Episcopum non frustra dicere, *Accipe Spiritum Sanctum.* Ergo cum Episcopus in Ordinatione Diaconi manum ei imponat, dicens, *Accipe Spiritum Sanctum,* revera illum Diacono confert. Ergo Diaconatus est Sacramentum vere ac proprie tale. Prob. III. ex unanimi ferme consensu Theologorum. IV. Ratione congrua. Diaconus ordinatur ut in Missæ Sacrificio proxime ministret Sacerdoti, & ex ejus commissione ac licentia Episcopi baptizet, prædicet, & gravi ac justa causa urgente Eucharistiam præbeat. Ergo maxime conveniens fuit, ut Diaconus in sua Ordinatione acciperet gratiam sanctificantem cum jure ad specialia auxilia ad digne obeunda hæc munia. Atqui ordinatio Diaconi jus ad specialia auxilia tribuere nequit, nisi sit Sacramentum. Ergo.

Quæ adversarii opponunt.

440. Dices I. In Scripturis nullibi dicitur Diaconatum fuisse a Christo institutum. II. S. Cyprianus Epist. LXV. ad Rogatianum scribit: *Meminisse Diaconi debent, quoniam Apostolos, id est, Episcopos & præpositos Dominus elegit: Diaconos autem post ascensum Domini in cœlos Apostoli sibi constituerunt Episcopatus sui & Ecclesiæ ministros. Quod si nos aliquid audere contra Deum non possumus, qui Episcopos facit, possunt hi contra nos audere, a quibus Diaconi fiunt?* Ergo S. Cyprianus censuit, Diaconatum non fuisse ab ipso Christo

sto institutum, adeoque verum non esse Sacramentum. III. S. Damasus Epist. V. docet, duos tantum Ordines a Christo fuisse institutos: *Ordines sunt duo tantum primi in Ecclesia, id est, Apostolorum, & septuaginta Discipulorum.* IV. Veteres Diaconatum numquam appellant Sacramentum. V. Vigilius Papa Epist. ad Rusticum & Sebastianum, quæ exstat Collatione VII. Synodi Oecumenicæ V. seu CPolitanæ II. scribit: *Absentibus filiis nostris Diaconis, Anatolio atque Stephano, a nobis postulasti, ut ad tempus pro implendo officio, absentium loco, Diaconum te interim faceremus: quod ideo tibi ad præsens speranti concessimus.* Atqui Sacramentum non confertur ad tempus. Ergo Diaconatus non est Sacramentum. VI. Diaconus non accipit in Ordinatione sua potestatem ponendi aliquem effectum, qui nullus sit & irritus, si fiat a non Diacono. Ergo non accipit in Ordinatione proprium characterem. P. C. Character datur simpliciter ad operandum, non ad bene operandum; ut patet in charactere Sacerdotali, sine quo valide confici Eucharistia non potest. Ergo cum Diaconorum munia a quolibet valide peragi possint, Diaconatus characterem proprium non imprimit, adeoque non est verum Sacramentum Ordinis.

Levioris sunt momenti.

441. Verum argumenta hæc facile diluuntur. Ad I. Resp. Quamvis id nullibi disertis clarisque verbis in Scriptura dicatur, institutio tamen divina satis ostenditur ex praxi Apostolorum, & doctrina Tridentini Concilii. Quod si Theologis quibusdam silentium Scripturæ scrupulos injicit, dicant nobis, ubinam in Scripturis Christus instituisse dicatur Sacramenta Confirmationis & Matrimonii. Ad II. N. C. S. Cyprianus ad Rogatianum Episcopum scribens, contra quem Diaconus quidam petulanter insurgere ausus fuerat, id unum asserit, Christum immediate per se ipsum non elegisse Diaconos, sicut elegerat Apostolos. Verum ex eo minime sequitur Diaconatum non esse a Christo institutum, relicta Apostolis libertate, eos quos dignos judicarent, ad hoc officium promo-

ven-

vendi: sicut ex eo, quod Christus nemini Sacramentum Confirmationis impertiverit, male inferretur, Confirmationis Sacramentum ab ipso Christo non fuisse institutum. Illud igitur discrimen est, in mente S. Cypriani, Episcopos inter & Diaconos, quod Episcopi ac Presbyteri non solum a Christo fuerint instituti, sed etiam electi & consecrati: Diaconi vero dumtaxat instituti. Ad III. Resp. Epistolam illam supposititiam esse; neque auctorem illius loqui de omnibus Ordinibus, sed tantum de Sacerdotio majore & minore, nempe de Episcopis & Presbyteris, occasione quorumdam Chorepiscoporum, qui licet characterem Episcopalem non haberent, tamen medium quemdam ordinem constituere volebant inter Episcopos & Presbyteros. Ad IV. Resp. S. Anastasius II. ad finem sæculi V. in Epist. ad Anastasium Augustum, Diaconatum diserte vocat *Sacramentum.* Ad V. Resp. Sermonem ibi non esse de charactere & intrinseca potestate Diaconi, quæ utique numquam amitti potest; sed de adventitio honoris ac dignitatis gradu, nempe de officio Diaconi Cardinalis. Sebastianus enim, cum jam antea Diaconatu initiatus esset, absentibus Stephano & Anatolio Diaconis Cardinalibus, facultatem a Vigilio petiit & impetravit eorum loco ad tempus ministrandi, illis revertentibus officio cessurus; quia Diaconorum Cardinalium numerus, Ecclesiæ Romanæ inservientium, definitus erat ac fixus. Porro Vigilius hanc honoris concessionem *Ordinationem* vocat, quia sæpe ordinatio pro investitura & institutione in aliquo Ecclesiastico titulo sumitur. Ad VI. C. A. N. C. Ad *prob.* N. A. Quamvis in Sacerdotio talis potestas conficiendi Eucharistiam conferatur, sine qua non solum non bene, sed nullo modo confici potest Eucharistia; non tamen necesse est, ut aliæ Ordinum potestates ejusdem sint conditionis; sed satis est, si dentur ad bene aut melius operandum. Exemplum habemus in Confirmatione, sine qua potest quidem aliquis coram tyranno Christianam fidem intrepide profiteri; confir-

firmatus tamen habet, ratione Sacramenti & characteris, majorem gratiæ promifsionem ad id præstandum.

Septem Diaconi ab Apoftolis ordinati funt præci pue ad facra minifteria.

442. Quæres V. Ad quodnam præcipue ministerium fuerint septem Diaconi ab Apostolis ordinati? Resp. ad sacra præcipue ministeria. Prob. afsertio Imo ex dotibus, quas in Diaconis requirebant Apostoli, atque ex ritu inaugurationis. Act. Cap. VI. v. 3. *Confiderate ergo, Fratres, viros ex vobis boni teftimonii feptem, plenos Spiritu Sancto & fapientia, quos conftituamus fuper hoc opus.* Et v. 6. *Hos ftatuerunt ante confpectum Apoftolorum: & orantes impofuerunt eis manus.* Atqui si præcipuum Diaconorum munus fuifset ministrare mensæ communi, & eleemosynas distribuere, opus non fuifset eligi viros plenos Spiritu Sancto & sapientia; quia officium hoc nihil admodum spirituale, ac supra naturæ vires exigit, neque ministerium hoc mere profanum ac temporale collatum fuifset adhibita Apostolicarum manuum impositione. Ergo Apostoli majus quiddam habebant in animo, nempe ut ministerio sacro adjutores seligerent, qui in altaris Sacrificio adefsent Episcopis, Eucharistiam populo distribuerent, & alia obirent sacra munia, quæ ex traditione Apostolica accepimus. Prob. II. ex Ordinatione Diaconorum primis Ecclesiæ temporibus. Certum est, quod ævo Apostolico plures variis in provinciis ordinati sint Diaconi; horum enim meminit Apostolus I. ad Timoth. Cap. III. & ad Philippenses Cap. I. *Paulus & Timotheus, fervi Jefu Chrifti, omnibus fanctis in Chrifto Jefu, qui funt Philippis, cum Epifcopis & Diaconibus.* Atqui horum officium & ministerium non erat profanum, sed sacrum, cum id Urbi tantum Jerosolymitanæ peculiare fuerit, quod e divitum facultatibus in commune collatis, vitæ necefsaria viduis & pauperibus tribuerentur. III. Auctoritate Patrum. S. Cyprianus Epist. LXV. ad Rogatianum scribit: *Diaconos poft afcenfum Domini in cœlos, Apoftoli fibi conftituerunt Epifcopatus fui & Ecclefiæ miniftros.* Idem Epist. LXVIII. ad Clerum

rum & Plebes Hispaniæ, de electione septem Diaconorum ab Apostolis facta ait: *Quod utique idcirco tam diligenter & caute convocata plebe tota gerebatur, ne quis ad altaris ministerium, vel ad Sacerdotalem locum indignus obreperet.* S. Ignatius M. Apostolorum discipulus Epist. ad Trallianos: *Oportet Diaconos, Mysteriorum Christi ministros, per omnia placere; nec enim ciborum & potuum* (intellige primario) *ministri sunt, sed Ecclesiæ Dei administratores.* S. Justinus M. Apologia II. pro Christianis, Diaconos ministros fuisse Eucharistiæ aperte testatur. Ven. Beda in Retractatione Commentarii in Act. Apostol. ait: *Placuit eosdem ipsos altaris quoque sacri, ac Dominici sanguinis, sicut & refectionis, mensæque communis multitudinis credentium ministros ordinari: quod probatum est verbo, quo dictum est; Et orantes imposuerunt eis manus.* Posteriorum temporum Patres & Scriptores Ecclesiastici, cum originem & officia nostrorum Diaconorum repetant ex iis septem, quos Apostoli ordinarunt, doceantque Diaconos nostros ex ordinatione sua ad sacra ministeria destinari, necesse est ut idem de primis septem Diaconis senserint, ad quorum normam & exemplum ordinati sunt in Ecclesia Diaconi.

Adversariorum argumenta.

443. Dices I. Scriptura Act. Cap. VI. ubi narrat ordinatos fuisse ab Apostolis septem Diaconos, nullam facit sacri ministerii mentionem, ad quod illi sint deputati. II. Illud ministerium assignatum fuit Diaconis, quod erat proprium Viduarum, quæ conquerendi occasionem dederant Hellenistis. Atqui illarum ministerium erat mere profanum. III. Ministerium Diaconorum erat distinctum ab oratione & ministerio verbi. Ergo erat mere profanum. P. A. Apostoli illud sibi reservarunt; ajunt enim Act. Cap. VI. v. 4. *Nos vero orationi & ministerio verbi instantes erimus.* IV. Diaconi electi sunt, ut mensis ministrarent, quia Cap. cit. v. 2. inquiunt Apostoli: *Non est æquum nos derelinquere verbum Dei, & ministrare mensis.* V. S. Hieronymus Epist. LXXXV. ad

Evagrium, Diaconos vocat mensarum ministros: *Quis patiatur, ut mensarum & viduarum minister supra eos tumidus se efferat, ad quorum preces corpus Christi sanguisque conficitur?* VI. S. Chrystomus Hom. XII. in Act. Apostol. scribit: *Quantam autem dignitatem habuerunt hi,* (septem Diaconi) *& qualem acceperunt ordinationem, necessarium erit discere. Numquid eam quæ est Diaconorum? Et profecto hoc in Ecclesiis non est, sed Presbyterornm est hæc dispensatio, tametsi nullus esset adhuc Episcopus, sed Apostoli soli. Unde neque Diaconorum, neque Presbyterorum nomen esse opinor apertum ac manifestum; sed tunc in hoc fuerunt ordinati.* Ergo juxta S. Joan. Chrysostomum septem Diaconi non fuere ordinati ad sacrum ministerium. VII. Synodus Oecumenica VI. seu CPolitana III. Can. XVI. ait de septem illis primis Diaconis: *Invenimus eos* (Actus Apostolorum) *esse locutos, non de viris qui ministrant mysteriis; sed de ministerio, quod in usu mensarum adhibebatur.*

Contrarium non evincunt.

444. At facile enervantur hæc adversariorum argumenta. Resp. itaque ad I. nullam ibi explicite, sed implicite fieri sacri ministerii mentionem; dotes enim, quas in illis requirebant Apostoli, ac ritus, quo primi Diaconi fuere initiati: fervor ac fortitudo Stephani, Philippi prædicatio &c. satis ostendunt ad nobilius ministerium eos fuisse ordinatos, quam ut mensis tantum communibus deservirent, aut eleemosynas distribuerent. Ad II. Resp. Diaconis præter ministerium illud quod erat Viduarum, assignatum fuisse primo ac principaliter aliud nobilius, nempe sacrum, cujus incapaces erant viduæ illæ. Ad III. D. A. Ministerium illud erat distinctum ab oratione quacunque, & ministerio verbi extraordinario, N. A. Ab oratione, id est, ab oblatione Sacrificii, & ab ordinario ministerio verbi, C. A. N. C. Apostoli non ita sibi reservarunt ministerium verbi, ut Diaconi illi nullatenus incumberent; sed se totos sacris ministeriis devoverunt, cum antea profanis etiam intendere cogerentur, nempe administrationi pecuniarum, &

curæ

curæ Viduarum. Illo autem onere Diaconis imposito, facilius ipsi & expeditius Apostolica munia obire poterant. Ad IV. D. A. Diaconi electi sunt, ut mensis communibus dumtaxat ministrarent, N. A. Mensis communibus simul & sacris, non cibos inferendo, sed de necefsariis providendo, & Eucharistiam ministrando. C. A. N. C. In Ecclesiæ primordiis conjunctæ fuerunt mensæ communes & sacræ, ut patet ex I. ad Cor. Cap. XI. solebatque convivium publicum in signum charitatis ex thesauro Ecclesiæ præberi, ac demum eis Eucharistia administrabatur. Igitur occasione murmuris Hellenistarum adversus Judæos Palæstinæ, Apostoli præceptum Christi de ordinandis opportuno tempore Diaconis impleverunt, eosque septem numero, mensæ tum profanæ, tum præcipue sacræ & Eucharisticæ præfecerunt. Ad V. N. C. S. Hieronymus ad reprimendam aliquorum Diaconorum audaciam, qui se supra Presbyteros efferebant, occasionem proximam suæ ordinationis illis in mentem revocat, quin Diaconorum excellentiæ quidquam derogare voluerit. Nam in ea ipsa ad Evagrium Epistola scribit: *Quod Aaron, & filii ejus, atque Levitæ fuerunt, hoc sibi Episcopi, & Presbyteri, & Diaconi vindicent in Ecclesia.* Quod vere non diceret, si non aliud in Ecclesia, præter mensarum & viduarum ministerium, Diaconi jure sibi arrogare pofsent. Ad VI. N. C. S. Chrysostomus non negat, sacrum fuisse septem Diaconorum ministerium; sed tantum afserit, quod munus illud administrandæ pecuniæ ad Ordinem Diaconatus per se non pertineat: idque ex eo probat, quod suo tempore in Ecclesia CPolitana hæc bonorum Ecclesiasticorum dispensatio penes Diaconos non efset, sed penes Presbyteros. Primos autem Diaconos, cum præter Apostolos alii tunc non darentur Presbyteri, ait in hoc fuisse ordinatos tamquam ad secundarium ac minus præcipuum munus, non tamquam ad primarium. Ex quo patet, S. Chrysostomum non modo nobis non obefse, verum etiam eximie favere. Ad VII. Resp. Canonem illum non

eſse Synodi Oecumenicæ VI. seu CPolitanæ III. quæ nullos edidit Canones, sed erraticæ Synodi Trullanæ, seu Quinisextæ, cujus nulla est in Ecclesia Catholica auctoritas.

Subdiaconatui rationem Sacramenti conſtare:

445. Quæres VI. An Subdiaconatus verum sit ac proprie dictum Sacramentum Ordinis? Resp. longe probabilius negative. Ita Magister Sententiarum, Durandus, Cajetanus, Goarius, Morinus, Juenin, Tournely, Ledrouven, Simonnet, Habert, Witasse, Herminier, & nostris temporibus communior Theologorum. Prob. aſsertio 1mo. Subdiaconatus non est a Christo immediate institutus. Ergo non est Sacramentum; Ecclesia enim non potest dare elemento sensibili vim spiritualis effectus infallibiliter producendi, sed solus Deus efficere id potest. P. A. Scriptura & traditio de institutione Subdiaconatus a Christo facta altum silent: immo præterquam quod Subdiaconorum nullus meminerit ante S. Cornelium in Epist. ad Fabium Antiochenum, & S. Cyprianum Epist. XXII. complures Veterum ab Ecclesia institutum fuiſse diserte aſserunt, ut Hilarius Diac. Comment. in Epistolas S. Pauli. Amalarius Lib. II. de Offic. Eccles. Cap. VI. Petrus Lombardus Lib. IV. Sentent. Dist. XXIV. Petrus Blesensis Serm. XLVII. Hugo Victorinus Lib. II. de Sacram. Parte III. Cap. XIII. Ivo Carnotensis Parte V. Decreti, Cap. LXXII. Gratianus in proëmio Dist. XXI. Ipse S. Thomas, quamvis in IV. Sentent. Dist. XXIV. Quæst. I. Art. IV. admittat, Subdiaconatum, & minores Ordines eſse Sacramentum, in Caput III. tamen Epist. I. ad Timotheum scribit: *In primitiva Eccleſia ſolum erant tres Ordines - - - ſcilicet Epiſcoporum, Presbyterorum, & miniſtrorum; & non dividebantur per diverſos gradus, ſed omnia erant in uno Ordine, propter paucitatem miniſtrorum, & propter novitatem Eccleſiæ.* Et in Opusculo XXXIV. contra Guilielmum a Sancto Amore, qui contendebat, non potuiſse ab Ecclesia novum erigi Ordinem, cui specialiter officium prædicandi

di committeretur; huic præter cætera, exemplo Subdiaconatus & quatuor minorum Ordinum, quos Ecclesia de novo instituit, Doctor Angelicus maledicum os obstruit his verbis: *In primitiva Ecclesia fuerunt soli duo Ordines sacri, scilicet Presbyteri & Diaconi. Et tamen postea Ecclesia minores sibi ordines instituit, ut Magister Sententiarum dicit.*

446. Prob. II. Neque Scriptura divina, neque traditio docent, quod Subdiaconatus ex opere operato conferat gratiam. Ergo Subdiaconatus non est Sacramentum. P. A. tum negative, quia id ostendi nequit: tum etiam positive, quia nec antiquitus, ut patet ex Carthaginensi IV. Cap. V.; ex veteri Ordine Romano, & Sacramentario S. Gregorii Magni, nec hodiedum in Ecclesia Latina, quando Subdiaconus ordinatur, Episcopus ei manum imponit; cujus tamen ritus mentionem semper facit Scriptura, ubi de ordinandis sacris ministris agit. In Græca autem Ecclesia in collatione Subdiaconatus fit equidem manus impositio, sed sine forma Sacramentali; non enim Episcopus dicit: *Divina gratia, quæ infirma curat &c.* quæ verba continent formam Sacramentalem Ordinationum apud Græcos.

447. Accedit, quod Subdiaconatus non nisi ad finem Sæculi XI. aut ut multis videtur, initio primum Sæculi XIII. inter sacros & majores Ordines relatus fuerit. Ex quo conficitur, vix verisimile videri, quod vetus Ecclesia Subdiaconatum pro vero Sacramento Ordinis habuerit. Veritas afsertionis pluribus exemplis ostenditur. S. Augustinus Epistola XLIII. alias CLXII. ad Glorium & Eleusium, Cap. III. Diaconos a cæteris Clericis distinguit, Subdiaconos vero cum inferioribus Clericis confundit. *Neque enim*, inquit, *de Presbyteris aut Diaconis aut inferioris ordinis Clericis, sed de Collegis* (id est, Episcopis) *agebatur*. Laodicenum A. 372. Can. XXI. statuit: *Quod non oporteat Subdiaconos habere locum in Diaconico, & Dominica vasa contingere*, Idem Decretum renovavit Agathensis Synodus A. 506. Can. LXVI. *Quoniam non*

oportet

oportet insacratos ministros licentiam habere in secretarium, quod Græci Diaconicon appellant, ingredi, & contingere vasa Dominica. Urbanus II. in Concilio Beneventano A. 1091. Can. I. statuit: *Nullus deinceps in Episcopum eligatur, nisi qui in sacris Ordinibus religiose vivens inventus est. Sacros autem Ordines dicimus Diaconatum ac Presbyteratum. Hos siquidem solos* (intellige tamquam sacros) *primitiva legitur Ecclesia habuisse: super his solum præceptum habemus Apostoli. Subdiaconos vero, quia & ipsi altaribus ministrant, opportunitate exigente concedimus, sed rarissime, si tamen spectatæ sint religionis & scientiæ. Quod & ipsum non sine Romani Pontificis, vel Metropolitani licentia fieri permittimus.* Innocentius III. initio Sæculi XIII. Extrav, de ætat. & qualit. & Ord. præfic. Cap. IX. statuit, ut Subdiaconus in Episcopum valeat libere eligi, sicut Diaconus vel Sacerdos. *Cum hodie*, inquit, *Subdiaconatus inter sacros Ordines computetur.* Ergo Subdiaconatus non nisi ad finem Sæculi XI., aut omnino ad initium XIII. inter sacros & majores Ordines relatus est in Latina Ecclesia; Græci enim Subdiaconatum ab omni retro ævo, ac nostris etiam temporibus in minorum Ordinum clafsem rejiciunt.

Adversariorum momenta:

448. Dices I. Subdiaconatus in nullo Concilio, neque ab aliquo Pontifice legitur institutus. Ergo illius origo ad Apostolos est referenda, juxta regulam illam Augustinianam Lib. IV. de Bapt. contra Donatistas, Cap. XXIV. *Quod universa tenet Ecclesia, nec Conciliis institutum, sed semper retentum est, non nisi auctoritate Apostolica traditum rectissime creditur.* Ergo habet institutionem divinam. II. Florentinum in Decreto pro Armenis, postquam dixit; sextum Sacramentum efse Ordinis, mox exponit materiam & formam Presbyteratus, Diaconatus, & Subdiaconatus. Ergo censuit hos tres Ordines, adeoque etiam Subdiaconatum, efse verum Sacramentum. III. Tridentinum Sefs. XXIII. Cap. II. septem dicit efse Ordines. Cap. III. per sacram Ordinationem ait conferri gratiam,

tiam, & Ordinem esse verum Sacramentum; quod intelligi debet de quocunque Ordine, quia propositio indefinita in materia dogmatica æquivalet universali. IV. Ubicunque est ritus externus, materiam & formam propriam habens, & effectum ex opere operato producens spiritualem, verum est & proprium novæ Legis Sacramentum. Atqui hæc omnia dantur in Subdiaconatu. P. min. Subdiaconatus habet materiam & formam propriam, ut per se patet: producit etiam effectum spiritualem ex opere operato, quia Episcopus ordinando Subdiaconum ait: *Oremus Deum ac Dominum nostrum, fratres charissimi, ut super hos servos, quos ad Subdiaconatus officium vocare dignatus est, infundat benedictionem & gratiam; ut in conspectu ejus fideliter servientes, prædestinata Sanctis præmia consequantur.* V. Ordinatio Subdiaconi imprimit characterem, quia amplius iterari nequit. Ergo est Sacramentum. VI. Incredibile est, Ecclesiam legem continentiæ imposuisse Subdiaconis, nisi persuasum habuisset, Subdiaconatum esse verum Sacramentum. VII. Subdiaconatus est Ordo Hierarchicus; Hierarchia enim Ecclesiæ constat ex Episcopis, Presbyteris, & Ministris, quo nomine veniunt etiam Subdiaconi. VIII. Subdiaconis confertur potestas tangendi vasa sacra. Ergo Subdiaconatus est verum Ordinis Sacramentum.

Non persuadent.

449. Verum rationes istæ non satis firmæ & idoneæ videntur ad vindicandam Subdiaconatui Sacramenti dignitatem. Resp. itaque ad I. Quamvis Subdiaconatus origo ad Apostolos referri posset, non tamen inde conficitur, eum esse a Christo Domino, omnium Sacramentorum novæ Legis primo & unico auctore institutum. Multa enim Apostoli, potestate quidem a Christo accepta, sed quæ sibi non fuerant ab eodem Christo immediate tradita, in Ecclesiæ utilitatem constituerunt, tamquam rectores & pastores Ecclesiæ. Ad II. N. C. Florentinum posteaquam in genere docuit dari Sacramentum Ordinis, Presbyteratus & Diaconatus, ac data occasione etiam Subdiaconatus materiam & formam assignat, quia & ille inter

majo-

majores Ordines nunc numeratur. At vero non intendit Concilium docere, omnes Ordines eſse verum Sacramentum; alias & Græcos antequam Florentia discederent, & Armenos qui Græcorum ritus sequebantur, graviter objurgaſset, quod minores quosdam Ordines prætermittendo, Sacramenta 'a Christo instituta negligerent. Ad III. Resp. Tridentinum Seſs. XXIII. Cap. III. de ea tantum Ordinatione loqui, quæ fit per impositionem manus Episcopalis cum hac vel simili forma: *Accipe Spiritum Sanctum*, ut patet ex illo ipso capite, tum ex Can. IV. *Siquis dixerit, per ſacram Ordinationem non dari Spiritum Sanctum, ac proinde fruſtra Epiſcopos dicere, Accipe Spiritum Sanctum &c. anathema ſit.* Atqui Ordinatio Subdiaconi non fit per illa verba, nec per impositionem manuum. Ergo Cap. III. non est sermo de Ordinatione Subdiaconi. Nimirum Tridentina Synodus, miſsis Catholicorum Doctorum opinionibus, duos Protestantium errores proscripsit, docuitque & plures dari Ordines in Ecclesia Dei, & aliquam sacram Ordinationem eſse verum ac proprium novæ Legis Sacramentum, per quod character imprimitur, ita ut qui Sacerdos semel fuit, laicus rursus fieri nequeat. Ad IV. N. min. Ad *prob.* N. A. Subdiaconatus quamvis propriam habeat materiam & formam, spiritualem tamen effectum non producit ex opere operato, sed tantum ex opere operantis, & quoad aliquos effectus, sicut in Benedictione Abbatis vel Diaconiſsæ. Ad V. N. A. Quod Ordinatio Subdiaconi non iteretur, non ex charactere impreſso oritur, sed ex eo quia quæcunque Deo semel consecrata sunt, semper consecrata remanent: atque etiam ex præcepto Ecclesiæ, quæ non modo Ordines quoscunque, sed primam etiam tonsuram, licet ea characterem non infigat, noluit iterari. Ad VI. N. A., alias etiam Profeſsio Religiosa, quæ adnexum habet votum castitatis, foret Sacramentum. Subdiaconi itaque adstringuntur lege continentiæ, non propter Sacramentum quod suscipiunt, sed propter dignitatem status, ad quem anhelant. Ad VII. Resp.

Sub-

Subdiaconatum proprie ac stricte loquendo, non esse Ordinem Hierarchicum; quia nec a Christo immediate institutus est, nec a Patribus inter Ordines Hierarchicos recensetur, cum imperare nequeant populo Subdiaconi, nisi quod ab Episcopo, Presbytero, vel Diacono, imperatum fuerit. Et quamvis daretur Ordinem esse Hierarchicum, ex eo tamen illico inferri nequit, esse etiam Sacramentum vere tale. Quod vero Tridentinum Ministrorum nomine etiam Subdiaconos intellexerit, id ab adversariis probandum est; Græca enim vox *Diaconus* latine Ministrum significat. Ad VIII. N. C. Potestas sacra vasa tangendi tam sublimis non est, ut non nisi per Sacramentalem Ordinationem conferri queat: nisi dicere velis, Fideles laicos primis Ecclesiæ sæculis speciali Sacramento ideo fuisse initiatos, quia fas illis erat, ipsum Christi corpus attrectare in Eucharistia, quam propriis nudisque manibus excipiebant.

Idem multo magis de minoribus Ordinibus, ac prima tonsura sentiendum est.

450. Ex his facile colliges, multo magis minoribus Ordinibus, ac Clericali tonsuræ, quæ peculiari titulo ad Eucharistiam non pertinet, estque præparatio quædam ad Ordines accipiendos, veri Sacramenti rationem esse denegandam. Ut enim rationes omnes superius contra Subdiaconatum allegatas silentio prætergream; ministeria minorum Ordinum passim nunc a Laicis exercentur, multique Theologi, qui Subdiaconatum Sacramentum esse contendunt, aliter de minoribus Ordinibus sentiunt cum Medina, Vasquio, Navarro, Card. Bona &c. Denique credibile non est, Ecclesiam Græcam aliquos ex minoribus Ordinibus constanter omissuram fuisse, si a Christo fuisse institutos, veraque esse Sacramenta credidisset. Clericalem tonsuram e Sacramentorum numero, præter Prosperum Fagnanum, & veteres aliquos Juris Canonici interpretes, unanimi consensu ferme omnes expungunt.

De materia & forma adæquata Presby-

451. Quæres VII. Quænam sit materia & forma essentialis & adæquata Presbyteratus & Diaconatus? Resp. Materia essentialis & adæquata est impositio ma-

teratus & Diaconatus quid sentiendum sit?

manuum Episcopalium, & traditio instrumentorum, ab eo scilicet tempore quo hæc in Ecclesiam fuit introducta: forma vero Presbyteratus sunt illa verba, *Accipe potestatem offerendi Sacrificium pro vivis & mortuis, in nomine Patris &c.* Et. *Accipe Spiritum Sanctum. Quorum remiseris peccata, remittuntur eis, quorum retinueris, retenta sunt.* Diaconatus: *Accipe Spiritum Sanctum ad robur, & ad resistendum diabolo & tentationibus ejus.* Et: *Accipe potestatem legendi Evangelium in Ecclesia Dei.* Ita Card. Hosius, Maldonatus, Petrus Soto, Ledesma, Card. Bellarminus, Sylvius, Cabassutius, Platelius, Henno, Steyaert, Piette, Simonnet, Antoine, Billuart, aliique sat multi.

In Ecclesia Græca non alia unquam materia fuit, quam impositio manuum.

452. Dixi I^mo^ *in Ecclesia Latina.* Certum est enim Ecclesiam Græcam in sacris Ordinationibus perficiendis aliam non adhibuisse, neque etiamnum adhibere materiam præter manuum impositionem, uti legere est in Græcorum Euchologiis; quin tamen Ecclesia Romana ejusmodi Ordinationes unquam irritas habuerit, aut aliqua ratione improbaverit: immo de illarum valore non solum nihil dubitatum fuit in Conciliis Lugdunensi II. & Florentino, quibus Græci cum Latinis interfuere, sed nihil præterea dubitavit CLEMENS VIII., qui Russorum Episcopos, Presbyteros, & Diaconos ad Catholicam unitatem admisit cum Ordinibus, quibus secundum ritum Græcorum insigniti fuerant in suo schismate. Equidem apud Græcos in Ordinatione Diaconi traditur illi flabellum, quo muscas arceat a sacris donis, & pulverem abstergat; Presbytero autem traditur Liturgia seu Missale: at utraque traditio non fit, nisi absoluta jam Ordinatione; ideoque instrumenta illa rationem materiæ habere nequeunt. Præterea de traditione Liturgiæ testatur Petrus Arcudius Lib. VI. Concordiæ, Cap. III. nihil habere Euchologia tam impressa quam manuscripta, nec fieri ab omnibus Episcopis consecrantibus.

453.

Traditio instrumentorum non semper usurpata fuit in Ecclesia Latina.

453. Dixi II. *Ab eo tempore, quo traditio instrumentorum in Ecclesiam Latinam inducta est.* Etenim negari nequit, in Ecclesia etiam Latina collatos fuisse sacros Ordines Hierarchicos pluribus sæculis per solam manuum impositionem, absque ullius instrumenti traditione; cum nulla eorum mentio in antiquis Ritualibus & Sacramentariis, a Menardo, Morino, & Martene diligenter perquisitis & prolatis, occurrat. Quin immo Carthaginense IV. A. 398. cui Episcopi CCXIV., atque hos inter S. Augustinus, interfuere, per hoc Subdiaconatum ab Ordinibus Hierarchicis distinguit, quod isti manuum impositione, ille vero instrumentorum porrectione conferatur; sic enim ait Cap. V. *Subdiaconus cum ordinatur, quia manus impositionem non accipit, patenam de Episcopi manu accipiat vacuam, & calicem vacuum: de manu vero Archidiaconi urceolum cum aqua, & mantile, & manutergium.* Eandem differentiam factam & observatam fuisse legimus in antiquo Sacramentario Romano, edito a Card. Thomasio, pag. 229. Solent aliqui Ordinem Romanum proferre, quem initio Sæculi VIII. conscriptum volunt, ubi in Ordinatione Presbyteri præscribitur traditio patenæ cum oblatis, & calicis cum vino; atque ex eo inferunt, ritum hunc jam longo usu in Ecclesia Romana fuisse receptum, atque ad ipsum B. Petrum referri oportere. Verum Ordo Romanus non ante medium sæculi IX., at omnino serius sæculo nempe XI. conscriptus videtur; nullam enim instrumentorum traditionem commemorant sæculi VIII. ac IX. Scriptores, Alcuinus, Rabanus Maurus, Amalarius, Walafridus Strabo, etsi de ritibus conferendi sacros Ordines fuse atque ex instituto agant. Durandus a S. Portiano Episcopus Aniciensis, ac postea Meldensis, qui initio Sæculi XIV. floruit, testatur, juxta antiquissimum Ecclesiæ suæ Sacramentarium, Diacono, cum ordinaretur, traditum non fuisse librum Evangeliorum; hujusque servandæ cæremoniæ formulam se ipsum manu propria addidisse Pontificali Ecclesiæ cui præerat, ut se ad aliorum exem-

 plum

plum componeret. Ex quo facile colligi potest, traditionem instrumentorum in Ecclesia Latina recentioris esse instituti.

Impositio manuum Episcopalium est materia essentialis Presbyteratus & Diaconatus.

454. Prob. jam prima pars assertionis de impositione manuum Episcopalium. Illa est materia essentialis Sacramenti Ordinis, quam Apostoli in eo conferendo usurparunt, quamque Ecclesia Latina & Græca usu constanti ac perpetuo adhibuit. Atqui talis est impositio manuum Episcopalium. Ergo. P. min. Scriptura quatuor in locis administratum ab Apostolis fuisse Sacramentum Ordinis memorat, facta semper impositionis manuum mentione. Actuum Cap. VI. *Hos statuerunt ante conspectum Apostolorum: & orantes imposuerunt eis manus.* Act. Cap. XIII. *Tunc jejunantes & orantes, imponentesque eis manus, dimiserunt illos.* I. ad Timoth. Cap. IV. *Noli negligere gratiam, quæ in te est, quæ data est tibi per prophetiam, cum impositione manuum Presbyterii.* II. ad Timoth. Cap. I. *Admoneo te, ut resuscites gratiam, quæ est in te per impositionem manuum mearum.* Constantem Ecclesiæ praxim in imponenda ordinandis manu ostendunt I^mo^ Concilia, Nicenum I. Can. IX. Antiochenum A. 341. Can. XVII. Ancyranum A. 314. Can. IX. Carthaginense IV. A. 398. Cap. II. III. IV. Hispalense II. A. 619. Cap. V. Meldense A. 845. Can. XLIV. Tridentinum Sess. XIV. Cap. III. de extr. Unctione ait, ministros illius esse aut Episcopos, aut Sacerdotes rite ordinatos *per impositionem manuum Presbyterii.* II. Pontifices. S. Innocentius I. Epist. XXII. ad Episcopos Macedoniæ. S. Cœlestinus Epist. ad Conc. Ephesinum. S. Leo M. Epist. I. alias LXXXVII. ad Episcopos Mauritaniæ. Gregorius M. Hom. XXXIX. in Evang. Et in Lib. Sacramentali ait: *Presbyter cum ordinatur, Episcopo eum benedicente, & manum super caput ejus tenente, etiam omnes Presbyteri qui præsentes sunt, manus suas juxta manum Episcopi super caput ejus teneant.* III. Patres. S. Cyprianus Epist. LXVIII. ad Clerum & Plebem Hispaniæ. S. Hieronymus Comment. in Cap. LVIII. Isa-

jæ.

jæ. S. Augustinus Lib. V. de Bapt. contra Donatistas, Cap. XX. S. Basilius Epist. Canonica ad Amphilochium, Can. I. loquens de nonnullis hæreticis ait: *Defecerat enim collatio successionis serie interrupta; qui enim primi recesserunt, Ordinationem a Patribus habebant, & per manuum impositionem habebant gratiam spiritualem.* His accedunt Scholæ Principes, S. Thomas III. Parte, Quæst. LXXIV. Artic. IV. S. Bonaventura in IV. Sentent. Dist. XXIV. parte II. Art. I. Quæst. IV. Et Rituales libri antiquissimi tam Græcorum quam Latinorum, quos recenset Boucat in Theol. Patrum, Tom. VIII. Dissert. VI. Artic. VI.

455. Dices I. Florentinum in Decreto pro Armenis dum assignat materiam Sacramenti Ordinis, non meminit impositionis manuum, sed tantum traditionis instrumentorum. Ergo hæc sola traditio instrumentorum est materia essentialis & adæquata hujus Sacramenti. II. Gregorius IX. Extrav, de Sacram. non iterandis, Cap. *Presbyter*, ait, impositionem manuum esse ritum introductum ab Apostolis; & si hæc casu quo in Ordinatione Presbyteri vel Diaconi omissa fuerit, *non esse aliquatenus iterandum, sed statuto tempore ad hujusmodi Ordines conferendos, caute supplendum quod per errorem extitit prætermissum.* Ergo impositio manuum non est essentialis; alias ea omissa Sacramentum foret iterandum. III. Verisimiliter dici potest, quod ipsa instrumentorum porrectio sit quædam impositio manuum; adeoque ad salvandam Pontificum, Conciliorum, ac Patrum auctoritatem, non requiri peculiarem quamdam Episcopalis manus impositionem. Resp. C. A. N. C. Florentinum ideo non expressit in eo Decreto manuum impositionem, quia intendebat tantum instruere Armenos in iis quæ ignorabant, aut saltem de quibus dubitabant. Atqui illi non ignorabant impositionem manuum esse adhibendam, quam ipsimet cum tota Ecclesia Latina & Græca adhibebant; sed porrectionem instrumentorum nesciebant in Ec-

clesia

clesia Romana necessario requiri. Adde quod Florentinum in eo Decreto impositionem manuum tacite insinuet; laudat enim loco cit. Pontificale Romanum, in quo ritus Ordinationis late continetur. In illo autem manus impositio tamquam essentialis præscribitur. Ad II. N. C. Etiamsi Apostoli hunc ritum imponendi manus instituerint, is tamen pertinere censendus est ad essentiam validæ Ordinationis juxta inferius dicenda. Quod si ea impositio omissa fuerit, jubet postea Pontifex illam ab Episcopo suppleri: quo casu repetenda simul foret forma quæ eam comitari debet, ne forte longiori temporis intervallo dissita forma a materia invalidum reddat Sacramentum. Neque propterea dici posset Ordinatio quoad illam partem iterari, sed de novo conferri; non enim proprie iteratur, quod initio nullum fuit. Ex hoc autem id unum consequitur, duas partiales Ordinationes Presbyteratus, nempe potestatem in corpus Christi physicum ac mysticum, posse dividi, ac diverso tempore conferri, esseque efficaces quocunque tempore conferantur. Ad III. N. A. Si enim porrectio instrumentorum vera esset manuum impositio, etiam Subdiaconatus & minores Ordines dicerentur conferri per manuum impositionem: immo neque Baptismus, neque extrema Unctio sine manuum impositione perficerentur; quia baptizandi corpus Ministri manibus abluitur, & sacro oleo a Sacerdote perungitur infirmus. Atqui tam absone nemo prudens loquitur, cui volupe non est vocabulis adeo turpiter abuti.

456. Quoniam vero in Ordinatione Presbyteri Episcopus ordinando ter manus imponit, primo nimirum absolutis Lytaniis, una cum sibi adstantibus Presbyteris, quin formam aliquam proferat: tum vero paulo post extendens manus, & invocans in electum gratiam & dona Spiritus Sancti; tertio denique post Communionem, proferens illa verba, *Accipe Spiritum Sanctum &c.* quærunt Theologi, quænam impositio manuum ex his tribus sit materia essentialis Ordina-

tionis

tionis Presbyteri, aliis aliam ac diversam statuentibus. Verum cum Presbyteratus duabus Ordinationibus partialibus integre conferatur, quarum unâ datur potestas consecrandi & offerendi Sacrificium cum uno charactere; alterâ vero datur potestas absolvendi à peccatis, aliusque per eam infigitur character, eo fere modo, quo Christus ipse has potestates Apostolis suis dedit per diversas actiones, unam Lucæ Cap. XXII. in ultima Cœna, alteram Joan. Cap. XX. post suam Resurrectionem: longe probabilius videtur, & primam & tertiam manus impositionem de esſentia esſe Ordinationis Sacerdotalis; secundam vero, quæ proprie non impositio, sed extensio manus est, non differre a prima, sed esſe illius continuationem. De prima certe manuum impositione loqui videtur Carthaginense IV. Cap. III., ubi non accidentariam, sed esſentialem Presbyteratus materiam his verbis asſignat: *Presbyter cum ordinatur, Episcopo eum benedicente, & manum super caput ejus tenente, etiam omnes Presbyteri qui præsentes sunt, manus suas juxta manum Episcopi super caput ejus teneant.* Neque obstat, quod prima illa manuum impositio non solum ab Episcopo fiat, sed etiam a Presbyteris asſistentibus, aut quod ei nulla respondeat verborum forma, Episcopo nihil dicente, cum tangit caput ordinandi. Quamvis enim manuum impositio a Presbyteris facta, sit tantum accidentaria, non impedit tamen quo minus ea quæ ab Episcopo fit tamquam legitimo ministro, sit esſentialis Ordinationi: & licet physice conjuncta non sit cum forma Ordinationis, conjungitur tamen & continuatur moraliter per actiones intermedias cum forma, sive cum illis verbis, quæ Episcopus porrigendo instrumenta profert, dicens: *Accipe potestatem offerendi Sacrificium &c.* adeo ut una moraliter sit actio totalis, qua ordinando potestas confertur Sacrificium offerendi, constans ex forma & duabus partialibus materiis, nempe impositione manuum & porrectione instrumentorum, moraliter inter se unitis per actiones

nes

nes intermedias, quæ ad unum finem, id est, ad validam Ordinationem tendunt.

In Ecclesia tamen Latina impositio manuum non est materia adæquata; sed ad valorem Ordinationis necessaria est etiam porrectio instrumentorum.

457. Probatur etiam altera pars assertionis de porrectione instrumentorum. Florentinum in Decreto pro Armenis ait: *Sextum Sacramentum est Ordinis, cujus materia est illud, per cujus traditionem confertur Ordo, sicut Presbyteratus traditur per calicis cum vino, & patenæ cum pane porrectionem. Diaconatus vero per Libri Evangeliorum dationem. Subdiaconatus vero per calicis vacui cum patena vacua superposita traditionem: Et similiter de aliis per rerum ad ministeria sua pertinentium assignationem. Forma Sacerdotii talis est: Accipe potestatem offerendi Sacrificium in Ecclesia pro vivis & mortuis, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Et sic de aliorum Ordinum formis, prout in Pontificali Romano late continetur.* Ergo juxta Florentinum porrectio instrumentorum est materia essentialis Ordinationis Presbyteri & Diaconi in Ecclesia Latina. Profecto absurdum foret dicere, quod Concilium de accidentali tantum materia loquatur, nulla essentialis materiæ facta mentione, contra morem quem Florentinum semper observat, quando aliorum Sacramentorum materiam & formam assignat. Accedit, quod per hanc porrectionem calicis cum vino, & patenæ cum hostia, item per verba illa, *Accipe potestatem offerendi Sacrificium in Ecclesia*, aptissime atque expressius significetur potestas conficiendi Eucharistiam, quæ est præcipua Presbyteratus potestas. Cætera argumenta, quæ communiter pro hac sententia afferri solent, fateor non esse efficacia.

Adversariorum exceptiones & argumenta enervantur.

458. Dices I. Decretum pro Armenis non est Synodi Oecumenicæ Florentinæ, sed Eugenii IV. Pontificis, quia promulgatum fuit quinque fere mensibus post discessum Græcorum, ideoque dissoluta jam Synodo Generali. Ergo Decretum illud non est tantæ auctoritatis. Resp. Decretum illud revera esse Synodi Oecumenicæ Florentinæ, quia Eugenius IV. illud edidit, sacro approbante Concilio, consentientibus

etiam

etiam Græcis, hujusque unionis cum Armenis ineundæ negotium Eugenio, ante discefsum suum Florentia in Orientem, relinquentibus. Et quamvis instructio illa solum Eugenium Pontificem authorem haberet, maximæ tamen apud Catholicos omnes foret auctoritatis, ex eo præsertim capite, quia totius Ecclesiæ consensu firmata ac probata est.

459. Dices II. Materia efsentialis Sacramenti Ordinis debet efse eadem ubique & omni tempore. Atqui in Ecclesia Græca semper, in Latina autem per plura saltem sæcula materia efsentialis fuit sola impositio manuum. Ergo. Resp. D. M. Materia efsentialis debet semper & ubique efse eadem in ratione signi sensibilis potestatis traditæ, id est, debet semper efse eadem formaliter, C. M. Materialiter, seu in ratione alicujus rei, & veborum aliquorum quæ adhibentur, N. M. Christus non instituit, neque determinavit materiam & formam Ordinationis Presbyteri & Diaconi in specie infima seu atoma, ut ajunt; sed generatim tantum voluit, ut Ordinatio fieret per aliquam actionem externam & sensibilem, significativam potestatis, quæ ordinato traditur, & per aliqua verba quæ eamdem potestatem exprefsius significarent, determinationem in specie hujus signi & verborum relinquens Ecclesiæ, quæ potestatem habet signum illud & verba justis de causis mutandi, modo semper & res & verba usurpet apta ad significandum sacræ Ordinationis effectum. Quare Ecclesia potestate sibi a Christo concefsa utens, initio solam designavit manuum impositionem cum verbis eam comitantibus: mutatis postea circumstantiis, aliam insuper materiam partialem a Latinis adhibendam statuit, nempe porrectionem instrumentorum. Si quæras, quonam tempore hæc mutatio vel potius additio pro Latinis facta sit ab Ecclesia? Resp. determinatum tempus statui non pofse; probabilius tamen videtur, eam in pluribus saltem Occidentis Ecclesiis ante sæculum X. aut XI. usurpatam non fuifse, donec tractu temporis

ab universa Ecclesia adoptata, sicque Lex communis omnes Latinos obligans evaserit.

460. Dices III. Absque fundamento dicitur, quod Christus Ecclesiæ potestatem fecerit determinandi pro suo libito materiam Ordinationis sacræ. Ergo. Resp. N. A. Ratio id dicendi petitur tum ex Florentinæ Synodi Decreto pro Armenis, ubi pro materia Sacramenti Ordinis, non accidentaria, ut aliqui reclamante ipso textu perperam interpretantur, sed esſentiali aſsignatur porrectio instrumentorum, quæ tamen primis Ecclesiæ sæculis, ne apud Latinos quidem erat in usu: tum etiam ex eo, quia Christus non determinavit quoad speciem infimam formas omnium Sacramentorum, ut patet ex diversis formis Græcorum & Latinorum, præcipue in Sacramento Confirmationis & Ordinis; sed tantum adhiberi voluit verba, quæ effectum Sacramentorum illorum sufficienter exprimerent, facta Ecclesiæ potestate formas illas determinandi. Ergo idem omnino dicendum videtur de materia Sacramenti Ordinis. Neque leve est argumentum, quod ex Tridentino Concilio ducitur. Seſsione enim XXIII. Can. IV. definit, Episcopum non frustra dicere in sacra Ordinatione, *Accipe Spiritum Sanctum.* Ergo docet in Ordinatione v. g. Presbyteri, per verba illa quæ sunt practica, & efficiunt quod significant, dari Spiritum Sanctum, ideoque partem eſse substantialem formæ Sacramentalis. Atqui tamen ritus ille proferendi in Ordinatione Presbyteri illa verba, *Accipe Spiritum Sanctum. Quorum remiſeris peccata &c.* in veteri Ecclesia Latina ante sæculum X. non usurpabatur, ut constat ex silentio Canonum, Ritualium, & Scriptorum Ecclesiasticorum; immo in multis Ecclesiis recentior est altero ritu porrigendi instrumenta: ac nihilominus nunc ea verba pertinent ad substantiam formæ, quia per illa datur revera ab Episcopo ordinante Spiritus Sanctus. Ergo Christus non determinavit in specie infima formam Ordinationis. Ergo pari ratione, absque ullo absurdo, idem dici poterit de materia sacræ Ordinationis.

461.

461. Dices IV. Ecclesia, juxta Tridentinum Sefs. XXI. Cap. II. non potest mutare substantiam Sacramentorum. Atqui materia pertinet ad illorum substantiam. Ergo. Resp. C. M. D. m. Generatim signum aliquod sensibile, aptum ad significandam potestatem Sacerdotis vel Diaconi, pertinet ad substantiam sacræ Ordinationis, C. min. Hoc determinatum signum sensibile, atque in specie infima, pertinet ad sacræ Ordinationis substantiam, N. min. Sacramenti substantia consistit in materia & forma, quales Christus instituit: Christus autem instituit generatim pro materia Ordinationis actionem aliquam externam, significativam potestatis traditæ, & pro forma verba aliqua potestatem hanc exprefsius significantia, relicta Ecclesiæ potestate actionem illam & verba in specie determinandi. Exemplum habemus in Matrimonio, pro cujus materia Christus determinavit signum legitimum interioris consensus; quale autem efse debeat illud signum, dispositioni Ecclesiæ reliquit. Sicut ergo Ecclesia statuendo, contractum clandestinum, qui olim fuit materia valida Sacramenti Martimonii, in posterum iis in locis, in quibus hæc sanctio Tridentini Concilii fuerit promulgata, nullum fore atque irritum, ipsius Sacramenti Matrimonii substantiam non mutavit: ita etiam mutando materialiter rem, per quam significatur potestas ordinato tradita, substantiam sacræ Ordinationis mutafse dici nequit.

462. Dices V. Quamvis Ecclesia determinaverit pro materia consecrationis azymum panem pro Latinis, fermentatum pro Græcis; Sacerdos tamen Latinus valide consecrat in fermentato, & Græcus in azymo. Ergo etiam quamvis Ecclesia pro materia Ordinationis Presbyteri & Diaconi præscripserit impositionem manuum, & porrectionem instrumentorum in Latina Ecclesia faciendam, valide tamen Latinus ordinabitur Sacerdos aut Diaconus, sola adhibita manuum impositione, absque porrectione instrumentorum. Atqui si valida est illa Ordinatio, porrectio instrumentorum non est de efsentia sacræ Ordinatio-

nis. Ergo. Resp. C. A. N. C. Ecclesia determinavit ac pronunciavit, panem azymum Latinis, fermentatum Græcis necessarium esse necessitate præcepti tantum Ecclesiastici, non vero necessitate Sacramenti. Cum enim Christus sicut aquam pro Baptismo, ita etiam pro materia consecrationis panem determinaverit in specie, Ecclesia facere non potest, ut panis azymus vel fermentatus non sit panis: At vero Christus materiam & formam sacræ Ordinationis, non in specie sed generatim ut paulo ante diximus, determinavit: Ecclesia autem in Florentino dum assignat pro Latinis materiam sacræ Ordinationis, porrectionis instrumentorum meminit. Ergo judicat apud Latinos hanc instrumentorum porrectionem necessariam esse ad valorem Ordinationis.

463. Dices VI. Si traditio instrumentorum est de essentia sacræ Ordinationis apud Latinos, idem non erit Sacramentum Ordinis in Ecclesia Latina & Græca. Atqui hoc dici nequit, Ergo. Resp. N. M. Eadem est apud Græcos & Latinos materia Ordinationis formaliter in ratione signi legitimi potestatis traditæ, quamvis diversa sit materialiter in ratione alicujus rei & verborum aliquorum quæ adhibentur. Idem porro apud utrosque est Sacramentum, non obstante diversitate partialis materiæ, quia eadem manet significatio & efficientia Sacramenti; instrumentorum enim porrectio, conjuncta cum impositione manuum, idem prorsus in Ecclesia Latina significat & efficit, quod sola manus impositio in Ecclesia Orientali, nempe eumdem characterem, & eamdem gratiam.

Cæteras quæstiones, quæ hic institui possent, nempe de Episcopo, a quo peti debeat Ordinatio, de interstitiis, de impedimentis removentibus ab Ordinatione, de qualitate Ordinandorum, de officiis Ordinum Hierarchicorum, pluraque alia hujuscemodi, Juris Canonici interpretibus examinanda relinquimus. Quæ vero ad Dogmaticam Theologiam pertinent, atque hic silentio præterita sunt, aliis in locis discus-

sa

sa a nobis fueruut, nempe: an ministri Ecclesiæ a solo Deo eligantur, & an jus illos eligendi jure divino ad populum pertineat? Tomo III. Artic. IV. Controv. IV. An Episcopi jure divino sint Presbyteris superiores potestate Ordinis & Jurisdictionis? Controversia V. De Cœlibatu Clericorum, Controv. VI. De Horis Canonicis, Tomo IV. Artic. III. Controv. VI. De Charactere sacræ Ordinationis, Tomo VI. Artic. I. Controv. IV. An mulieres sint jure divino incapaces Ordinis sacri sive suscipiendi sive gerendi? Controv. V. Conclusione VI. An Ordinationes factæ ab Episcopis hæreticis, schismaticis, depositis, & excommunicatis, sint invalidæ? Controv. VII. Conclusione III.

O. A. M. D. G.



INDEX

INDEX
RERUM PRAECIPUARUM,
quæ
in Parte altera Tractatus VI. de Sacramentis
continentur.

A.

Be-

C.

Chri-

Non

Eucha-

Inno-

Lu-

N.

O.

P.

SSma

Wal-

W.

Z.

O. A. M. D. G.

BIBLIOTEKA UNIWERSYTECKA W TORUNIU

Biblioteka Główna UMK
300020637759

483914

Biblioteka
Główna
UMK Toruń

493914